



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

VI. De Rebus Lyturgicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

R E R U M  
LITURGICARUM  
LIBRIDUO.

JESU CHRISTO FILIO DEI,

*Summo & aeterno Sacerdoti,*

*Joannes ejus miseratione S. R. E. Presbyter Cardinalis.*



*Reclavit cor meum verbum bonum : Dico Tibi & consecro opera mea Pontifex sempiternae, qui discessurus de hoc mundo ad Patrem, factus Sacerdos tuæ victimæ, & victima Tui Sacerdotii, Corporis & Sanguinis Tui admirabile sacrificium instituisi. Offero, inquam, Tibi quod Tuum est; neque enim dare Tibi aliquid possum, quod Tuum non sit: neque Tu acciperes, si quid dare vellem, quod à Te non accepissem. Idèd Te adoro, & gratias ago misericordiae Tuæ, quia omnia bona mea Tua sunt; nihilque meum est, nisi peccatum & infirmitas & ignorantia, prævaricatoris Adæ miseranda hæreditas, jugumque gravissimum humane captivitatis, à quo solvi numquam potero, nisi Tu à servitute me liberares, discussa caligine & depulsa ægritudine, manu Tua omnipotenti. Tu dixisti, Fiat lux, & facta est lux: cujus fulgore illustratus, has Rerum Liturgicarum Disquisitiones aggressus sum, præscos Ecclesiæ Ritus perlustrans, quantum Tu posse dedisti, de cujus plenitudine omnes accipiunt. Intravi ubi aperuisti, asserendo & defendendo quæ certa sunt, incerta verò & occulta sollicitè inquirendo, donec Tu, qui hominem doces scientiam, latentem veritatem servis Tuis manifestes. Tuum nunc est, hunc qualemcumque laborem benigno favore prosequi, ut Fideles Tui, ad quorum manus pervenerit, tantum mysterium impensius colant, & profectu accrescente frequentent: reliqui verò, qui sectis adhæserunt, auspice Te, reducantur in viam, à qua infeliciter aberrarunt. Hoc votum meum est in Te & per Te, Jesu Christe Redemptor mundi, qui omnium desideriorum meorum scopus & meta es, & merces mea magna nimis.*

Sf 2

LECTO.



## LECTORI.

*Qua occasione, quove consilio scriptus hic liber.  
Ejus argumentum & difficultas.*



Aucis me præfari oportet, & tibi, benigne Lector, suscepti operis rationem reddere. Edideram Romæ ante aliquot annos Tractatum de Divina Psalmodia, ejusque causis, mysteriis, & disciplina; deque variis ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis divinis officiis. Vidit eum aliquando & pereurrere dignatus est Sfortia Pallavicinus Cardinalis amplissimus, de litteris & de Ecclesia optimè meritis, & ut erat mihi arctissima junctus amicitia ab eo tempore, quo in domo sancti Andreae Societatis Jesu historiam Concilii Tridentini toti orbi notissimam scribebat, protinus urgere me atque compellere cohortatione, imperio, ac quotidiano penè convitio cœpit, ut de augustissimo nostræ Religionis Sacrificio simile opus adornarem, amicè testatus, me in hoc genere aliquid posse. Ego verò tametsi hominem tantæ dignitatis summa veneratione prosequer, multoque difficilius existimarem, id negare quod præcipiebat, quàm efficere; conscius tamen imbecillitatis meæ diu reluctatus sum. Ponderis enim gravissimum, & vix tractabile perhorrescebam, nec audebam opus aggredi longum, perplexum, ac plurimi otii, quo maximè indigebam. Cumque hoc sæculum eruditissimum sit, nimis audaciæ ac temeritatis notam incurrere verebar, si quidpiam in publicum proferrem, quod non esset elaboratum & omni ex parte perfectum. Terrore denique fuerunt inextricabiles difficultates in singulis ritibus divinæ Liturgiæ explicandis, ac è rudibus antiquitatis in lucem proferendis, qui cum profundis tenebris sepulti sint, quædam dumtaxat tenuissima vestigia apud præscos scriptores reliquerunt. In his autem angustiis constitutum urgebat quotidie Pallavicinus, adhibitis etiam amicorum auxiliariis copiis, & eorum interposita auctoritate, quorum præceptis refragari nefas erat; donec tandem timorem abjicere, onusque suscipere fatius duxi, quàm deesse obedientiæ, quæ perfecta tunc esse censetur, cum nihil videt, nihil dijudicat.

Quicquid igitur obstabat, patientiâ ac studii pertinaciâ vincere tentans, multa volumina evolvere, & ex iis diligenter excerptere cœpi quæcumque ad propositum argumentum spectare visa sunt: & aspirante divina gratia, tanta mihi sensim rerum congeries parata est, qua exactoris desiderio & expectationi aliqua saltem ex parte satisfacere possem. Jam septimus annus elapsus est à prima operis delineatione, cui cum assidue instarem, nullique parcens labori extremam manum imponere sperarem, longa & molesta correptus infirmitate, & studiis & libris repudium dicere coactus sum. Pristina verò valetudine restituta, aliisque rebus peractis, quæ, quia differri non poterant, me diu occupatum tenuerunt; cum paulisper respirare, & ad intermissa studia redire cœpisssem, mox gravius impedimentum subortum est, quod non solum ab opere perficiendo, sed ferè per annum ab omni librorum commercio avocavit. Nam Beatissimus Pontifex Clemens IX. me nihil tale aut merentem aut cogitantem, à tranquillitate & pace, quibus in Monasterio perfruebar, repente abstractum & avulsam ad fastigium evexit maximæ in Ecclesia digni-

tatis;



tatis; cui cum impar omnino sim, vereor ne vox illa Prophetæ ad me pertineat, *Elevans allisti me*. Vixeram in Religione ab anno XV. ætatis meæ usque ad LX. & agnoscens in me aliquod signum divinæ misericordiæ, optabam mori in nidulo meo, nec diem hominis desideravi, Deus scit. Nunc autem expulsus à jucunditate monasticæ vitæ, rerum exteriorum tumultus patior, quibus assuetus non eram, & omiſſis genialibus studiis, ad curas sæculi ejectus sum, à quibus maximè abhorrebam. Ideò in longum protractum opus, seriùs quàm promiseram, editum est.

Cæterùm in eo conscribendo historiæ limites prætergressus non sum. Ex Conciliis & sanctis Patribus, cæterisque Ecclesiasticis atque eruditis Scriptoribus, ex codicibus M. SS. ea dumtaxat delibavi, quæ ad Missæ institutionem, sacrorumque rituum originem spectant: quibus verbis, quo ritu, quo loco, qua hora, quo apparatu, qua lingua olim Missa celebraretur: idemne an diversus omnium Ecclesiarum mos fuerit: quando, quomodo, & à quibus addita quædam & immutata. In quibus explicandis ut certo ordine progrederer, quæcumque pertinent ad Liturgiam duobus libris complexus sum. Primus ea continet, quæ de illa generatim prænosci debent. Alter sigillatim edisserit omnes ejusdem partes ab accessu sacerdotis ad altare usque ad ejus recessum, ut ex subjecto Capitulo indice apparebit. In tanta autem consuetudinum diversitate præscarumque rerum densa caligine nonnulla ex conjecturis deduxi, quædam verò me nescire professus sum, Magni Cassiodori consilium sequutus, qui lib. de Anima cap. 14. ait: *Melius esse in occultis causis confiteri ignorantiam, quàm periculosam sumere audaciam*. Quæ cunctis nota sunt, non nisi leviter tetigi, Lacedæmonios imitatus, quorum est apud Thucydidem lib. 4. illa, quæ semper mihi placuit, sententia, *Non oportere multis verbis uti, ubi pauca sufficiunt*. Quæ magis abstrusa visa sunt, vel ipse fusiùs exposui, vel fontes indicavi, è quibus possunt curiosi explere sitim.

Partem asceticam opusculo seorsum evulgato pridem exposui. Symbolica explicatio à pluribus haberi potest, qui de illa copiosissimè scripserunt. Scholasticis disputationibus plena sunt ingentia Theologorum volumina. Polemica illi reliqui, qui Missam vindicant à calumniis hæreticorum. Alia fortassis erunt è profundiore sapientia atque uberiori eruditione petenda, quæ me fugerunt carptim & per interstitia scribentem. Norunt autem experti, quàm sit difficile ad hujusmodi lucubrationes redire, postquam ab illis discessum est. Multos quoque nodos vindice dignos superesse agnosco, quos peritioribus solvendo relinquo. Omnium autem in quibus deliqui ab æquis rerum æstimatoribus veniam obtinebo, quia ut præclare scribit Dionysius Longinus, *In magnis labi generosum peccatum est*.

## M O N I T I O.

**V**ix emerſit è prælo hic Liber, cum statim intellexi, displicuisse nonnullis rem non satis intelligentibus, aut in sensum à meo alienum detorquentibus, quod Libro I. Capite XXIII. asserui usum fermentati diu viguisse in Ecclesia Latina. Visum igitur est mihi omnem scrupulum è mentibus illorum tollere, & statum controversiæ clariùs explicare. Tres sunt ejus quæstiones. Prima est, an Christus, quando instituit Euchari-



stiam, azymo usus sit, vel fermentato. Secunda, an in utroque valida sit consecratio. Tertia in quo pane convenientius fiat. Hæc tria sunt, quæ magno ardore inter Græcos & Latinos agitata sunt. Ego autem ad I. asserui cum omnibus Orthodoxis Christum in ultima cæna azymum consecrasset. Ad II. quoque dixi validam esse consecrationem tam in azymo, quam in fermentato. Ad III. affirmo convenientius omnino esse in azymis conficere, & Christi exemplum sequi. Dixi tamen ex facto Christi non concludi, ita necessario faciendum: nam Orientales fermentato utuntur, præcipientibus Apostolicis Constitutionibus, ut singule nationes suum ritum servent. An verò Ecclesia Latina aliquando fermentato usa sit, res facti est, nullo modo ad dogma pertinens, sed ad ritum, qui mutationem & novitatem admittit, ut Lib. I. Cap. VI. §. 1. ostendo. Cum itaque in hoc Libro propositum mihi fuerit, historiam scribere, quæ soli auctoritati inmittitur, ea tradidi, quæ apud præscos Scriptores inveni. Obsecro autem viros doctos, ut primò observent, me passim uti nominibus opinionis & conjecturæ: tum dixi, Me paratum esse certiora docentibus statim & ex animo consentire: & in fine Lib. II. Lectores precatus sum, ut si quid incautiùs scripsi, ignoscant, corrigant, & emendent. Rem ergò gratissimam facient, si prolatis ex antiquitate testibus amicè ostenderint me errasse. Deinde observare debent, quod initio §. 7. dico, Apostolos panem consecrasset, qualem in domibus fidelium reperiebant, non dico fermentatum, sed qualem reperiebant, sive azymum, sive fermentatum; præsertim apud Hebræos, qui certis diebus azymis utebantur: quæ in re Arcudio consentio, qui lib. de sacram. cap. 3. ait verisimile esse, Apostolos pro varietate locorum, gentium, & temporum, modo azymo, modo fermentato usos fuisse. Et §. 3. dixi, quod sæviente persecutione Azymum semper habere non poterant: ergo pro certo pono aliquando habuisse. At inquit me multa congerere ad probandum, quod usus fermentati per octo sæcula perstitit in Ecclesia Occidentali. Fateor, sed non excludo usum azymi: nam veterum Patrum & Historicorum testimonia, quæ profero, non nisi pro suis Ecclesiis & provinciis & temporibus probant. Nec adeo Dialecticæ sum ignarus, ut nesciam argumentum ab Inductione non concludere necessario, nisi omnia singularia sufficienter enumerentur, quod difficillimum est. Denique nunquam dixi, Ecclesiam aliquo præcepto usum fermentati universaliter decrevisse: quod tamen asseveranter dicunt Principes Theologorum, S. Thomas à me citatus §. 5. Sanctus Bonaventura 4. sent. dist. II. art. 2. quaestione 1. Scotus ibidem quaestione 6. Durandus quaestione 4. & his antiquior Alensis p. 4. de sacr. Euchar. quaest. 10. memb. 4. art. 1. §. 3. narrantes historiam Ebionitarum, de cujus fide ago eodem §. 5. Et hunc usum docent, donec viguit illorum hæresis, ubique permansisse. Ergo usus fermentati, ut isti asserunt, eo tempore communis fuit, & ab earum opinione ego non discrepo, nisi quod eundem usum in quibusdam locis ad plures annos extendo. Omitto plura, nam hominibus eruditissimis, & bonæ voluntatis ista sufficiunt: aliis nec integra volumina satisfaciunt. Hanc autem paginam claudio præclaræ Quintiliani sententia, quæ S. Hieronymus in casu non dissimili usus est. Felices artes, si de iis soli artifices judicarent.

Imprimatur. Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro sacri Palatii Apostolici.  
J. de Angelis Archiepisc. Urbini Vices-gerens.

**R**ERUM Liturgicarum libros ab Eminentissimo & Reverendissimo D. Joanne Bona Cardinali compositos, honoris causa jussu perlegi eximie pietatis, doctrinæ, & eruditionis refertos, & quos Religiosissimus quisque inoffenso decurrat pede, tum ob facundiam, perspicuitatem, ordinem, elegantiamque dignissimos qui diu multumque expectati, magno Ecclesiæ bono & Eminentissimi nominis ornamento proferrantur in lucem III. Kal. Decembris M. D. C. LXX.

Imprimatur. Fr. Hyacinthus Libellus sacri Palatii Apostolici Magister.

RERUM



# R E R U M LITURGICARUM

LIBER PRIMUS.

## De his quæ ad Missam generatim spectant.

### CAPUT I.

*De Missæ nomine, ejusque origine. Non esse Hebraicum, Græcum, aut alterius idiomatis, sed Latinum. Rejiciuntur quorundam opiniones. Quædam obiter de Agapis veterum Christianorum. A duplici missione Missa nomen deductum.*

I. **D**E Missæ sacrificio clarè & strictim disceptaturo prima statim occurrit de nomine difficultas; sunt enim nomina indicia rerum, & ut Epictetus apud Arianum, lib. 2. cap. 17. auctor est, principium eruditlonis est intelligentia vocabulorum. Quidam Doctores Hebraicæ antiquitati nimium addicti Hebraicum nomen esse putant ex Deuteronomii cap. 16. vers. 10. ubi vox *Missah* reperitur, quæ oblationem significat. Quam sententiam mordicus sustinent Joannes Reuchlinus lib. 2. *hebraicarum Eruditionum*; Claudius de Sainctes in *præf. ad Liturgias Patrum*; Baronius ann. 34. numer. 59. Genebrardus de *Liturgia Apostolica* cap. 7. Antonius Demochares adversus Misoliturgos tom. 2. cap. 1. & alii istorum asseclæ, qui nullo suffulti veterum testimonio asserunt, Apostolos ab Hebræis, Latinos à Petro Principe Apostolorum Missæ vocabulum accepisse, ac si nihil antiquum, nihil catholicum foret, nisi hebræo nomine insignitum. Sed ut optimè Bellarminus observat, lib. 1. de *Missæ* cap. 1. si vox ista Hebraica in usu Aposto-

lis fuisset, eam certè retinuissent etiam Græci & Syri, atque aliæ nationes, ut retinuerunt alias similes, ut *Amen, Alleluja, Sabbaoth, O sanna, Sathan, Sabbatum, Pascha*. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos devenerunt; cum ipsi etiam Apostoli, & primi Ecclesiæ Doctores Græcè scripserint. Porro apud Græcos nulla est mentio hujus vocis, neque apud Patres Hebraicæ linguæ peritos, Origenem, Epiphanium, Justinum, Hieronymum, quod certè admirandum videri posset, si ex Hebræis ad Christianos illa vox emanasset.

II. Aliam hujus nominis originem proponit Genebrardus *libri citati* cap. 3. ex Græca voce *Myesis* à verbo *Myeo*, quod est doceo, instituo, & spiritualiter initio: & significat propriè initiationem, seu mysticam doctrinam; quæ per divinam inspirationem in abdito mentis percipitur sine humano magisterio; ut docet Cordearius in *Onomastico Dionysii*: hinc autem ait Genebrardus derivatum forsitan esse nomen Missæ mutatâ terminatione, quæ secundùm diversitatem linguarum variari solet. Nam Græci, inquit, hanc vocem sic pronunciant *Myesis*; undè mutata terminatione Missa à latinis deduci potuit. At hæc levissima Genebrardi conjectura est, tanti viri doctrinâ & eruditione profusè indigna. Neque obstat, quod apud quosdam Græcos scriptores aliquando vox *Missæ* legatur, ut apud Constantinum in *Tactis*, quem Joannes Mevsius citat in *glossario Græco-barbaro*; hi enim recentiores sunt post annum Christi millesimum, & hanc vocem  
sic.



sicut & alias, à Latinis acceperunt, & alio sensu usurpant, præsertim scriptores Tactici, qui eâ pallim utuntur pro precibus, quas in exercitu milites Christiani mane & vespere recitabant.

III. Tertia & singularis hac de re opinio est vici doctissimi Gabrielis Albaspinæi, qui lib. 2. de Sacram. Euchar. cap. 3. rejectis aliorum etymologiis Missam dici autumat à nomine Mess, quod apud gentes septentrionales significat festum sive congregationem. Quia verò populi, ut sacrificio intersint, in unum adunantur, idèd Missæ nomen ipsi sacrificio inditum arbitrat. Ut autem probet, Missæ nomen pro festo accipi, & pro populi adunatione, multa congerit ex Capitularibus & Conciliis Franciæ, sed ex illis potius deducitur, Missæ nomen ad festum & conventum populi denotandum translatum fuisse, ut ex his, quæ Capite sequenti num. V. dicemus, manifestè patebit. Nec verisimile videtur, quod à gentibus septentrionalibus Missæ nomen emanare potuerit, quia cum seriùs ad eas Evangelii prædicatio pervenerit, illud potius ab illis acceperunt, à quibus fidei mysteriis imbuti sunt. Joannes Lydius in Glossario Latino-barbaro vocum, quæ reperiuntur in Epistolis Nicolai Clemangii, Missa, inquit, Mess, mercatus, nundinæ. Cur verò Missæ nomen nundinis tributum fuerit, commodius dicam capite sequenti.

IV. His explosis, quarta sententia, eaque vera & indubitata stabilienda est, Missæ vocabulum latinum esse à mittendo dictum. Est enim Missa idem ac milio, sicut remissam pro remissione dicebant Antiqui. Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem cap. 18. Diximus de remissa peccatorum. Cyprianus de bono patientiæ: Dominus baptizatur à servo, & remissam peccatorum daturus ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere. Optatus Milevitanus lib. 1. Non potuit in remissam peccatorum tingi. Victor Tunonensis in Africa Episcopus lib. de Pœnitentia cap. ult. Merebimur remissam omnium peccatorum. Hujus autem appellationis causam non omnes eandem tradunt. Quidam volunt Missam dictam à mittendo, quod olim fieret ex donis à populo missis, & in unum collatis, quæ expositio Sectariorum est, Missam cum Agape, seu convivio Christianorum confundentium. Erat autem Agape convivium publicum, quod in Ecclesia post sumptam Eucharistiam fieri solebat ad mutuam charitatem fovendam, & ad pauperes refo-cillandos. Hieronymo adscripta Commentaria in Epist. 1. ad Cor. cap. 11. In Ecclesia conve-

nientes oblationes suas separatim offerebant, & post communionem quæcumque eis de sacrificiis (de his nimirum, quæ quisque obtulerat) supersuisissent, illic in Ecclesia communem cœnam comedentes, pariter consumebant. Et Chrysostomus in eadem Epistolam hom. 27. Statis diebus mensas faciebant communes, & peracta synaxi, post Sacramentorum communionem omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibos adferentibus, pauperibus autem & qui nihil habebant etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus. Oecumenius quoque in ipsam Pauli Epistolam; Præcipuis diebus sive festis, post sacrorum mysteriorum participationem, agebantur communes cœna, præparantibus illas divitibus, ac pauperes invitantibus. His verò testimoniis diversam fuisse Agapen à Sacrificiis evincitur: idque etiam probat Pamelius ex pluribus Tertulliani Textibus ad cap. 39. Apologetici, quo in loco magnus ille Africanus elegantissimè Agapen describit. Quædam dumtaxat decerpo, quia parerga hæc sunt. Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit; Vocatur enim Agape, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus consistet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio isto juvantur. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminere etiam per noctem adorandum sibi Deum esse: ita fabulantur, ut qui sciunt Dominum audire. Equè oratio convivium dirimit, inde disceditur, non in catervas casorum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum; sed ad eandem curam modestia & pudicitia, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. Ad hæc eadem convivia respexisse puto Plinium Juniorem, cum in Epistola ad Trajanum de Christianorum cœtibus differens ait: Coeunt ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium. Triplex autem erat Agape, Natalitia, Funeris & Connubialis, quas commemorat Nazianzenus in carmine de diversis vitæ generibus hoc disticho:

Non Epulum natale adiens cum pluribus, aut quod  
Funereum est, vel quod connubiale petens.

Solitas quoque exhiberi in dedicationibus Ecclesiarum Gregorius Magnus testatur, lib. 1. epist. 54. ad Petrum Subdiaconum, & lib. 9. epist. 71. ad Mellitum Abbatem. Agunt de iisdem passim antiqui Patres quos refert Jacobus Bossius lib. 6. Romæ subterraneæ cap. 27, & Concilium Gan-



Gangrense anathemate perfringit illos, qui eas spernebant. Postea ob luxum, dissensiones, & alios abusus, qui sensim irrepserant, sublatae sunt, ut scribit Augustinus *lib. 6. confess. cap. 2. & epist. 64.* & ab Oriente quidem eas proscripsit Synodus Laodicensis, ab Africa verò tertia Carthaginensis, à Gallia Aurelianensis secunda, & Cabilonenfis.

V. Aliis placuit Missam dici, quasi *transmissam*, eò quod populus per ministerium Sacerdotis preces & oblationes ad Deum transmittat. Stephanus Eduensis *lib. de Sacram. Altaris cap. 28.* Hac salutatione, nempe *Ite Missa est*, momentur altantes recedere, quia missa est hostia: Propterea ministerium Sacrosanctum Missa nuncupatur. Petrus Cluniacensis *lib. 2. miracul. cap. 28.* Sacrificium offertur, quod ex usu jam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur, Missa vocatur. Rupertus Abbas *lib. 2. de div. off. cap. 23.* Sacrosanctum altaris ministerium idcirco Missa dicitur, quia ad placationem inimicitarum, quae erant inter Deum & homines, sola valens & idonea mittitur legatio. D. Thomas *tertia P. qu. 83. art. 4. ad 9.* In fine Missae Diaconus populum licentiat dicens: *Ite Missa est*, scilicet hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta. Alio sensu Magister sententiarum *lib. 4. dist. 13.* Missam à mittendo dictam asserit, quod Angelus à Deo mittatur, ut assistat Sacrificio. Nicolaus Beguinius Rhemenfis *lib. 3. de Paschate cap. 3.* à mittendo derivatam ait eo sensu, quo Christus à Patre missus dicitur: quia haec hostia & à Deo Patre primum ad nos salutis nostrae causam missa est, & eandem ejus quoque causam ad eundem rursus mittimus. Alcuinus *lib. de div. officiis cap. 40.* aliam rationem commemorat, quia nos mittit ad Deum.

VI. Alii denique, quorum non ambigimus verissimam esse sententiam, à missione seu dimissione populi, Missae nomen ortum esse asseverant, ita ut Missa idem sit ac missio populi & licentia discedendi. Audiendus primo loco Avitus Viennensis Archiepiscopus, qui circa finem quinti saeculi, & initio sexti floruit. Is epist. 1. ad Gundobadum Burgundionum Regem, non missum facitis, inquit, nihil est aliud quam non dimittitur. A cujus proprietate Sermonis in Ecclesiis, palatibusque, sive praetoribus Missa fieri pronuntiat, cum populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in secularibus auctoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectis desueta subterfugit, invenietis. Hac Avitus, qui non exprimit

saeculares auctores, apud quos nomen Missae hoc sensu reperitur. Mihi verò occurrunt, Cicero, qui in fine Philipp. 5. placere dixit, *legiones bello confecto missas fieri*: & Suetonius in Caligula capite 25. ubi agens de Lolliia Paulina, quam in uxorem duxerat, *Brevi, ait, missam fecit*, hoc est, dimisit. Porro verbis Aviti nihil efficacius ad supra memoratos scriptores redarguendos, qui Missae nomen exoticum fingunt & aliunde derivant. Missio autem in veteri ecclesia duplex erat: una post Evangelium & Sermonem, quando Catechumeni, infideles, poenitentes, & alii, quibus vetitum erat Sacramentorum participationi interesse, à Diacono dimittebantur hac voce, *si quis est Catechumenus, exeat foras*: vel ut dicit Gregorius *lib. 2. Dialog. cap. 23. Si quis non communicat, det locum*: & haec dicebatur Missa seu missio Catechumenorum, de qua ex professo agam infra Cap. XVI. Altera erat Initiatorum, cum re divina peracta eos Diaconus dimittebat dicens, *Ite Missa est*: & haec Missa Fidelium vocabatur. Isidorus *lib. 6. originum c. 16.* Missa tempore sacrificii est, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levità, *si quis Catechumenus remansit, exeat foras*: & inde Missa. Subscribit Isidoro iisdem verbis Rabanus Maurus *lib. de instrit. Clericorum cap. 32.* Florus Magister, & Remigius Antiodoren. in fine expositionis Missae, *Missa, inquit, nihil aliud intelligitur, quam dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronuntiat, cum populus à solemnibus observatione dimittitur*: quae verba ab Alcuino transcripserunt S. Gregorius in libro Sacramentorum feria sexta pascheves: *Deinde communicat ipse, & omnis clerus, & fiat Missa.* Ubi Pamelius ad marginem adnotavit. *ex postrema hac clausula colligere est, cur Missa nuncupetur, nempe à dimittendo populo.* Menardus & ordo Romanus ibidem sic legunt: *& communicant omnes sub silentio, & expleta sunt universa.* Casianus *lib. 11. Instit. c. 15.* vanitatem describens cujusdam solitarii, qui in cella sua quasi in Ecclesia Sacrum agebat, tum, inquit, quasi Diaconus Missam Catechumenis celebrabat. Hugo Victorinus *l. 2. de Eccles. officiis c. 41.* Dicit Diaconus, *Ite Missa est, quasi revertimini ad propria.* Ab hac missione, id est, dimissione, Missam dicunt appellari. Bernoldus Presbyter Constantiensis in expositione Ordinis Romani apud Cassandrum in *Liturgiis c. 26.* Missam ideo appellari dicimus, quia lecto Evangelio foras mittuntur ex pronuntiatione Diaconi, qui minime essenturdo vel communicando non poterant intere se sacramenti



*mensis divini Mysterii. Cassianus lib. 3. Instit. c. 7.* mores describens veterum Monachorum ait, illum qui ad diurnam orationem non occurrebat, priusquam primus psalmus finiretur, non audere oratorium introire, sed Congregationis Missam pro foribus praestolari, hoc est, dimissionem Monachorum peracto officio. Et ibidem *cap. 11.* ait die Dominico unam tantum Missam; hoc est, dimissionem ante prandium celebrari: quia nimirum semel tantum conveniebant, & officia quae ante prandium dici consueverant, sine intervallo & dimissione uno contextu simul cum solemnibus sacrificiis recitabant. Apud Goldastum tom. 2. rerum Alamannicarum extat interpretatio barbaricorum Keronis Monachi S. Galli, qui ait; *Missā, quia mittitur populus.*

Possent paginas late implere aliorum testimonis, sed ex allatis satis constat, Missam à missione dici, & populi dimissionem significare. Frustrā nititur Genebrardus hanc Missam etymologiam convellere quasi nimis frigidam, & modicæ reverentiæ erga tantum mysterium: cum enim doceat Plato in Cratylō, nomina ex propria rei nota deducenda esse, inconveniēti, inquit, foret Augustissimum Sacrificium à minima sui parte vel accidente nuncupari. Sed Genebrardus nimis adductus fuit rebus Hebraicis, & fortasse non legit Aviti, & aliorum quos supra citavimus testimonia, quae si vidisset, eorum procul dubio auctoritati cessisset: neque enim credibile est, viros sapientissimos temerè, & sine ratione tale nomen Divino Sacrificio imposuisse; cum praesertim nullum sit, quo ipsum, utpote ineffabile, exprimere valeamus. Facile etiam diluitur quod objicit Albaspinæus, tribus nimirum primis saeculis Missae nomen inauditum fuisse, cum tamen essent dimissiones; nam primò non admittimus Missae nomen post tertium Saeculum coepisse, de qua re Capite III. agendum erit: deinde nomina posteriora sunt rebus, & illis jam existentibus, vel ex ipsarum naturā, vel ex circumstantiis, vel ab aliquo eventu imponuntur.

## CAPUT II.

*De multiplici nominis Missae significatione.*

*Olim pro Collectis & Lectionibus, & pro divinis officiis usurpatum. Quo sensu ad dies festos, & ad omnes populi conventus translatum. Cur veteres plurali numero Missas dixerint. Quid sit Missas tenere.*

**I.** Perit rerum cognitio, si nomen ignoratur, à noscendo enim dictum est nomen, quasi notamen & index rei quam designat, ut docet Isidorus *lib. 1. Orig. cap. 7.* Quia verò nonnunquam ad plures res significandas idem nomen adhibebimus, exactam rei notitiam habere non possumus, nisi praenoscamus ad quid primitus ipsum nomen constitutum vel excogitatum fuerit, & qua ratione ad ipsius participationem aliae res admittae sint: nam ut praclare Maximus Martyr ait disputans adversus Pyrrhum; *Dicere aliquid, nec eius quod dicitur varias significationes discernere, nihil aliud est quam confundere.* Optimè quoque Ptolemaeus *lib. de iudicandi facultate* docuit, utiles esse dissertationes, quae dictionem explicant, non sui ipsius causā, sed quia ad reddendum de re iudicium conferunt. Quia igitur in Missae nomine multiplex significatio reperitur, de singulis aliquid dicendum est, ne quis nominis aequivocatione deceptus à vera rei, de qua agitur, intelligentiā aberret.

Communi autem & primigeniā significatione accipitur primò pro missione, ut in Concilio Carthaginensi quarto, can. 84. *Episcopus nulli prohibeat usque ad Missam Catechumenorum, id est, usque ad missionem, seu dimissionem, & expulsionem Catechumenorum, neque Haereticum, neque Judaeum, neque Gentilem ecclesiam ingredi, & audire, verbum Dei.* Eodem sensu Cassianus *caput 13. lib. 2. Instit.* sic inscribit, *quare post Missam nocturnam, videlicet post missionem Monachorum à nocturnis officiis, dormire non oporteat: & cap. 15. sic, qua lege modestiae post Orationum Missam unusquisque ad suam cellulam redeat.* Sanctus quoque Benedictus in Regula *cap. 17. Post expletionem trium psalmorum, recitatur lectio una, versus, & Kyrie eleison, & Missae sint, & in fine. Kyrie eleison, & benedictio, & sicut Missae.* Quam phrasim, ut patet, à Cassiano mutuatus est, & ipse supra explicavit *cap. 12. ubi agens de matutinis Laudibus, Canticum, inquit, de Evangelio, Litaniam, & Completum est: & in fine cap. 9. supplicatio Litaniam id est Kyrie eleison, & sic finiuntur vigiliae nocturnae.* Ita cum Diaconus dicit, *Ite Missa est,* sensus est dimissionem esse congregationis, licere omnibus abire.

Secundo accipitur pro lectionibus, & precibus, quae ab initio Liturgiae usque ad dimissionem Catechumenorum expletur: qua acceptione Concilium Valentinum *c. 1.* sancivit, ut



ut Sacrosancta Evangelia Missa Catechumenorum post Apostolum legerentur.

Tertio pro illa parte Liturgiæ, quæ est ab offertorio usque ad finem, & dicitur *Missa Fidelium*. Hoc sensu Missæ nomine utitur Cæcilius Arelatensis Hom. 12. his verbis: *si diligenter attendentis, cognoscetis quia non tunc sunt Missæ, quando divine lectiones in Ecclesia recitantur; Sed quando munera offeruntur, & corpus, vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones sive Propheticas, sive Apostolicas, sive Evangelicas etiam in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis: Consecrationem verò corporis, & sanguinis Christi non alibi, nisi in domo Dei, audire vel videre poteritis.*

II. Quarto sumitur Missa in Concilio secundo Milevitano cap. 12. pro collectis sive orationibus, quæ in Missæ sacrificio legi solent. *Placuit ut preces, vel orationes, seu Missæ, quæ probate fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur.* Eodem sensu Missæ nomen usurpatum à S. Benedicto, Smaragdi Abbatis opinio est in expositione Regulæ S. Benedicti ad illa verba cap. 17. *& fiant Missæ, & Missæ sint.* Missarum enim nomine Collectas intelligit sive orationes, quæ in fine officii à Sacerdote dicuntur, quas ideo Missas dici putat, quia Deo mituntur. Confessit Smaragdo vir doctissimus Hugo Menardus in notis ad cap. 23. & 24. concordie Regularum, qui huc trahit Cassianum lib. 2. cap. 7. ubi eos reprehendit, qui necdum bene finito psalmo in orationem procumbunt ad celeritatem Missæ proferantes, hoc est ad finem officii, ut Alardus Gazæus Cassiani Scholiastes bene interpretatur, non ad *celebritatem Missæ*, id est ad recitationem collectæ, quæ post Psalmos recitatur, ut minus probabiliter legit & explicat Menardus. Trahit huc etiam Isidorum & Tetradium in suis Regulis, quos aliter intelligendos esse mox demonstrabo. Quod verò atinet ad S. Benedictum, manifestum est, ibi Missarum nomine dimissionem indicari, formulâ tunc temporis in divinis officiis usitatâ. Quod si de oratione locutus fuisset, eam proculdubio expressisset, sicut expressit *Kyrie eleison*, & orationem Dominicam. Porro Collectæ S. Pater mentionem facit c. 11. sub nomine benedictionis, cum statuit, lecto Evangelio, & data benedictione incipiendos esse Matutinos. Reliqua officia oratione Dominicâ concludi voluit, ut latius tradidi in tractatu de Divina P. I. *modis cap. 16. §. 17. n. 2.*

III. Quinto S. Aurelianus Arelatensis Episcopus

in Regula Monasterii, quod iussu Childberti Regis Arelate constructum fuit, modum psallendi præscribens ait: *Sexta feria post Nocturnos due Missæ fiant in estate, in hieme tres. Nam Dominica omni tempore, & in estate, & in hieme post Nocturnos sex Missæ fiant. Si verò evenerit, ut tardius ad vigiliis surgatur, quantum Abbati visum fuerit, tantum legatur. Quando signum fecerit, qui legit sine morâ consurgat, ut canonicus Missarum numerus possit impleri. Et infra. Quotidie ad librum facite Missas tres. Vnus Frater legat paginas tres, aut quatuor, & fiat oratio. Iterum legat tantum, fiat alia oratio. Tertio legat idem tantum, & surgite, dicite Antiphonam de Psalmis in ordine, postea respensum, deinde Antiphonam. Iterum legat alius Frater, & sic impletis tribus Missis dicite Matutinos canonicos. Et paulo post. In Natali Domini, & in Epiphania dicite unum Nocturnum, & facite sex Missas de Esaia Propheta; iterum dicite secundum Nocturnum, & legantur alie sex de Evangelio. Et mox. In Martyrum festivitibus tres aut quatuor Missæ fiant: primam Missam de Evangelio legite, reliquas de passionibus Martyrum. Hic luce clarius constat Missam accipi pro lectione; quo sensu quoque eadem voce utitur S. Cæcilius in sua Regula dicens: *Omni Dominica sex Missas facite, primam Missa semper Resurrectio legatur: perfectis Missis dicite Matutinos.* Itemque in sua Regula Tetradius, ubi ait, *Duos Nocturnos faciunt, & tres Missas, quæ evidentissimè lectiones sunt, non autem Collectæ, ut patet Menardus.* Quare autem ab istis Patribus Missæ nomen lectionibus tributum fuerit, non est facile explicare, nisi dixerimus, ex eo desumptam nomenclaturam, quia dum illæ leguntur, psalmodum decantatio dimittitur: quæ expositio est Benedicti Hæstreni *Disq. Monastic. l. 7. tr. 8. disq. 5.* ita ut lectio sit quædam dimissio, seu intermissio Psalmorum. Obscurior est Isidori sententia, qui cap. 7. suæ Regulæ ait: *In quotidianis officiis vigiliarum primum tres psalmi canonici recitandi sunt: deinde tres Missæ Psalmorum, quarta Cantorum, quinta matutinarum officiorum. In Dominicis verò diebus, vel festivitibus Martyrum, solemnitatis causâ, singula superaddantur Missæ.* Neque enim satis percipio, de quibus Missis hic sermo sit: an videlicet tres Missæ psalmodum sint tres orationes post singulos psalmos, ut Menardus exponit, an tres lectiones tribus psalmis correspondentes, ut censet Hæstrenus: an potius Missam Psalmorum, deinde Cantorum, tum Matutinarum ille vocavit totum complexum ex psalmis, & lectionibus*

Et 2 quæ



quæ nunc sunt primum, secundum, & tertium Nocturnum, & Laudes. Nisi forte tres Missæ psalmodiarum sint totidem eorundem, tum Canticorum, & Laudum sub una conclusione modulationes, quæ ideò dicantur Missæ, quia post singulas sit quædam quasi dimissio, & interruptio. Id sane non improbabile ex eo mihi videtur, quod in eodem capite disertis verbis orationum & lectionum meminit: in vigiliis autem Missas, sive interruptiones proximas varietatis causâ statutas, ex ipso contextu non obscure colligimus: *Ut servorum Dei mentes diversitatis oblectamento exerceantur, & ad laudem Dei sine fastidio excitentur.*

I V. Sexto solet Missa pro divino officio interdum accipi, ut in Concilio Agathensi cap. 30. ubi statuitur, quod in conclusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad vespèram ab Episcopo cum benedictione dimittitur. Callianus loco supra citato, *Quare post Missam Nocturnam, id est, post nocturnum officium, dormire non oportet: & rursus, Missa canonica celebrata, id est, Hora, sive officio.* Petrus Diaconus in suis ad Callianum alphabeticis Annotationibus, Missa, inquit, pro quacumque synaxi, sive congregatione, quam Monachi publicè orandi causâ faciebant, apud Callianum sumitur, nempe tertia, sexta, nona, & aliis, sive noctu fieret, sive interdiu. Regula cujusdam Patris cap. 30. *Duodecim psalmi in nocturnis conventibus cantabuntur præter illam Missam, quæ celebratur in ortu Solis:* id est præter officium Primæ.

V. Septimo, quia Missa actio præcipua est, quæ in die festo peragitur, ideò nomen Missæ pro ipsa festivitate à mediæ ætatis scriptoribus passim usurpatur, apud quos Missa S. Martini, vel S. Joannis idem est, ac festum S. Martini, vel S. Joannis. Ivo Carnotensis in Decreto p. 15. cap. 190. Et si totam Quadragesimam ante Missam S. Joannis implere non potest, post Missam impleat, id est, post festum, & infra permittens in quibusdam festivitibus aliquam publicè poenitentibus indulgentiam, inter ceteras numerat Missam S. J. Baptiste, & S. Mariæ. In concilio Pistensi sub Nicol. 1. c. 3. communi placito constitutum, ut usq; ad Missam S. Remigii, id est, *Kalendas Octobris*, spatium habeant. Heraldus Turo-nensis Archiepiscopus in suo Capitulari c. 61. agens de festivitibus anni in quibus feriari oportet, Missam recenset S. Joannis Baptiste, Apostolorum Petri & Pauli, S. Martini, S. An-

dreæ. Eginardus Abbas ep. 23. *Voluntas circa Missam S. Martini ad palatium venire.* Frodoarius in Chronico an. 921. *Facta pactione usque ad Missam S. Martini, & an. 945. Circa Missam S. Joannis Hugo Dux placium cum Rege habuit.* Aimonius l. 5. cap. 34. Refectiones commemorat in Missa S. Germani. Annales Bertiniani an. 877. *Riechilde veniens ad Ludovicum in Missa S. Andree attulit ei præceptum.* Idem frequentius reperitur in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii, ut l. 2. c. 18. *Spatium usque ad Missam S. Martini dare decrevimus, & cap. 29. edicit, ut pontes ad Missam S. Andree restaurati sint.* In edicto quoq; Pistensi in Capitulari Caroli Calvi sec. 31. §. 51. *Qui* *lucrum de vineis in illis partibus promeruerit,* *ocho dies post Missam S. Remigii sibi provideat, & si necesse illi fuerit ad Missam S. Martini ad suum conductum redeat.* In Appendice to. 2. *Scriptorum historia Francorum Andree du Chesne extat epistola cujusdam Catuphi ad Carolum Magnum, in cuius fine eum hortatur, ut cum consilio Synodi Francorum celebrari constituat in Regno suo Missam S. Michaelis, & passionem S. Petri. Eandem ob causam ad quemcumque populi cœtum, sive congregationem indicandam Missæ nomen translatum legimus, quia populi multitudo nunquam frequentius solet in unum congregari, quam ut Missæ sacrificio intersit. Hinc apud Baronium a. 519. in Indiculo, seu Relatione de scelere Thessalonicensium, statuerunt Episcopi, ne quis Missas foras Civitatem teneret, ut multitudo esset futurae seditioni congregata. Hinc etiam Germanis, teste Kiliano in Dictionario, *Francfurter Messe, Strasburger Messe,* idem est, ac nundinæ Francfurti, & Argentorati; quæ nominatio, ut Joachimus Vadianus ait lib. 1. de veteribus Germaniæ Monasteriis, inde nata videtur, quia multis in locis statæ, & annuæ nundinæ festis diebus annectuntur, idque ob populi frequentiam ad Missas celebriores confluentis.*

VI. Octavo tandem sumitur Missa pro tota divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit Catechumenorum, & Fidelium: quæ acceptio adeo in ore omnium communis est, ut recentiores vix aliam agnoscant hujus nominis significationem. Hinc errandi occasionem accepit magni nominis Theologus, qui solum nostri temporis usum attendens, quoties apud Callianum, & S. Benedictum Missæ nomen invenit, de missæ sacrificio intellexit: ex quo sequeretur, pluries in die, imò etiam post prandi-



um sacrificia olim à Monachis oblata; quia etiam post Vesperas, & post Completorium S. Pater Benedictus sua illa phrasi utitur, & *Missa sunt, & Missa fiant*. Hoc autem errore nihil absurdius. Porro apud Antiquos Missa, & Missarum solemniam plurali numero sepius quam singulari legentibus occurrunt; vel quia duplex erat Missa Catechumenorum, & Fidelium; vel quia Missa nomine omnia divina officia, omnemque Sacramentorum administrationem intelligebant. Ideò S. Benedictus in *Regula cap. 60.* loquens de Sacerdotibus, qui in Monasterio ad habitum, & professionem recipiebantur, ait, *Concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere, & Missas tenere*; id est sacrum celebrare, & Sacramenta administrare. In quibusdam Editionibus legitur *Missa canere*, sed vera lectio est, & phrasis in Ecclesia usitata, *Missa tenere*. Conc. Agathense c. 21. Si quis extra parochias Oratorium in agro habere voluerit, ut ibi *Missa teneat*, iuxta ordinationem permittimus. Concilium Bracharense primum c. 16. Si quis feria quinta, quae vocatur cena Domini, *Missa non tenet*, anathema sit. Est autem *Missa tenere*, & eas celebrare, & eis interesse, ut in praecitato Concilio Agathensi cap. 47. *Missa die Dominico secularibus totas tenere* speciali ordinatione praecipimus.

## CAPUT III.

*Missa nomen antiquissimum. A quibus primo usurpatum. Epistolis Decretalibus ab Isidoro collectis, qua fides habenda. De variis Missa nominibus. Dicta à Latinis Collecta, Dominicum, Agenda, Communio, Oblatio; à Graecis Liturgia, Mystagogia, Synaxis, Telete, Anaphora, Prospora, Oeconomia. Tertulliani de Missa Sacrificio circumscriptiones.*

**H**is de nomine Missae, ejusque notatione praebitis, ejusdem nominis antiquitas disquirenda est. Putat Baronius anno 34. n. 59. natam hanc vocem simul cum Ecclesia, & à primis ejus post Christum Fundatoribus Petro & Paulo, ex Hebraicis fontibus Romanis traditam: qua etiam usum fuisse ait Jacobum fratrem Domini, & Episcopum Hierosolymorum in sua quam posteris reliquit Liturgia. Sed pace tanti viri, utrumque, quo nititur, fundamentum falsum est. Nam Missa non est nomen Hebraicum, ut supra diximus; & ut concedamus legitimam

esse Jacobi Liturgiam, quod suo loco examinabitur, nomen Missae non Jacobi, qui graecè scripsit, sed latini interpretis est: nec usquam Graeci Scriptores; nisi post multa saecula ea voce usi sunt. Adstipulantur Baronio Joseph Vicecomes, & J. Baptista Scortia in suis tractatibus de sacrificio Missae, & Stephanus Durantus libro de Ritibus Ecclesiae, atque alii recentiores, qui, ut probent, Missae nomen Apostolicae aetatis esse, & Christianae Religioni coaevum, ex Romanis Pontificibus primi, & secundi saeculi, testimonia nullius roboris coacervant: dudum enim ab Eruditis observatum est, illorum Epistolas decretales usque ad Siricum supposititias esse, à quodam Hispano sub nomine Isidori (quicumque ille fuerit) sub finem septimi saeculi pia fraude confictas, & ex sententiis veterum Canonum, legum etiam civilium, & Sanctorum Patrum, qui quarto & quinto saeculo floruerunt, turpi anachronismo, eodemque serè stylo ac dicendi caractere, magna ex parte contextas, quas primum ex Hispania in Galliam detulit labente octavo saeculo Riculius Episcopus Moguntinus; & inde in alias regiones disseminatae, ac communiter receptae sunt. Sed tandem impostura detecta est, & Baronius de his Epistolis differens a. 867. earum falsitatem agnoscit, & aperte fatetur, *ne quis, inquit, calumniari possit ab Ecclesia Romana aliquid hujusmodi commentum esse*. Earum igitur testimoniis tamquam falsis, & inutilibus rejectis, certiora ex veris, & legitimis Pontificum ac Patrum scriptis proferenda sunt. Extat primo loco epistola Pii ad Justum Episcopum Viennensem, (quam recipiunt Orthodoxi, nec audent omnino reprobare Sectarii) scripta, ut Baronio visum est, anno Christi 166. Ejus initio sic loquitur S. Pontifex: *Soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suae pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes Missas agimus*. Extat etiam alia Cornelii Papae ad Lupicinum ejusdem Viennensis Ecclesiae Episcopum, in qua ait, non licuisse tunc Christianis, neque in Cryptis notioribus publice Missas agere propter acerrimam persecutionem. Scripta est circa a. 254. & inter pseudepigraphas, nec quidem ab eterodoxis recensetur. Quarto saeculo vixit Ambrosius, qui ep. 13. ad Marcellinam fororem, Ego, inquit, *mansi in munere, Missam facere capere, & ser. 34. Monito vos, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam*. In oratione item praeparatoria ad Missam inter genuinos ejus partus agnita à Casaubono; Anselmo autem contra fidem veterum Codicum à nupero scriptore perperam tributa:



*Concede mihi, ait, hodie, & semper Missarum solemniam puro corde, & pura mente celebrare.* Augustinus Ambrosio æqualis serm. 91. de temp. In lectione quæ nobis ad Missas legenda est. Item serm. de temp. 237. *Ecce post sermonem sit Missa Cathedralium, manebunt Fideles.* Rufinus Aquilensis in latina interpretatione Clementis Romani Missæ nomine usus est, cum in textu græco nomen Liturgiæ, sive Sinaxis, invenit. Quinti seculi testis, & assertor est S. Leo cognomento Magnus, qui epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum sacrificium iterari iubens, cum una celebratio multitudini populi non sufficit, *Necessesse est, inquit, ut quedam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint.* Victor Africanus ejusdem temporis scriptor initio lib. 2. Wandalicæ persecutionis, *Liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris Missas agere.* Paulinus, non ille celebris Nolanus Episcopus, sed, alius qui paucis post illum annis vixit, in vita S. Martini lib. 4.

*Præcedat Missam miseratio, gravior hæc est*

*Hostia, mandatum faciens prius obire nudum.*

Porro Ambrosius, Augustinus, & alii citati eo nomine usi tanquam consueto, & dudum Fidelibus usitato, ut patet: qui usus post Augustini tempora adeo communis factus est, ut superfluum sit sequentium sæculorum testes proferre. Ætate verò Gregorii Magni eundem usum invaluisse ex epistolis, & sermonibus ejus passim, & ex scriptoribus Synchronis manifestum est. Julianus Antecessor Cpolititanus, qui primus omnium Novellas Justiniani, paulo post ejus decessum, Natinas fecit, Novellam 58. sic transfert: *Siquis in domo sua Oratorium habuerit, non audeat in eo sacram facere Missam, nisi Clericos Catholicæ fidei habuerit deputatos ex iussione religiosissimi Episcopi Civitatis, vel beatissimi Patriarchæ.* Hanc sententiam ex translatione Juliani refert Ivo P. 3. Decreti cap. 191. & p. 6. cap. 424. Communis ergo apud Antiquos non solum sacros, sed & profanos scriptores, Missæ acceptio pro Christiano sacrificio fuit; & quamvis nos lateat, quis primam ea voce usus sit, liquet tamen antiquissimam esse, à Sanctis Pontificibus Pio, & Cornelio, quorum primus secuado, alter tertio seculo vixit, ac deinceps ubique ab omnibus Occidentalibus usurpatam.

II. Quia verò nomina ad abditas rerum naturas, & proprietates, quantum fieri potest, exprimendas à Sapientibus inventa sunt: res autem altissimæ, & supernaturales adeo humanum

intellectum excedunt, ut non solum nominari, sed nec concipi quidem possint; hinc factum arbitror, ut Sancti Patres ad explicandum hoc Mysterium plura vocabula excogitarint, de quibus nonnulla hic adnotanda sunt; quæ ad hanc tractationem illustrandam plurimum conferent.

Latinorum nominum primum, & usitatissimum est *Collecta*, quia colligitur in unum populus, ut sacrificio intersit: quo sensu etiam in veteri testamento *Levit. 23. & Deut. 16.* cœtus fidelium, dieque solemnnes *Collectæ* dicebantur. Tertullianus in fine libri defuga in persecut. *Sed quomodo colligemus? Quomodo Dominica solemniam celebrabimus? Postremo si colligere interdum non potes, habes noctem.* Optatus Milevit. lib. 2. *Non enim grex, aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, Basilicas, locum ubi colligerent, non habebant.* Irenæus l. 3. c. 3. *Confundimus omnes eos, qui quoquo modo, præterquam oportet, colligunt.* Augustinus in Breviculo Collationum cum Donatistis in Collatione tertiæ diei: *Constituntur se Collectam, & Dominicum egisse.* In Actis Sanctorum Martyrum Saturnini, & sociorum apud Bollandum die 11 Feb. oblatus fuisse Proconfuli dicuntur, quia contra interdictum Imperatorum *Collatam*, sive *Dominicum* celebrassent. Sed quia colligi in unum populus, & convenire solebat, non solum ad sacrificium, sed etiam ad alia divina officia peragenda, Veteres *Collectæ* nomine pro quavis solemnium conventu utebantur. Hieronymus in Epist. ad Paulam, *Post Alleluja cantatum, quo signo vocabantur ad Collectam.* In synodo S. Patricii tom. 1. Conciliorum Angliæ, *Quicumque negligentia causa ad Collectas mane, vel vesperæ non occurrerit, alienus habeatur.* De aliis hujus nominis significationibus agam commodius l. 2. cum de *Collectis* sermo erit.

Dicitur secundo *Dominicum*, ut ex locis modo citatis constat, quia nimirum maxima & præcipua functio est, quæ ex Domini institutione & præcepto in Ecclesia peragitur. Clare Cypr. ep. 63. ad Cœciliū, *Nunquid ergo Dominicum post coenam celebrare debemus, ut sic mysticū calcem frequentandi Dominicus offeramus?* & l. de op. & elemosinis: *Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ cor bonum omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venit, quæ panem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumit.* Aug. item ep. 86. versus finem loquens de sermone Pauli in Troade, *Per diem, inquit, hora Dominici fuerant congregati, hora scilicet celebrandi sacrificii.* Hinc vox illa Christi anorum quæ in actis proconsularibus S. Saturnini sæpius legitur, *Christiani sumunt*



mus, & sine Dominico esse non possumus: Dominicum cum fratribus celebravi: Non potest intermitti Dominicum. Et in Romano Martyrologio 8. Kal. Januarii multa millia Martyrum commemorantur, qui Nicomediae, cum ad Dominicum in Christi Natali convenissent, iussu Diocletiani in Ecclesia clausi, incenso igne consumpti sunt. Templum quoque, sive locus, in quo ad sacrum celebrandum Fideles conveniebant, Dominicum olim dicebatur, ut infra Cap. 19. explicabo.

Tertio, in Concilio Cartaginensi sub Celestino Papa vocatur *Agenda* his verbis, Numidius Episcopus Massylitanus dixit: In quibusdam locis sunt Presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, presente & inconsulto Episcopo cum plurimis in domo illius agent *Agenda*, quod discipline incongruum cognoscit esse *Sanctitas vestra*. Ab universis Episcopis dictum est: Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo *Agenda* in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit. Est autem hic Canon insertus Capitularibus Caroli Magni lib. 6. c. 234. & distinctius Additione 4. c. 50. Utrobique verò deditur, ne quis Presbyter inconsulto Episcopo celebret *Agendam*: *Agendam*, inquam, in singulari, non *Agenda* in neutro plurali, ut malè legitur in synodo praecitata. Anastasius Bibliothecarius in Leone II. Ne Mauri Episcopi *Agenda* celebrarent. Ritus quoque sacrificii ordinem agendi vocat Aug. ep. 118. c. 6. *Agendam* denique mortuorum passim legimus in Antiphonario S. Gregorii, & in antiquis Scriptoribus officiorum Ecclesiasticorum. Sicut enim *facere* apud sacros, & profanos scriptores significat *sacrificare*, ita ipsum sacrificium *Agenda* nuncupatur. Levitici c. 15. loquens Moyses de duobus Turturibus in sacrificium offerendis ait: *Faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum*. & cap. 23. *Facietis Hiruncem pro peccato*. Iudicum c. 13. *Faciemus tibi edum*. Plautus in Aulularia act. 4. sc. 2. *O Fides, Multa conglialem plenam faciam tibi fideliam*. Virgilius ecl. 3. *Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venio*. Cicero pro Murana, *Furo sospita cui omnes Consules facere necesse est*. Porro actio non tota *Missâ*, sed pars eius praecipua dicitur, nempe Canon, ut suo loco videbimus.

Quartum nomen est *Communio*, quod non solum pro usu Eucharistiae, sed etiam pro sacrificio quo conficitur, aliquando acceptum est: non quia necesse sit plures in *Missâ* communicare, ut ostendam, cum de *Missâ* privata agendum erit; sed quia in ea fit consecratio, & parti-

cipatio corporis, & sanguinis Christi, & ideo sine communionem esse non potest. Damascenus l. 4. de fide orthodox. c. 14. inter alias hujus divini sacrificii nuncupationes, & hanc recensens ait, „ *Communio* optimo jure appellatur, quia per „ illud cum Christo commercium habemus, ac „ carnem ipsius, & divinitatem percipimus, atque „ adeo nos inter nos communicamus, atque „ copulamur. Quia enim ex uno pane participamus, omnes unum Christi corpus & unus sanguis, & alii aliorum membra efficimur, Christique concorporei existimus. Quia igitur inseparabilis est à Sacrificio ejusdem participatio, & olim extra ipsum nemo communicabat, idcirco illi communionis nomen inditum fuit. Attingunt traditam à Damasceno communionis notionem Nazianzenus Orat. 3. Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 228. & Pachymeres ad cap. 3. *Hierarchie Ecclesiasticae*.

Quinto vocari solet *Oblatio*, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur, & immolatur, quod vocabulum communissimum est, ut ostendit Pamelius ad lib. Tertull. de cultu fornicarum cap. 11. ubi multas congerit ipsius Tertulliani, & aliorum Patrum auctoritates. Ennodius Ticinensis sub finem Apologetici Ecclesiam sic loquentem inducit; *Me, quam Dei summi templa, repudiatis Fanorum cultibus, & novae lucis nitor e gaudentem fecerunt esse conspicuam, quam à victimis liberavit Oblatio*. Ubi perspicue pro Sacrificio incruento *oblatio* accipitur, licet aliè sint ejus vocis significationes. Ita offerendi verbum pro sacrificii celebratione reperitur apud Aug. ep. 118. *Alibi nullus dies omittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico*. Et apud Optatū l. 1. *Erat altare loco suo, in quo Pacifici Episcopi suo tempore obrulerunt*. Possent & alia nomina afferre, quae *Missam* apud Latinos significant, qualia sunt *hostia, fractio panis, mysterium, latia, pignus, sanctum, mensa, pretium, bonum, gratia, & similia*: sed de his legi possunt Joseph Vicecomes l. 1. de ritibus *Missae*, Jo. Dartis de consec. dist. tract. 2. de *Euchar.* c. 19. & diffusissimè Theophilus Raynaudis in Onomastico Eucharistico.

III. A Graecis Patribus vocatur primò *Liturgia*, quae vox apud Grammaticos quodcumque publicum munus, seu ministerium denotat. Utuntur eâ in hoc sensu Plato, Aristoteles, Demosthenes, Xenophon, Isocrates, & alii profani scriptores, quorum testimonia proferunt Lexicographi Graeci. Eadè in Pandectis hac ipsa notione reperitur, l. 50. t. 6. in rescripto Marci Antonini, ac *Lucei Veri*, qui Divi Fratres nuncupantur: passimq;



in Græcis legibus *Altungesia* pro immunitate à publicis muneribus occurrit. Apud Christianos autem ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis consuetudo invaluit, ut pro sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini accipiatur: nulla siquidem functio est, nullum ministerium magis publicum, quam actio Sacerdotis Deo sacrificium offerentis. Actuum 13. vox illa *Ministrantibus illis Domino* græcè est *Liturganton*, quod quidem ministerium nihil aliud fuisse creditur, quam sacrificium, atque idèd Textum illum sic vertit Erasmus, cum illi Domino sacrificarent. Hinc translatum Liturgiæ nomen ad ipsum contextum, & ordinem sacrificii, cum dicimus Liturgiam Jacobi, Basilii, Chrysostomi. Observat tamen vir eruditus Vincentius Riccardus in comment. ad Proclum de traditione Missæ, quod, quando Patres vocem Liturgiæ pro sacrificio usurpant, semper Epitheton *sacræ*, vel *mysticæ* adjungunt.

Secundò, à S. Dionysio c. 1. Eccles. hierarchiæ *Mystagogia* appellatur, quæ idem est, ac secreta actio, divina participatio, introductio ad mysteria; unde *Mystagogicæ* dictæ sunt Catecheses quinque Cyrilli Hierosolymitani, in quibus differit de hoc sacrificio. Nazianzenus Orat. 17. ad Cives suos, alloquens Præfectum illis iratum, Eodem inquit ore, quo hanc ad te deprecationem orabo, sacrosantum Mysterium perago in cælum nos tollens: ubi græcè est *Mystagogia*. Damascenus etiam Orat. de Defunctis, ait eos juvari *Mystagogiis*, id est sacrificiis.

Tertiò idem Dionysius initio cap. 3. ejusdem libri *Synaxis* nominat, hoc est collationem, quia nos in Christo simul adunant, & in iis, qui eadem mensa fruuntur, divinam efficit morum similitudinem, animum colligens & reducens in unum, ac Deo conjungens. Quamvis autem alii Patres hac voce uti soleant pro quacumque Fidelium congregatione, sive ad Orationem, sive ad Psalmodium, sive ad audiendum verbum Dei, ut ex Cassiano constat lib. 2. cap. 10. & coll. 2. cap. ult. Dionysius tamen eam semper adhibet ad denotandam Liturgiam; imò Pachymeres in Paraphrasi cum utramque notionem adducat, hanc solam probat, aliam rejiciens tanquam nimis humilem, & ingenio Dionysii indignam. *Synaxis*, inquit, minime intelligenda populi congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, sed cum Deo conjunctio, communitioque.

Quartò ab eodem ibidem *Telete* nuncupatur. Est autem *Telete* Lexicographis initiatio, consecratio, perfectio. Suidas ait esse sacrificiū myste-

riorum plenum, maximum & honoratissimum. Synesius in fine epist. 58 de hoc Sacramento loquens *Arcanum mysterium* vocat, græcè *Teleten*. Plato in Phædone *Telete* vocat cœremonias, & 2. de Rep. *Expiationes*. Apulejus propè finem lib. 11. describens ritum quò Sacerdotio, more Ethnicorum, initiatus fuit, *Mibi*, inquit, *prædicat que forent ad usum Telete necessario præparanda*. Et infra, *Inopinatis, & usquequaque mirificis imperiis rursum interpellor, & cogor tertiam quoque Teletam suscitare*. Lucianus Samosatenui Christum blasphemans in Dialogo de morte Peregrini ait, ipsum cruci affixum fuisse ob institutam novam *Teleten* novum scilicet mysterium, novum Sacrificium, novam Religionem. Augustinus lib. 10. de Civitate Dei cap. 9. de Teletes agit, magicis nimirum consecrationibus, quibus impius Porphyrius docebat aptam fieri animam susceptioni spirituum, & divinæ visioni. Vera autem notio, ad quam respexit Dionysius, cum hoc nomen sacrificio tribuit, est perfectio, & consummatio; quia in illo Christus offertur fons totius perfectionis: vel quia functio perfectissima est Christianæ Religionis, vim habens perfecticam, quæ carent cætera Sacramenta, quibus proindè nomen *Telete* nullo modo convenire potest, nisi istud acceperit tanquam ultima perfectio & consummatio. Quæ de causa confuevit Ecclesia reliqua Sacramenta conficere, & administrare vel intra Missarum solemnias, vel saltem coram Eucharistia, quæ idcirco *Omnium Teleton Telete* dicitur, quia omnibus mysteriis & Sacramentis supremam veluti manum imponit, eisque vim & sanctitatem largitur.

Quintò dicitur *Anaphora*, elevatio, sursum elatio: sive ut Hesychius Christianus Lexicographus explicat, supplicatio & invocatio. Hoc nomine inscribitur sancti Basilii Liturgia ab Andrea Masio è Syriaco idiomate in Latinum translata. Dicitur autem *Anaphora*, quia sacrificium sursum ad Deum fertur: vel quia Sacerdotis & assistentium corda ad eundem attollit. Nam si omnis oratio est ascensio mentis in Deum, multo potiori ratione hoc sacrificio convenit, quod Actum habet nobilissimum latræ, & genus orandi perfectissimum. Optime hoc expressit Anastasius Sinita Orat. de Synaxi. *Stare obsecro cum reverentia, stare cum timore tremendâ illa elevationis horâ. Quo enim affertur, & quo animo quisque illo tempore assistit, sic & ad Dominum sursum fertur. Anaphora enim dicitur quia sursum ad Deum fertur*. In Liturgia Basilii Diaconus dicit,



timore, attendamus ad Sanctam oblationem; græcè anaphoran in pace offerendam. In fine item Psalmi 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationem, græca versio LXX. legit Anaphoran.

Sexto dicitur Prospora, quæ vox latinè oblationem significat, de qua supra actum est. Loca Sanctorum Patrum, à quibus Prospora pro sacrificio accipitur, multa congerit Riccardus in comment. ad Orat. 6. Procli pag. 242. Ego unum afferam Eusebii Casariensis lib. 6. hist. Eccles. cap. 43. de juramento, quod Novatus extorquebat à suis, ne redirent ad Cornelium. Oblatione facta, inquit (græcè habetur Prospora) portionem singulis dividens, dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens, quam juratista dixerint; ipsis enim utar illius verbis: Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum.

Septimo Epiphanius Hær. 75. Oeconomie nomine utitur pro sacrificio, idemque est apud illum facere economiam, ac sacrificium offerre, ut scitè notat Billius in scholiis ad Jambicum XV. Nazianzenii n. 25. Scio quidem hanc vocem frequenter à Patribus usurpari ad exprimendum Incarnationis mysterium, ut à Tertull. adv. Praxeam c. 23. ab Athanasio Orat. 3. à Clemente Alex. lib. 5. Strom. à Cyrillo sepe in libris de Incarnatione, ab Anastasio Sinaita in Odego c. 2. & ab aliis, sed ob summam connexionem Incarnationis cum Eucharistia, pro hoc quoque mysterio non incongruè accipitur, in quo teste Damasceno lib. 4. de Fide orth. c. 14. omnis Dei charitas & suavitas exhibita nobis est, quæ splendet in Incarnatione. Ideo Eusebius lib. 8. Demonstr. Evangel. dixit tradidisse Christum discipulis suis symbola divinæ Oeconomie. Est autem Oeconomia provida rei administratio, ad aliorum commodum & utilitatem ordinata, quæ tam in Incarnatione, quam in Eucharistia institutione mirabiliter eluxit.

Alia à Græcis divinæ Liturgiæ tributa nomina (qualia sunt Hierurgia, Eulogia, Agathon, Mysterion, Latria, Dipnon, Telaion, & similia, quæ latinè sunt Actio sacræ, Benedictio, Bonum, Mysterium, Culus, Cœna, Perfectio, supracitati Auctores Viteccomes, Darts, & Raynaudus suppeditabunt.

IV. Consigno hoc caput variis appellationi-

bus, quibus vertustissimus Latinorum Tertullianus hoc sacrificium, sive Eucharistiam circumscribit, licet interdum obscure, ne arcana mysteria infidelibus & indignis proderentur. Apologetici c. 39. *Edam jam nunc ego ipse negotia Christiana factionis. Corpus sumus de conscientia Religionis, & discipline unitate, & spei sœdere. Coimus ad Deum, coimus ad literarum divinarum commemorationem: summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus, & omni sancti commercii relegatur.* Et infra cœnam Christianorum sive Agapen supra commemoratam eleganter describit. Rectè autem hoc caput, ut notat Pamelius, ab omnibus penè inscribitur; *De disciplina Christianorum*, in quo Missa describitur, qualis tunc in Africa agebatur. Cœtus enim præcipuè cogebantur propter sacrificium, cui lectio Scripturarum, & peccatorum, ac poenitentium exclusio annexæ erant. Mysteria autem ante Agapen celebrata haud obscure indicat Apostolus ep. 1. ad Cor. c. 11. in eodem Apologetico c. 30. Postquam dixit, Christianos orare pro Imperatoribus atque ipsis precari quæcumque hominis vota sunt, ait: *Hæc ab alio orare non possum, quamâquo scio me consecuturum, quoniam & ipse est, qui solus præstat, & ego famulus ejus, qui cum solus observo, qui ei offero optimam, & majorem hostiam (majorem scilicet quam Gentes offerrent) quam ipse mandavit.* Non ignoro huic locum aliò detorqueri à Centurionibus, sed lib. ad Scapulam cap. 2. disertè meminit sacrificii dicens, *Itaq; & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, sed quo modo præcepit Deus, pura prece.* Addit autem puram precem, sicut & in Apologetico addit, *orationem de carne pudica*, non quod de solo precum sacrificio loquatur: verum quia nostrum sacrificium Ethnico opponit, in quo reprobi Bovis sanguis immolabatur; non enim, inquit, eget Deus conditor universitatis odoris, aut sanguinis alicujus: hæc enim demoniorum pabula sunt. Nos verò prece pura Deo sacrificamus, quia nostrum sacrificium incruentum est, solisq; precibus & invocationibus perficitur, lib. 2. ad uxorem c. 4. agens de muliere fideli viro infideli nupta, ait: *Quis uxorem suam nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, à latere suo adimi libenter seret? Quis solemnibus Paschæ abnœctantem securus sustinebit? Quis ad convivium illud Dominicum, quod insamant, sine sua suspitione dimittet?* Et infra cap. ult. felicitatem prædicat matrimonii Fidelis cum Fideli, quod *Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat bene*



benedictio. Simul orant simul jejunia transigunt in Ecclesia Dei pariter utriusque, pariter in convivio Dei: elemosynae sine tormento, sacrificia sine scrupulo. l. 2. de cultu foeminarum c. 11. Vobis, ait, nulla procedendi causa non terrena. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. Quidvis horum gravitatis & sanctitatis negotium est. Lib. de Anima c. 17. adversus Academicos disputans non esse in dubium sensus devocandos docet, ne & in Christo de fide eorum deliberetur: ne forte dicatur, quod deceptus sit, & alium postea senserit vini saporem, quod in sanguinis sui memoriam consecravit. Quod autem hic obscurius loquitur, clarius explicat lib. 4. adv. Marcionem c. 40. dicens: Sanguinem suum in vino consecravit. Et paulo ante jam dixerat: Acceptum panem, & distribuendum discipulis, corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Quomodo autem haec verba Catholicum sensum habeant, ita ut in Sacramento sit simul veritas, & figura corporis Christi; atque unum alteri non repugnet, ostendunt Pamelius in Notis, Bellarminus lib. 2. de Euchar. c. 7. Eadem phrasi usus est Tertullianus l. 3. contra eundem Marcionem c. 19. Nam cum iste impie assereret, corpus Christi phantasticum fuisse, eum redarguit Tertullianus ex eo, quod Christus Eucharistiam instituit tamquam figuram corporis sui, corporis scilicet veri, & non phantastici in cruce postea immolandi. Eodem modo loquendi usus est Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 1. cum dixit filium Dei esse figuram substantiae Patris, cum quo tamen stat eum esse Patri consubstantialem. Ipse vero Tertullianus mentem suam clarius explicat infra l. 5. c. 8. dicens: Panis & calicis Sacramento jam in Evangelio probavimus corpus, & sanguinis Domini veritatem adversus phantasma Marcionis. Lib. de orat. c. 6. Christus panis noster est, quia vita Christus, & vita panis. Tum quod & corpus ejus in pane censetur: Hoc est corpus meum. Et propè finem expressè disserit de ritu orandi, de osculo pacis, de orationibus sacrificiorum, de Stationibus, & de sacrificii participatione. Rursum lib. de Anima cap. 9. falsas Priscille revelationes commendans, postquam defecerat ad Montanum; Est hodie, inquit, Soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solennia per ecstasim in spiritu patitur. Prout Scripturae leguntur, aut psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiae visionibus subministrantur. Post transacta solennia demissa

plebe solet nobis remonciare quae viderit. Porro hic exactam eorum omnium, quae etiam nunc in Missarum celebratione aguntur, periphraim habemus; lectionem scripturarum, cantum psalmodorum, adlocutiones, cum Sacerdos populum salutatur, docet, hortatur; petitiones in Collectis, & aliis orationibus, ac demum in fine populi dimissionem. lib. de Resurrect. carnis cap. 8. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Et infra ejusdem mysterii meminit cap. 26. & 37. lib. de praescript. cap. 36. nonnulla recensens, quae docebat Romana Ecclesia; inter caetera ait: Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem: eam aqua signet, S. Spiritu vestit, Eucharistia pascat. l. de Corona cap. 3. agens de traditionibus, quae sine scripto in Ecclesia servantur, Eucharistiae, inquit, Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam ante lucanis caeteribus, nec de aliorum manu quam praesidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Omitto alia, ut cum lib. de Pudicitia c. 9. nos vesci ait opimitate Domini corporis, scilicet Eucharistiae: Et cum lib. de Idololatria cap. 7. ingemit Christianum, eas manus admoveere corpori Domini, quae Daemonii corpora conferunt: & his similia plura. Libuit autem ex hoc potissimum scriptore allegata testimonia sumere, quod magis ponderis ejus auctoritas sit ad probandas divinas & apostolicas institutiones.

## CAPUT IV.

Missae sacrificium à Christo institutum, ab Apostolis frequentatum. Ethnicorum calumnie adversus Christianos, & earum origo. Testimonia veterum Patrum de primitiva Ecclesiae sacrificiis.

I. **C**hristus Redemptor noster, immutabile habens sacerdotium, ut ait Cyrillus Hierosolymit. Cathec. 10. neque sacrificio oleo unctus, sed ante saecula à Patre, ipse per seipsum novae legis, quam condidit, sacrificium instituit infinitae suae erga nos charitatis indicium: idque adeo evidenter astruunt Matthaeus, Marcus & Lucas Evangelistae, ut nefas sit viro Christiano hoc Fidei dogma in dubium revocare. Ipse enim Dominus, ut scitè Paulinus scribit epist. 5. ad Severum, Hostia omnium Sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima Sacerdotii sui, & Sacerdos suae victimae fuit. Cujus institutionis rationem red-



reddens B. Laurentius Justinianus sermone de Euchar. cap. 7. ait: *Ad roborandam fidelium crudelitatem nullum præter se fieri voluit huius Sacramenti institutorem: Non Prophetam, non Patriarcham, non Justum, non Angelorum quempiam, sive de inferioribus, sive de medijs, sive de superioribus. Ipse plane illud instituit, qui semetipsum tradidit, cuius eloquia verissima sunt, cuius sapientia falli nullatenus potest, cuiusve sententia mutari nequit, ipso perhibente qui ait: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Nulla igitur humanis mentibus inesse debet infidelitatis ambiguitas, quando Deus solus istud perficit mysterium. Ideo Christus Teletarchus Magni Dionysii voce cap. 1. cœl. hier. nuncupatur, quia ab ipso prima ratio initiandi primisque ritus celebrandi profluxit; cum in ultima cœna se ipsum obtulit Deo Patri sub specie panis, & vini: idemque fieri iussit ab Apostolis, eorumque successores usque ad mundi consummationem, Hoc facite, inquit, in mei commemorationem.*

II. Christi verò mandata non neglexerunt Apostoli, nam ut scribit in eorum Actis cap. 2. S. Lucas, *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis.* Et infra cap. 20. *Una sabbatorum eum convenissent ad frangendum panem;* ad Sacramenta scilicet, & mysteria celebranda, ut exponunt Augustinus epist. 88. ad Casulanum, Beda in Commentariis citati capitis, & alii Patres passim. Paulus quoque 1. ad Cor. 11. sic scribit. *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cenam manducare. Et paucis interjectis, à Christo sacrificium institutum narrat dicens: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in meam commemorationem. Idem ad Timotheum epist. 1. capite 2. Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Quem locum ad sacrificium Missæ aptissime refert Augustinus epist. 59. ad Paulinum quæst. 5. dicens: *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, ut preces accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes, cum benedicitur; & sanctificatur, & ad distribuendum committitur, quam totam petitionem serè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Interpellationes autem, sive ut nostri Codices habent, postulationes sunt, cum popu-**

*lus benedicitur. Tunc enim Antistites veluti Advocati susceptos suos per manus impositionem misericordissime offerunt pietati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Hæc Augustinus, ex cuius expositione evidentissime colligitur, talem ejus ævo fuisse ordinem Missæ, qualis nunc permanet in Ecclesia Romana, quæ cum Africanâ tunc contesseravit, ut loquitur Tertullianus, de Præscript. cap. 36. Nam primò præmittuntur preces usque ad Canonem: sequitur Canon, quem nomine orationis intelligit Augustinus, in cuius fine oratio Dominica recitatur. Tum meminit benedictionis Episcopalis, quæ olim communioni præmitti solebat. Demum post communionem gratiarum actione Missarum solemniter terminantur. Omnes autem Apostolos ad modum, & ritum Sacri Ministerii aliquid contulisse, testatur Epiphanius Hær. 79. Petrus inquit, & Andreas, Jacobus, & Joannes, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, Thaddæus, & Jacobus Alphaei, & Judas Jacobi, & Simon Cananeus, & Matthias in complementum duodecim electus, hi omnes electi sunt Apostoli per orbem sacram Evangelii functionem administrantes, una cum Paulo, & Barnaba, ac reliquis, & mysteriorum institutores cum Jacobo fratre Domini, & primo Hierosolymorum Episcopo. Mysteriorum autem nomine sacrificii celebrationem intelligi supervacue hic probare conarer. Idem tradunt Nicolaus Methonensis, Tract. ad eos qui hæsitant, & Cabasila in Expositione Liturgiæ cap. 29.*

III. Huc pertinent adversus Christianos Ethnorum calumniæ ob coetus antelucanos, & occulta conventicula, unde natio latebrosa, & lucifugax dicta apud Minutium Felicem. Et quia aliquid sub obscure perceperant de Sacramento corporis, & sanguinis Christi, accusabant eos de cæde infantis, & epulis Thyestæis. Dicimur sceleratissimi, ait Tertullianus Apolog. c. 7. de Sacramento infanticidii, & pabulo, inde & post convivium incesto. Cæcilius apud Minutium: *Infantis sanguinem sitienter lambunt, huius certissim membra disperunt, hæc fœderantur hostia.* Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone: *An vos etiam de nobis creditis, homines nos vorare, & post epulum lucernis extinctis nefario concubitu promiscue involvi?* Athenagoras in Apologia pro Christianis: *Trium flagitiorum infans rumor de nobis spargitur, impietas quæ Deos tollat, epulæ Thyestæe, concubitus incesti.* Idem obiectum à Tyranno Martyribus Lugdunensibus ex illorum



rum Aëtis didicimus apud Eusebium initio lib. 5. Eccles. historiae. Theophilus ad Autolyicum lib. 3. *Istud præterea, & crudelissimum, & immanissimum est, quod nobis intendant crimen, nos humanis carnibus vesci.* Quæ profecto calumnia ex eo est orta, quod Christiani metu persecutionis clam convenirent, ut Missæ interessent, & Christi corpore reficerentur. Promiscui autem concubitus hinc fortè nata suspicio, quod utriusque sexus Fideles *antelucanis coitionibus*, ut ait Minutius, congregarentur, quæ prima fuit Celsi Epicurei adversus Christianos criminatione, teste Origene lib. 1. adversus eundem: vel quia per osculum pacis se invicem ante communionem salutabant. Ideo Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 4. non passurum ait maritum gentilem uxorem fidelem cum cæteris Fidelibus aquæ, & vini; quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Sp. Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus, qui adest omnis fausta approbatione acclamat dicens, Amen. Amen autem voce hebræâ Fiat significat. Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreciatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri distribunt unicuique præsentium, ut particeps eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum, & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit viventi. Non enim, ut communem panem, & communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus servator noster, & carnem, & sanguinem salutis nostræ causâ habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem, & sanguinem esse docti sumus. Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto cum gratias egisset dixisse: Hoc facite in mei recordationem, Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratias actis dixisse: Hic est sanguis meus: ac solis ipsis ea tradidisse. Hæc Justinus, qui post pauca ait die Solis, hoc est, die Dominica, fieri omnium conventum, legique scripta Apostolorum, & Prophetarum; tum ab

est secundum nos, suam sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. S. Laurentius apud Ambrosium lib. 1. 0. c. cap. 41. dicebat Sixto: Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Justinus Martyr, qui Apostolorum temporibus proximis fuit, circa finem Apologiæ 2. pro Christianis sic divinæ Liturgiæ seriem describit. Nos preces, & supplicationes fundimus, ut digni idoneique simus, qui veritate agnita per opera etiam ipsa boni, atque officiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inventiamur, atque ut salute salvemur sempiterna. Finitis verò precibus, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei qui fratribus præest, offeritur panis, & poculum aquæ, & vini; quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Sp. Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus, qui adest omnis fausta approbatione acclamat dicens, Amen. Amen autem voce hebræâ Fiat significat. Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreciatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri distribunt unicuique præsentium, ut particeps eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum, & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit viventi. Non enim, ut communem panem, & communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus servator noster, & carnem, & sanguinem salutis nostræ causâ habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem, & sanguinem esse docti sumus. Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto cum gratias egisset dixisse: Hoc facite in mei recordationem, Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratias actis dixisse: Hic est sanguis meus: ac solis ipsis ea tradidisse. Hæc Justinus, qui post pauca ait die Solis, hoc est, die Dominica, fieri omnium conventum, legique scripta Apostolorum, & Prophetarum; tum ab



eo qui praesidet, orationem haberi, qua populum instruit, & ad imitationem eorum quae lecta sunt adhorratur. Post haec confurgere omnes, Deumque precari, offerri deinde panem, vinum, & aquam, & reliqua fieri, quae supra commemoravit. Opratus Milevitanus lib. 1. meminit Ecclesiae & altaris, in quo Cyprianus, Lucianus, & alii sancti Episcopi celebraverant. Dionysius cap. 3. *Eoel. hier.* postquam magnificis verbis salutaris hostiae oblationem, & sacrificii excellentiam extulit, Pontifex, inquit, de sacrificio dignitate suam superante se purgat, Christum prius exclamando: *Tu dixisti: Hoc facite in meam commemorationem.* Cyprianus epist. 63. ad Caecilium, quosdam reprehendit, qui in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando non hoc faciunt, quod Iesus Christus Dominus, & Deus nosster sacrificii huius auctor & Doctor fecit, & docuit. Eusebius lib. 1. *Demonstr. Evang. cap. 10.* postquam multum disseruit de sacrificio à Christo instituto, tandem concludit, nos sacrificare memoriam celebrantes magni illius sacrificii, secundum mysteria, quae ab ipso tradita sunt. Ambrosius in precatone ante Missam: *Ego Domine,* inquit, *memor venerandae passionis tuae accedo ad altare tuum, licet peccator; ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri praecipisti in tua commemorationem pro salute nostra.* Augustinus lib. 83. quaestionum quaest. 61. *Sacerdos nosster in aeternum secundum ordinem Melchisedech seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & eius sacrificii similitudinem celebrandam in sua passionis memoriam commendavit, ut illud, quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.* Possem hic longum sanctorum Patrum Catalogum texere, assentientium sacrificium nostrum à Christo ad Apostolos, ab istis ad nos profluxisse; sed nolo in re clara & indubitata nimiam prolixitate gravare lectorem.

## CAPUT V.

*Quo tempore, & quo loco prima Missa ab Apostolis celebrata sit. Quis ex illis primus omnium celebraverit. Quo apparatu, quibus vestibus, quibus verbis, qua lingua. Addita quadam de linguarum mutatione. Cur lingua vulgo ignota Ecclesiastica functiones peragantur.*

I. **Q**uia Christus in ultima Coena, qua corporis & sanguinis sui tremendum sacrifici-

um instituit, omnes Apostolos Sacerdotio initiavit, triburà eis consecrandi potestate, ut unanimi consensu Sancti Patres & Theologi asseverant: hinc orta est controversia, quandonam coeperint tradita sibi facultate uti, statimne ac Dominus à morte redivivus surrexit, an post adventum Spiritus Sancti. Silent de hac re Scriptura, silent antiqui Patres: vulgus autem Scriptorum in duas partes scissum est. Quidam putant, abstinuisse Apostolos à celebratione in triduo Passionis utporè moestos de nece sui Domini, & dispersos sicut oves absque pastore; depulsa verò incoertitià per gaudium Resurrectionis nihil obstitisse, quin illico Sacrum peregerint, ut hunc supremum cultum redderent Deo, sive in gratiarum actionem pro gloriosa Magistri à mortuis Resurrectione, sive in memoriam acerbissimae mortis ejus, sive pro sua, aliorumque Fidelium consolatione: idque fervidus eorum zelus, amorque ardentissimus, & aliae quaedam congruentiae, quas affert Raynaudus lib. de prima Missa sect. 1. cap. 2. persuadere videntur. Alii existimant, nequaquam ausos fuisse tam sublime ministerium aggredi, donec ad illud disponentur divinae gratiae plenitudine, qua in adventu Spiritus Sancti imbuti sunt. Et haec quidem sententia probabilior mihi videtur, cujus praecipuum momentum ex eo deduci puto, quod, ut affirmant melioris notae Theologi, adhuc lex antiqua usque ad Pentecosten vigeat, novà nondum sufficienter promulgatà; nec decebat novum offerri sacrificium, Sacerdotio nondum translato. Favent Actus Apostolorum, in quibus cap. 2. legimus, Apostolos accepto Spiritu Sancto hortatos esse populum ad poenitentiam, continuoque subdunt, fuisse eos *Perseverantes in communicatione fractionis panis, & orationibus:* cumque eadem verba ante descriptam missionem Spiritus Sancti Lucas cap. 1. dixisset, nullam facit mentionem fractionis panis, sed *erant,* inquit, *perseverantes unanimiter in oratione, & observatione;* quia nimirum ante Pentecosten nondum erat usus Sacrificii, & Communionis. Suffragatur huic sententiae Helychius in cap. 9. *Leviticis,* dicens, Christi sacrificium innotescere capisse ex quo Spiritus adveniens Partbos & Medos, & Elamitas, & omnium gentium primitias ad Apostolorum Coenaculi superiora collegit. Consentit quoque Palchafius lib. de corp. & sanguine Domini cap. 21. *Ex quo,* inquit, *renovari sunt sancti Apostoli per adventum sancti Spiritus de Coelis, & inebriari muto Charitatis; ex eo sanè credimus hunc calicem*



calicem in Ecclesia consecratum, quoniam ille spiritus veritatis, in quo renovati sunt ex vestitate, induerat eos in omnem veritatem, & confirmaverat in plenitudinem Doctrinae. Primum igitur Christianae Ecclesiae sacrificium Hierosolymis peractum est, in ipsomet Coenaculo, in quo Spiritum Sanctum acceperant, non à Jacobi Fratre Domini, ut lib. de Apost. Liturgia existimat Genebrardus; sed à Petro Principe Apostolorum, ut scribit Demochares, Tom. 2. de Missa, cap. 5. Nemini enim convenientius hæc prerogativa tribui potest, quam Petro. Quoniam, ut verbis utar S. Leonis Magni Serm. 3. in sua Assumpt. omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus Christus præposuit, cui consortium potentiae suae tribuit divina Dignatio. Rectè Asterius Amasenus Hom. in Principes Apostolorum: Sicut Petrus primus omnium Gentibus ac Israelitis tanquam Episcopus & Pastor omnium predicavit; ita credendum cum primum sacrificium obtulisse.

II. Quis verò qualisve fuerit primi hujus sacrificii apparatus, incertum est; vixque aliud dici potest, quam omnia decentissimè composita, & ornata fuisse, quantum loci, temporis, personarumque conditio, atque aliae circumstantiae permittebant. Succensa lumina non defuisse credibile est, illorum enim usus in Sacris apud Hebraeos vigeat, quibus jusserat Deus Exodi 25. & Levitici 24. aureum Candelabrum in templo fieri, & lucernas septem. Adhibitam quoque vestem à profana, & communi distinctam, quamvis negent Hugo Victorinus lib. 2. de officiis Eccles. cap. 11. & Walfridus Strabo c. 24. consentaneum videtur Apostolicae pietati, & reverentiae erga tantum mysterium, cum praesertim ante oculos haberent Sacerdotum Legalium exemplum, imò & Gentilium, quibus in sacrificiis vestis erat peculiaris. Planetæ S. Petri ab Antiochia Parisios delatae, & in templo S. Genovefae collocatae meminit in vita S. Hugonis Cluniacensis alter Hugo ejusdem Monasterii Monachus apud Surium die 29. Aprilis. Sacram item vestem S. Johannis Evangelistae Gregorio Magno transmissam refert Joannes Diaconus in ejus vita l. 3. c. 59. Sunt & aliae quaedam historiae de vestibus Apostolorum, quibus in oblatione divini sacrificii usi fuisse dicuntur, quarum dubia est fides, tum propter antiquitatem, tum propter Vet. de illis silentium. De Penula Pauli Troade relicta, quam Planetam sive Casulam fuisse plerique existimant, sermo erit infra capite XXIV. Puto autem hic locum habere regulam traditam ab Augustino lib. 4. de Baptifino cap. 24. Quod

universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. Audacius igitur quàm par esset Nicolaus Alemannus in Dissertatione de parietinis Lateranensibus capite 9. sacrarum vestium usum non solum Apostolis, sed etiam Apostolicis viris abnegat; idque ait explodendum esse tanquam ridiculum, & ab omnibus viris doctis improbari. Nimia propterea audacia. Nemo enim negabit viros doctos fuisse Valdensem, Democharem, Baronium, Stapletonium, Saussayum, & alios contrariae sententiae assertores. Fatemur quidem, Christum non aliis quàm propriis vestibus indutum hoc Sacramentum instituisse: Apostolis verò, & Apostolicis viris sacra indumenta auferre non potest, nisi simul ostendat à quo primum fuerint introducta, alioquin regulæ ab Augustino traditæ, & Concilio Tridentino advertabitur, à quo sess. 22. cap. 5. inter cætera, quæ pia Mater Ecclesia sacrificio adhibet ex Apostolica disciplina & traditione, vestes recensentur. Honorius in Gemma animæ cap. 89. Apostolos ait, & eorum successores in quotidianis vestibus Missas celebrasse: mox subdit, Sed Clemens tradente Petro Apostolo usum sacrarum vestium ex lege sumpsit, & Stephanus Papa in sacris vestibus Missas celebrari constituit. At hæc quis non videt alystata esse? Nam si tradente Petro usus sacrarum vestium sancitus est, quomodo Apostoli, & eorum successores, Apostolorum Principis traditionem seu præceptum neglexerunt in quotidianis vestibus celebrantes? Stephanus autem id tantum de crevisse dicitur, ne ministri vestes sacras ferrent extra Ecclesiam. Joseph Vicecomes, ut probet, Apostolos profanis indutos vestibus sacrificasse, nascentem Ecclesiam summa rerum inopiâ laborasse, & pecunia caruisse ait, quæ vestes peculiare ad usum sacrificii compararet: tum inquit, Gentiles id nequaquam permissuros, quorum perfectioni se palam exposuissent, si diversa à communibus vestimenta in Sacris abhibuissent. Sed istæ objectiones suo vitio cadunt. Ex Actibus siquidem Apostolorum constat, eos qui ad Christum convertebantur prædia vendidisse, eorumque pretium Apostolis obtulisse, quo abundè poterant & egenorum necessitatibus providere, & vestes ac reliqua emere, quæ ad sacrificii usum requirebantur. Nec illis Christi discipulis, quos Evangelium divites, & potentes vocat, pietatem defuisse credimus ad emendas vestes Apostolis incrementum Sacrificium offerentibus, qua



quæ prius moti fuerant ad pretiosa aromata comparanda, quibus corpus Christi mortuum ungeretur. Quod verò de Gentilibus addit, inane est: non enim publicè Sacris operabantur Apostoli, sed in locis ab infidelium noticia remotis, servata ab omnibus inviolabilis silentii fide, sine testibus, sine arbitris. Unde est illud Tertulliani in Apologetico cap. 7. *Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? Imò à quibus proditi ponit? Ab ipsis enim reis. Non utique, cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia? Cum semper etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris careant. Nihil igitur obstat, quin Apostoli sacris vestibus uti potuerint: quod verò usi sint, pietas eorum & erga augustissimum ministerium reverentia evincit. Et si aliquando communibus indumentis uti instans necessitas coegit, non aliis sanè quam illis, quæ tunc honestiora habebantur. Nec improbabile puto, quod quædam ex illis in sacros usus translata, & quodammodo sanctificata fuerint, quibus propterea profani homines ad fidem conversi, uti deinceps, ob divini sacrificii reverentiam, desierint.*

III. His præmissis de primæ Missæ apparatus, disquirendum nunc est, quibus verbis, sive qua formula Apostoli Sacrum peregerint; de qua re duas invenio veterum Patrum sententias inter se discrepantes. Nam Gregorius Magnus lib. 7. ep. 63. morem Apostolorum fuisse scribit, sola oratione Dominica oblationis hostiam consecrare; additis procul dubio verbis Consecrationis. Honorius item in Gemma animæ capite 86. *Missam, inquit, Dominus Jesus instituit, quando ex pane & vino corpus & sanguinem suum fecit, & memoriam sui suis celebrare præcepit. Hanc Apostoli auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt. Clariùs idem expressit Walfridus Strabo capite 22. de rebus Ecclesiasticis. Quod nunc agimus multiplici orationum, cantilenarum, & consecrationum officio, totum hoc Apostoli & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Et relatio Majorum est, ita primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Paschæ, in quo die apud Romanos Missæ non aguntur, communionem facere solemus, id est præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit commemoratione passionis ejus adhibita, eos Corpori Dominico communicasse & Sanguini, quos ratio permittebat. E contrario Proclus*

Constantinopolitanus in libello de traditione divinæ Liturgiæ sic loquitur. *Salvatore nostro in cælis assumpto, Apostoli antequam per omnem terrarum orbem dispergerentur, conspirantibus animis convenientes ad integram orandum diem convertebantur: & cum multam consolationem in mystico illo Dominici Corporis sacrificio positam reperissent, fusissimè longoque verborum ambitu Missam decantabant: id enim pariter ac docendi institutum cæteris rebus omnibus, tanquam præstantius anteponendum existimabant. Maxima sanè cum alacritate plurimoque gaudio huic divino Sacrificio tempus insumentes instabant impensè, jugiter memores illorum verborum Domini dicentis, Hoc est corpus meum. & Hoc facite in meam commemorationem, & Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quocirca & contrito spiritu multas preces decantabant impensè divinum implorantes Numen. Chrysostomus quoque Hom. 27. in primam ad Cor. idem affirmat. Cum sacras illas cenas accipiebant Apostoli, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur & hymnos? nonne in sanctas vigiliis? nonne in longam illam doctrinam & multæ philosophiæ plenam? Hæ sunt in speciem dissidentes Patrum sententiæ, quæ facile conciliari possunt, si dixerimus, Apostolos utramque formulam & brevem & prolixam diversis temporibus adhibuisse: brevem quidem cum temporis angustia, vel persequentium metu premebantur: prolixam verò cum per tempus & occupationes licebat. Credo autem, ab initio brevissimum fuisse Liturgiæ ritum, ita exigente primæ Christianitatis inter procellas adversantium nascentis conditione: postea verò crescente Fidelium numero cæperunt Apostoli lectiones, preces, ceremonias adicere, quibus & sacrificii dignitas clariùs elucesceret, & major ipsi veneratio conciliaretur, pietasque Fidelium ac fervor magis accenderentur: exemplo nimirum veteris Testamenti, in quo plures à Deo ceremonias institutas sacræ Literæ nos docent.*

IV. Superest nunc alia difficultas explananda, quæ linguâ Apostoli celebraverint. Joannes Echius lib. 2. de sacrif. Missæ cap. 2. nullo adhibito teste ausus est diffinire, Missam non nisi Hebraicè actam tam ab Apostolis quam ab eorum Successoribus usque ad tempora Adriani Imperatoris: & tunc demum cœpisse Ecclesiam lingua Græca in Sacris uti. Sed huius sententiæ nullum reperio apud Veteres fulcimentum; multa autem habeo, quæ ipsam convellant. Secundo



Secundo, enim labente sæculo, quo vixit Adrianus, jam fides nostra in varias regiones propagata erat. Apostoli autem donum linguarum à Spiritu sancto acceperant; ut fidem, ejusque mysteria singulis gentibus proprio cujusque idiomate predicarent & docerent, non exotico, & præsertim Hebraico, quod tunc temporis nec vulgo quidem Hebræorum notum erat. Deinde Jacobus Liturgiam suam græcè scripsit: hanc autem legitimum illius Apostoli fœrum esse suo loco ostendemus. Paulus item de publicis Ecclesiæ precibus ad Corinthios scribens, *Si benedixeris, inquit, Spiritu, qui supplet locum idiotie quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit?* Hæc autem verba S. Thomas & alii ita interpretantur, ut velint, Apostolum loqui de sacrificio Missæ, & nolle ipsum agi sermone prorsus ignoto & peregrino; qualis tunc erat Hebraicus Corinthiis & aliis nationibus. Asserendum itaque videtur, Apostolos eorumque Successores eo idiomate in singulis regionibus usos, quod tunc illis commune & vernaculum erat: & ita Hierosolymis Chaldaicè; Antiochiæ verò, Alexandria & in aliis Græcorum Civitatibus Græcè, Romæ autem & in toto Occidente latinè celebrasse. Nititur hæc mea assertio antiquissimæ & immemorabili Ecclesiæ consuetudini: in Occidente enim non inveniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Latinæ: In Oriente verò quamvis multæ diversarum linguarum nationes sint, quæ Christianam professionem censentur, veteres tamen Liturgias non habent, nisi Græcâ quâ Græci, & Melchitæ, & Chaldaicâ linguâ, quæ Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ per varias provincias dispersi utuntur. Hinc autem liquet, vetustas offerendi formulas maximâ curâ & religiosissima sollicitudine à Majoribus nostris custoditas fuisse, ut sicut una est fides, ita una esset lingua communis, quæ multæ nationes possent mutuo communicare. Missæ enim Chaldaico, Græco, & Latino sermone primum compositæ; eodem semper celebratæ sunt, quamvis illæ linguæ desierint esse vulgares. Gentes autem, quæ in Occidente successu temporis Christianam Religionem amplexæ sunt, Germani, Franci, Angli, Poloni; & alii Septentrionales, latinâ linguâ, licet illis ignota esset, sacrificium offerebant. In Africa etiam Latinæ linguæ usus in sacris semper viguit, licet eam populus non intelligeret, ut Augustinus testis est in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos. Idem accidit in Oriente quoad linguam Græ-

cam & Chaldaicam, nam iis utuntur in divinis officiis, quamvis Populis ignotæ sint, qui vel Græcâ vulgari, vel Arabicâ communiter loquuntur. Fert hoc rerum humanarum vicissitudo, ut linguæ vulgares mutationibus subjectæ sint, vel quia corrumpuntur alterius Nationis commercio, vel quia Provinciæ in extraneorum Principum domicinium transeunt, qui proprias leges, & mores, & linguam in eas introducunt. Vetus Gallorum lingua, quæ uti solebant, priusquam Regnum illud in Provinciam à Romanis redigeretur, penitus abolita est. Sic etiam Hispani proprium amiserunt sermonem, cum potestati Romanorum subditi fuerunt. Veteres Francos, qui Regnum in Galia constituerunt, Germanicâ linguâ loquutos Beatus Rhenanus *lib. 1. rerum Germanicarum* ostendit, ex antiquissimo Codice Evangeliorum, quom Frisingæ se vidisse ait in linguam Franciam translatum, quæ eadem est ac Germanica. Regiones quoque Septentrionales à Romanis subactæ latinè loqui didicerunt, donec ipsa latina lingua interiret, & ex eius corruptione in Italiâ, Galliâ & Hispania vulgares hodiernæ exortæ sunt. Eodem fato Græcâ, & Chaldaicâ extinctis, Turcica, Arabica, & aliæ vulgares in plerisque Regnis Orientalibus successerunt. Ut autem Religio adversus hujusmodi mutationes inconcussa maneret, semper & ubique Orthodoxa Ecclesia vetus idioma in divinis officiis retinuit, id exigente Sacrarum rerum dignitate & majestate, ut nihil in iis immutetur, nihilque erroneum aut impurum in eas irreat: quod facile contingeret, si eas ab antiquo sermone, quo ab Apostolis & Apostolicis viris traditæ sunt, in alium recentiore, vel à primævo diversum transferre liceret. Quod si Græcæ, & Latinæ lingua conservatæ olim non essent, & usque ad nos propagatæ propter necessariam earum usum in sacris functionibus, jam inutiles nobis forent veterum Conciliorum Canones, Antiquorum Pontificum Constitutiones, Sanctorum Patrum & aliorum Lucubrationes Græco, vel Latino sermone exaratas, quia nec eas legere, nec intelligere possemus; sicut non intelligimus præcos Hispaniæ characteres, qui in nummis conservati sunt, nec scimus, quid dicat Pœnulus apud Plautum, quia lingua Punica, quæ ille loquitur, dudum interiret. Narrat Polybius *lib. 3. hist.* quod cum in Italia pax est post secundum bellum Punicum, pacta primæ pacis vix intelligebantur, adeo lingua tempore interjecto mutata erat. Idem nunc apparet



in Italicâ nostrâ, & in Gallicâ, multum enim dif-  
crepat hodierna ab antiqua. Cum ergo experien-  
tia docuerit, singulis ferè sæculis vulgare idio-  
ma mutari, si Missa sermone vulgi celebraretur,  
iisdem mutationibus subjecta foret, non sine  
gravi dispendio debita venerationis, & cum evi-  
denti periculo depravationis. Tolleretur etiam  
necessaria ad Fidei unitatem Ecclesiarum com-  
municatio, quæ hoc vinculo necitur: nec posset  
Sacerdos Italus in Galliâ, aut in Germaniâ, nec  
Germanus aut Gallus in Italia sacris operari.  
Quare sapientissimè ab Ecclesia constitutum est,  
ut, quo idiomate Missæ primùm institutæ sunt,  
eo semper celebrentur, licet populo ignotû sit.  
Præcellit exemplum huius disciplinæ in veteri  
Testamento, nam cum populus post captivita-  
tem Chaldaicè loqueretur, Psalmos tamen &  
Scripturas Hebraicè semper cantavit, & legit;  
quem morem Hebræi etiam hodie in Synagogis  
observant: nec enim voluit Deus mutari Scri-  
pturam, licet Populus linguam mutasset. Eadem  
Romanis cura fuit servandi in sacris sermonis  
antiquitatem, nam carmina Saliorum vix Sacer-  
dotibus suis intellecta, ut ait Quintilianus lib. 1.  
*Instit. Orat. cap. 6.* nunquam mutarunt, quia ve-  
tabat Religio, & consecratis utendum erat.  
De aliis gentibus, quæ linguâ peculiari sacra  
mysteria celebrant, locus agendi erit cum de  
propriis cuiusque nationis Liturgiis tractabo.

## CAPUT VI.

*Diversas Ecclesiarum consuetudines in Mis-  
sæ celebratione olim fuisse, & nunc esse.  
Quæ sit earum causa & origo. Sacrifi-  
cium idem ubique quoad essentiam. Vari-  
os ritus fidei unitatem non ledere. Quid  
peccatum in hoc genere.*

**M**ISSÆ institutio ita ad Christum referen-  
da est, ut ipsum ejus Auctorem agnos-  
camus quo ad essentiam, quæ mutari non potest;  
cætera verò, quæ ad Preces, & Ritus, & Cere-  
monias pertinent; & quæ parascevaltica, & ac-  
cessoria, ac veluti parerga sunt; ab Apostolis,  
eorumque Successoribus constituta fateamur.  
Huc enim pertinent Apostoli verba ad Corin-  
thios, *Cætera cum venero disponam, ut docet Augu-  
stinus hunc locum tractans ep. 118. ad Januari-  
um: Unde, inquit, intelligi datur, quia multum erat,  
ut in epistola totum illum agendi ordinem insinua-  
ret,*

*quem universa per Orbem servat Ecclesia, ab ipso or-  
dinationem esse, quod nulla morum diversitate variatur.*  
Sunt igitur quædam in omnibus Liturgiis, in  
quibus omnes Ecclesiæ conveniunt, ut potè sine  
quibus Sacrificii ratio nullo modo subsisteret;  
cujusmodi sunt Panis & Vini præparatio, Ob-  
latio, Consecratio, Consummatio, & ipsius Sa-  
cramenti communicare volentibus distributio.  
Aliæ item præcipuæ partes sunt, quæ licet ad  
sacrificii integritatem non spectent; in omnibus  
tamen omnium gentium Liturgiis reperiuntur,  
Psalmorû scilicet modulatio, lectio sacra scri-  
pturæ, Ministrorum apparatus, thurificatio, ca-  
techumenorum & aliorum profanorum exclusio,  
Precatio pacis, Preces diversæ, Gratiarum actio,  
& si quæ alia sunt ejusdem generis. Modus au-  
tem & ritus, quibus hæc omnia peraguntur, ver-  
ba quibus preces concipiuntur, Ordo ceremo-  
niarum, & reliqua minoris momenti diversis  
Ecclesiis diversa, & peculiaris sunt: nec ita ab  
Apostolis & Apostolicis viris instituta fuerunt,  
ut perpetua forent & immutabilia. Ideo in illis  
varietates apparent, & mutationes, quæ unitatem  
Ecclesiæ non scindunt, nec Fideles offendunt.  
Narrat Augustinus Ep. 118. sibi dubitanti de  
variis Ecclesiarum observationibus dixisse Am-  
brofium; *Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus  
morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec  
quemquam tibi.* Idem Ep. 86. *In his rebus, de qui-  
bus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi  
Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt: de  
quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum con-  
suetudine alios improbare, orietur interminata lucta-  
tio.* Hieron. Ep. 28. ad Lucinium, *Illud te bre-  
viter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas,  
præsertim quæ fidei non officiant, ita observandas ut  
à majoribus tradite sunt; nec aliorum consuetudinem  
aliorum contrario more subverti.* Nicolaus I. Ep. 2.  
ad Photium. *De consuetudinibus, quas nobis oppone-  
re visi estis scribentes per diversas Ecclesias diversas  
esse consuetudines, si illis canonica non obsistit aucto-  
ritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel  
eis resistimus.* Fulbertus Carnotensis Ep. 2. ad  
Finardum: *Plura sunt in ecclesiasticis officiis, in  
quibus Orientales Ecclesie & nostræ communi ob-  
servatione sibi respondent: sunt vero alia, in quibus  
alias ab aliis cultu dispari, & varia observatione  
audivimus dissonare. Nec tamen nos offendit obser-  
vantie diversitas, ubi fidei non scinditur unitas.*  
Ernulfus Rossensis Episcopus Epist. 2. Tomo  
2. Spicilegii editâ, Christum ait docuisse quæ  
facienda erant, sed non præfixisse modum quo fieri  
deberent.



deberent. Tum subdit, *Hinc esse videtur quod ait, Hoc facite in meam commemorationem: Non ait, hoc modo facite. Unde nonnulla Christiane Religionis instituta cum in Ecclesiae nascentis initio sua modum originis acceperit, quem in progressu ejusdem credentis propter quasdam rationabiles causas non diu tenuere. Eodem tomo Spicilegii, quod vir eruditissimus Lucas Dacherius Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri de re literaria optimè meritis, ex veterum monumentis, è situ Bibliothecarum erutis summa cura & iudicio in plures Tomos distinctum edidit: extat Tractatus Rattamni Monachi Corbeienfis contra Græcorum opposita, qui lib. 4. multa diffusè congerit, ut ostendat, mutari subinde salva Fide consuetudines, easque in diversis Ecclesiis diversas esse. Gregorius Protosyncellus adversus Marcum Ephesinum apud Leonem Allatum de Synodo Photiana p. 531. In ritibus, inquit, Ecclesiasticis consuetudo est varia. Nam Constantinopolitana major Ecclesia in celebrandis officiis alio more utitur; alio verò majora Monasteria, alio minor ad quietem accommodata, denique alia Sacerdotum secularium Ecclesiae. Quin Tabennesiotæ in uno eodemque cœnobio varios jejunandi, psallendique modos habebant, aliis per biduum jejunantibus, aliis per hebdomadam: & his quidem ad vesperam, illis verò de media nocte sacros hymnos canentibus: quod fiebat etiam in Monasterio Acoemetorum. Alia de hac rituum diversitate Græcorum testimonia idem Allatius affert in Hottingero convicto cap. 3. & lib. 3. de perpetua consensione Ecclesie Occid. & Orient. c. 13. & 14. Affert Sozomenus l. 7. c. 19. neminem posse easdem traditiones per omnia similes in omnibus Ecclesiis reperire, quamvis inter se consentiant. Cui Socrates suffragatur lib. 5. cap. 21. dicens cujusque religionis varios esse ritus, licet in eadem fide consentiant. Ut enim doctè Bernardus ait Ep. 77. ad Hugonem Victorinum, Ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod sentitur non obviat. Tertullianus denique his omnibus antiquior initio libri de Velandis Virginibus, Regula fidei, inquit, una omnino est sola immobilis & irreformabilis. Cætera jã discipline & conversationis admittunt novitatem.*

II. Causæ verò tantæ rituum varietatis in tanta Fidei unitate hæc fuisse videntur: Vel quia dispares diversarum Nationum mores & ingenia sunt, quæ diversos ritus & ceremonias ut in rebus politicis, ita etiam in Ecclesiasticis exigunt: vel quia nullo extante de his Christi vel Apo-

stolorum præcepto, libera facultas Episcopis relicta est id sentiendi & decernendi, quod unicuique salva Fide magis expediens visum fuit: vel quia favente in Christianos persecutione, cœtus Episcoporum in unum cogi non potuit, in quo communibus suffragiis communis forma Sacrificii celebrandi ab omnibus custodienda stabiliretur. Divisis enim Provinciis inter Apostolos ad Evangelii prædicationem, credibile est, unumquemque illorum gentibus, quas fide imbuerant, modum quoque Liturgie tradidisse ad eorum mores & consuetudines, quibus ante susceptam fidem vivebant, accommodatum. Quia verò dissimiles apud varias Nationes mores semper fuerunt, hinc orta rituum diversitas est. Eadem libertate alios item Antistites usos fuisse, qui in variis regnis successu temporis Evangelium disseminarunt, Ecclesiastica historia Scriptores docent. Nota est Epistola Gregorii Magni ad Augustinum, quem in Angliam misit, ut illas gentes ad Fidem converteret. Illi enim interroganti, Cur una cum sit fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ? & altera consuetudo Missarum est, in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur? Sic respondet S. Pontifex: Novit fraternitas tua Romane Ecclesie consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placeat, ut sive in sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid inveniri, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, insundas. Non enim pro loci res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt. Anselmus quoque Cantuariensis in Responsione ad querelas Valerani c. 1. eidem conquerenti de varietate rituum Ecclesiasticorum, habere nos à Sanctis Patribus ait, quod si unitas servatur charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa. Natas autem varietates asserit ex humanorum sensuum diversitate, qui quamvis in unitate non dissentiant, in aptitudine tamen & decentia administrationis non concordant: quia quod unus aptius esse judicat, alius sæpe minus aptum aestimat. In Ecclesia Neocesariensi quædam suo tempore introducta refert Basilii Magni, Ep. 57. ad Clerum ejusdem Ecclesie, quæ tempore Gregorii Thaumaturgi in usu non erant. Andreas Masius vir eruditus cū animadverteret breviorē esse apud Syros, quam apud Græcos Basilii Liturgiam, hanc hujus rei affert rationem Præf. in Liturgiam Syrorum: Quippe n̄ fuit



fuit perpetuus hominum in religione sensus, ut intra prescriptas à Patribus ceremonias quantumvis sanctissimas sese continere pauci poterint. Unde pro temporis tractu ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu alia atque alia addita, multa etiam mutata videre est. Solus Fidei Canon, ut supra diximus, inconcussus, & immutabilis est, cætera quæ ad ritus & disciplinam pertinent, iusta interveniente causa, sine reprehensione mutari possunt. Hoc Pelagius II. Epistolæ ad Episcopos Istriæ, post Magnum Leonem & alios suos Prædecessores, professus est, specialem scilicet Synodali Conciliorum causam fidem esse; quicquid verò præter fidem agitatur, nihil obstare, si ad iudicium revocetur. Hoc idem asserit Aug. l. 2. de Baptismo contra Donatistas, dicens: Ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ sunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sepe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantie, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.

III. Atque utinam Ecclesiæ Antifites ab hac regula pacis & charitatis nullo unquam tempore recessissent; in tanta enim consuetudinum diversitate nulla fuisset animorum dissensio, nulla inter Christianos scissura, nulla scandala: nihilque ineptum, nihil reprehensibile in Ecclesiasticis ritibus irrepisset. Sed dum plerique potestate sibi tradita abutuntur, dum nimium sibi suisque ad inventionibus indulgent, dum veterum Patrum statuta parvipendunt, in varios errores lapsi sunt. Et primo quidem rituum varietas, quæ Græci à Latinis, & utrique inter se olim discrepabant, ingens augmentum sumpfit ex nimia libertate, quam sibi temerè arrogarunt, quilibet in hoc genere audendi, minorum etiam gentium Episcopi, & ipsi quoque Monasteriorum Præfecti, adeo ut nonnulli Apostolicis institutionibus neglectis, veterumque Patrum auctoritate posthabita, multa prorsus insulsa, & ab Ecclesiastica gravitate aliena Ritualibus libris inseruerint, quæ in antiquatis Codicibus hodie legimus, & detestamur. Adversus hanc licentiã iusta percitus indignatione, S. Innocentius Papa huius nominis Primus sic ad Decentium Episcopum Eugubinum scripsit. *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt ab Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas,*

*nulla varietas in ipsis Ordinibus & Consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populari, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel ab Apostolicis viris contrarietatem inducitur. Quis enim nesciat aut non adverteat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romane Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque intersacientes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes. Aut legant si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non est dubium, ne dum peregrini assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe Dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, & quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcans teneat, cognovisse, dulium non est, quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si Præcessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Hæc iustus ex Innocentio huc transcribenda putavi, ut ejus testimonio evincerem, primarias Ecclesias proprios ritus à Fundatoribus accepisse; quosdam verò ex successoribus per licentiã & potestatis abusum sæpe illos immutasse, & novitates introduxisse. Hoc primum in hoc genere peccatum fuit, quod, dum alii evitare nimio studio conati sunt, stultorum more in contrarium inciderunt, semel enim susceptis consuetudinibus pertinaciùs adhærentes turbas in Ecclesia suscitaverunt, ut mox videbimus, cum Romani Pontifices, vel abusus Episcoporum incuria introductos evellere, vel errores hæreticorum fraude insertos expungere, vel aliquid in iis innovare iustis de causis voluerunt. Alii denique nullum statuentes discrimen inter capita fidei & disciplinæ, ex varietate rituum, dogmatum quoque diversitatem æstimantes, mutuis inter se odiis & concertationibus exarserunt, disruptoque vinculo pacis & dilectionis, Schismati, & erroribus patentissimum ostium apertum est. Quot*



& quam luctuosæ tragœdiæ inter Græcos & Latinos hac de causâ exortæ sint, notum est omnibus. A Photio illarum initium sæculo nono, & nondum finis: adhuc enim in plerisque Orientalibus ferox odium adversus Latinos fervet, & fortè acrius, quàm cum primum ab unitate, & obedientia Romanæ Ecclesiæ defecerunt. Superbia omnium malorum causâ rebellionis origo fuit, tum accesserunt ex Rituum diversitate vani prætextus: nec enim Orientalibus his unquam de ritibus mota est à Romana Ecclesiâ, quæ sedulo potius in hanc curam semper incubuit, ut illibati servarentur. Debet igitur unaquæque Ecclesiâ custodire ritus suos, sed receptos à Majoribus, longoque usu præscriptos, & legitima auctoritate approbatos. Si quid verò innovatum, si quid perperam immutatum, id expungendum, & corrigendum est.

## CAPUT VII.

*Actum in Conciliis de Rituum observantia, eorumque varietate tollenda. Quomodo Sectarii Missam perverterint. Romana Missa studio Pontificum ab omnibus Occidentalibus recepta. Quorundam in hoc renitentia, ejusque causâ. Romane Ecclesiæ tradita Missa à Petro Apostolo, ab aliis aucta. Roma olim diversa officia. Quid in his immutatum à Fratribus Minoribus.*

**I**nitium cogendi Concilia in Actibus Apostolorum describitur cap. 15. cum Christianorum causâ adversus Judæos, qui Gentibus ad fidem conversis Circumcisionem & alia Moisaicæ legis præcepta ad salutem necessaria esse docebant, discussa ac definita fuit. Nata igitur cum Ecclesiâ simile cum ipsa incrementum, & summam in ea auctoritatem habuerunt, semperque à Fidelibus cum ingenti veneratione suscepta sunt. *Aguntur*, inquit Tertullianus lib. de jej. c. 13. *certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & aliora queque in commune tractantur, & ipsa representatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Altiora autem, quæ in his tractantur, nemo est qui ignoret. Ad ea enim pertinet non solum de dogmatibus fidei agere, sed ritus etiam in sacris functionibus servandos præscribere, succrescentibus malis remedia afferre, exortas controversias componere, collapsam disciplinam reparare. Ideo sancitum fuit, ut frequenter in unum Episcopi con-

venirent, ut, si quid alienum à fide & ab Ecclesiasticis observationibus diabolica fraude irrepressisset, communi consensu corrigeretur. Magna synodus Nicæna *Can. 5.* statuit bis in anno hæc concilia celebrari, ante Quadragesimam, & circa tempus autumni. Ad quem canonem S. Leo respexit, cum ad Episcopos Siciliæ scripsit saluberrimè à sanctis Patribus constitutum, ut bini debeant in annos singulos Episcoporum esse conventus. Hæc sanctio innovata est in concilio Antiocheno sub Julio I. *Can. 20.* & in Regiensi sub Sixto III. *c. 7.* in primo autem Araucano sub Leone Magno *c. 29.* in Agathensi sub Symmacho *c. 71.* in Emeritensi sub Vitaliano *c. 7.* in Aurelianiensi secundo & quarto ordinatum est singulis annis Episcopos congregari; quod idem præcepit Hilarius Papa *Epist. 8.* ad Galliæ Metropolitanos. Nicolaus I. *Epist. 27.* Ludovico & Carolo Regibus conqueritur, Episcopos de ipsorum Regno non fuisse Romam ad synodum missos, ut novitatum mala, quæ multiplicata erant, faciliùs tolli possent, Romæ autem convocari concilium solebat circa finem septembris, ut ex præcitata Leonis Magni *Epistola* colligitur, ad quod singulis annis aliquot Episcopi ex qualibet Provincia specialiter electi convenire debebant: ita enim decernit ibidem S. Pontifex his verbis: *Terni semper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam fraterno concilio sociandi occurrant, & indistimulenter à vobis hæc consuetudo servetur. Quoniam adjuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandalorum nascantur errores, cum coram Beatissimo Petro semper in communione tractatum fuerit, ut omnia instituta Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permanent.* Quia verò discrepantia rituum, dissensionum fomenta præbebat, sedulo huic tollendæ sancti Episcopi synodaliter congregati incubuerunt. Unde in concilio Epaunensi *a. 509. c. 27.* & in Gerundenfi *a. 517. c. 1.* statutum est, ut idem Missæ ordo in universa Provincia servaretur, quem servabat Ecclesiâ Metropolitana; anno autem 563. Bracarense *I. c. 22.* constituit, ut eodem ordine Missæ ab omnibus celebrarentur, quem Profuturus ejus Ecclesiæ Archiepiscopus à Sede Apostolica susceperat. Et f. c. 1. sequenti Bracarense *II. c. 1.* sancivit: *Ut per singulas Ecclesias Episcopi per Dioceses ambulantes primum discutiunt Clericos, quomodo Ordinem Baptismi teneant vel Missarum, & qualiter quæcumque officia in Ecclesia peragantur. Et si rectè quidem invenerint, Deo gratias agant; si autem minus, docere debeant ignavos.* Ulterius progressus Theodulphus Aurelianensis



sis in Epist. ad Clerum suum cap. 4. decrevit deferri ad synodum libros, vestimenta & vasa sacra. Quando, inquit, more solito ad Synodum convenitis, vestimenta, & libros & vasa sacra, cum quibus vestrum ministerium & inunctum officium peragitis, vobiscum deferre: nec non duos aut tres Clericos, cum quibus Missarum Solemnia celebratis, vobiscum adducite, ut probeatur quam diligenter, & quam studiosè Dei servitium peragatis. Idem in suo Capitulari præcepit Riculfus Episcopus Suesfionensis. Tanta sollicitudine & zelo antiqui Patres saggebant, ne quis in ordine sacrificii statutos à majoribus terminos transiliret. Noverant enim, quam facillè foret in superstitiones & ineptias incidere, si omnibus permitteretur quidpiam vel minimum in sacris Ritibus innovare.

II. Sectariorum hoc proprium fuit, ut cum à fide deficerent, libros quoque Ritualis vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent. Quid autem sint in hoc genere Gnostici, Adamiti, Pepuziani, & alia huiusmodi monstra, turpe est enarrare. De Nestorio, five de Theodoro Mopsuesteno ejus magistro ita Leontius Bizantinus scribit Lib. 3. adversus eundem Nestorium. *Audet & aliud malum non secundum ad superiora, aliam enim Missam effudit, præter illam, quæ à Patribus tradita est Ecclesiis, neque reveritus illam Apostolorum, nec illam magni Basilii in eodem spiritu conscriptam. In qua Missa blasphemis, non precationibus, Eucharistiæ mysterium opplevit. Donatistæ, ut calumniam Catholicis intruerent, sparserunt in vulgus, eos solitum sacrificii ritum immutasse, ut patet ex Optato Milevitano in fine lib. 3. Nihil, inquit, probavit aspectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, & ritu solito solemnitas consuetudo perspecta est. Cum viderent divinis Sacrificiis, nec mutatum quicquam, nec additum, nec oblatum, pax à Deo commendata volentibus est. De iisdem sic scribit Augustinus Epist. 119. c. 18. Donatistæ nos reprehendunt, quod sobriè psallimus in ecclesiâ divina cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum quasi tubas exhortationis instillant. Ipsorum autem tanta erat rabies, tam immane odium adversus Catholicos, ut altaria frangerent tanquam polluta, in quibus celebraverant. Sacrificia enim Cæciliani, & eorum qui cum ipso communicabant, impura esse & Deo invisa prædicabant. Jacobitas diversas Missarum editiones habuisse contra traditiones Ecclesiasticas, testatur au-*

ctor Anonymus editus à P. Combefis *Tract. de hæresi Jacobitarum*, quem putat esse Demetrium Cyzicenum. De Pauli Samosatani in hac re impietate legenda Epistola Synodi Antiochenæ apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 30. De sectatoribus Apollinarii refert Sozomenus lib. 6. hist. eccles. cap. 25. quod ritibus utebantur alienis à catholicæ ecclesiæ institutis. Isaac Catholicus Armeniorum Invect. 2. adversus eosdem, hæresi 25. *Rem sacram, inquit, contemnunt, neque ornamentum mutant, aut habent sacrarum vestrum varietatem pro sacro ministerio, quas magnus Sylvester lege sanxit. Eorum autem quilibet iis vestibus indutus, quarum usus communis est, quasque nullo passim discrimine adhibere solent: ita ad altare ingreditur. Nimis in longum irem, si cunctas Sectas percurrere vellem, & quid in sacros ritus singulæ peccarint, enarrare. Postquam enim ab Ecclesia resiliunt, minus se fecisse putarunt, nisi id quod in ea excellentius & sanctius est sacrificium videlicet, & sacramentum corporis & sanguinis Christi, falsis & inter se contrariis opinionibus perverterent. Et ut veteres omitterem, adeo multa nobis exempla recentiores Misolurgi suppeditant, ut omnium sæculorum errores nedum exequent, sed excedant. Ipsum Missæ nomen ita plerisque exosum est, ut Missam odisse amoris inter ipsos, & fraternitatis symbolum sit.*

III. Et hæc quidem fuit hæreticorum perveritas & audacia, quam Patres Orthodoxi sedulo semper comprimere studuerunt, eos ritus illibatos custodientes, quos Ecclesiæ legitime traditos agnoverunt. Et ne in re tanti momenti à veritatis semita aberrarent, omnes ferè Occidentales regiones Romanæ Ecclesiæ adhæserunt: In qua, ut ait August. Epist. 162. *semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus. Ita docuit in suis Prescriptionibus cap. 36. Latinarum antiquissimus Tertullianus, percurrendas nimirum Apostolicas Ecclesias veritatem scire cupientibus, Romanam præsertim, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo projecerunt. Et ejusdem sæculi scriptor Irenæus lib. 3. cap. 3. Ad hanc, ait, Ecclesiam, nempe Romanam, propter principatam necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique Fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio. Hoc summorum Pontificum, hoc Episcoporum, priorumque Principum studium, hæc cura fuit, ut omnes gentes, quæ in Occiduis partibus sunt,*



traditiones & Ritus Romanæ Ecclesiæ in ordine Missæ sequerentur; ex quo paulatim factum est, ut propriis, si quos habebant, usibus abrogatis Romanos reciperint, adeo ut in plerisque Ecclesiis veterum consuetudinum non solum nulla remanserint vestigia, sed ipsa etiam memoria evanuerit. Africanam Ecclesiam ut fide, ita & ritibus cum Romana convenisse, ex scriptis Tertulliani, Optati, Cypriani, & Augustini non obscure colligimus: quod si qua varietas fuit, ea, ut sæpe dictum est, ad sola accidentalia pertinebat, Sacrificii non solum substantia, quæ rituum diversitate labefactari non potest, sed forma etiam ac serie Psalmodiæ, Lectionum, & Precum, ut supra ostensum est capite III. num. 4. inconcussa permanente. Marius Victorinus Afer Lib. 1. adv. Arium sententiam citat ex Liturgia Africana, quæ in Ordine Romano non extat: *Sicut, inquit, & in oblatione dicitur, Munda tibi populum circumvitalem, emulatorem bonorum operum, circa tuam substantiam venientem.* Fulgentius quoque Ruspensis in fragmentis editis à Sirmondo cap. 14. in Epist. 1. ad Cor. quodam testimonio Liturgiæ Africanæ utitur, quod in Romano non reperitur. Ex quibus, & ex aliis quibusdam conjecturis suspicor, ritum Africanum illi similem tunc esse, qui in Hispania *Mozarabicus* dictus est. In Anglia prima fidei semina sparisse dicitur Joseph ab Arimathia, ut Gildas Britannus scribit: & Tertullianus testis est Lib. adv. *Judeos* cap. 7. Britannorum inaccessa Romanis loca, ipso vivente Christo subdita fuisse; nam tempore Eleutherii Papæ sub Lucio Rege Evangelium publicè susceperunt, ut narrat Beda lib. 1. cap. 4. Hist. gentis Anglorum. Cum autem pulsus Britannis ab Anglis & Saxonibus idololatriæ Insula occupata fuisset, Gregorius Magnus missio in eam Augustino gentes illas ab idolorum cultu ad fidem Christi convertit. Nec ulli dubitare fas est, quin ab iisdem Pontificibus Eleuthero & Gregorio Romanos ritus acceperint à quibus fidem susceperunt: Licet Gregorius facultatem tribuerit Augustino ex aliarum Ecclesiarum, præsertim Gallicanæ, usibus decernendi quicquid magis ad Dei gloriam expedire judicasset. Postea verò jussu Agathonis missi sunt ex Urbe Cantores, qui populum illum cantum Romanum docerent, de qua missione prolixam historiam refert Beda Lib. 4. cap. 18. Hispaniam Jacobi Apostoli prædicatione ad fidem conversam, constans illarum partium traditio

est: nec desunt qui sentiant, Paulum quoque eas regiones peragrassè, & illic prædicassè. Asserit Tertullianus ad Scapulam cap. 4. nomen Christianum ibidem vexatum à Præfide Legionis, & Cyprianus Epist. 68. scripsit ad Clerum & plebes in Hispania consistentes. Quo verò ritu tunc uterentur, nos latet, nisi quod Concilium Bracarense I. refert, Profuturum Archiepiscopum Ordinem Missæ ab Apostolica Sede accepisse. Sed hic Ordo qualis fuerit incertum est. Scimus autem, quod omnes Hispaniarum & Galliæ Narbonensis Ecclesiæ ritu Mozarabico, de quo agam cap. 11. diu usæ sunt usque ad Gregorium VII. quo procurante Romanum susceperunt. Germaniæ & Septentrionis plures nationes inter eas quæ suo tempore Christi legem amplexæ fuerant, enumerat Tertullianus Lib. adv. *Judeos*: cumque S. Bonifacius fundato Moguntino Episcopatu Evangelium plurimum propagasset, Romanum etiam ritum ibidem constituit, de qua re extant Gregorii Secundi Literæ ad eundem Bonifacium. In Gallia ferè omnes civitates primos Episcopos ab Apostolis illuc missos venerantur, quorum Catalogum hic texere & examinare, non est mei instituti. Cum verò Franci Galliarum regnum in suam potestatem redeissent, gentes illæ, Clodovæo Rege baptizato, Christo initiatæ sunt. Ritus ibidem varios fuisse fufus ostendam, cum de Missa Gallicana tractabo. Pipino autem & Carolo Magno regnantibus, propriis usibus relictis, Romanis uti cœperunt.

IV. Hac uniformitate in omnes Ecclesias Occidentales, excepta Mediolanensi, tandem introducta, factum est, ut errores & abusus tollerentur, quos experientia docuit in multa consuetudinum discrepantia vix posse evitari. Non omnibus tamen Ecclesiis, quæ Latino sermone sacra persolvunt, eadem facilitate potuerunt Pontifices persuadere, ut proprios Ritus abrogarent, & Romanis uterentur. Exortæ sunt enim turbæ & contentiones, pugnantibus quibusdam pro patriis moribus tanquam pro aris ac focis, ac si salus in illis, & fidei fundamenta consisterent. Adhærent nimirum plerique mortalium consuetudinibus, quas cum lacte imbiberunt, longo usu assueti ea omnia respicere, quæ ab illis diversa sunt. Quod si robur accedat præjudicatæ opinioni ex eorum sanctitate, quos veluti auctores Rituum suorum colunt, vix locus relinquitur contrariæ persuasioni, omnem inobedientiæ & pervi-



pervicaciæ notam eluente prætextu pietatis & Religionis. Hanc reddit rationem Sozomenus l. 7. c. 19. cur plerique semel susceptis ritibus pertinaciter inhaerent, quia videlicet ob reverentiam vel eorum, qui eos ab initio introduxerunt, vel eorum qui istis successerunt, prævaricari sibi nec licitum, nec tolerandum esse putabant. Sequitur Sozomenus Nicephorus l. 12. c. 34. *Tales, inquit, dissensiones in Ecclesiis invaluisse opinor, reverentia eorum, qui eis ab initio præjurerunt & qui illis deinde successerunt. Nam si tanquam leges quasdam ab illis acceptas per manus posteris tradiderunt, non satis piæ, neque ferendum esse arbitrati, si traditiones in quibus educati essent non honorifice colerent, sed contemptim rejicerent. Accedit alia ratio ex ipsa vi & potentia consuetudinis, quæ, cum inveterata est, vix potest vinci. Ideo homines vindices esse solent & acerrimi propugnatores legum & ceremoniarum, quas à Majoribus acceperunt, & cum his innutriti sint, non facile possunt ab earum usu divelli. Omnes denique in his, quæ fidei non adversantur, abundant in proprio sensu, adeo, ut nec Sancti viri ab hac communi mortalium affectione immunes fuerint. Cui dicto fidem præstat Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1. In omnibus, ait, cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus, idcirco quod alicubi rectius servatur, & nos rectè custodimus.* Hæc Ambrosius, si tamen ipse horum librorum, qui de Sacramentis inscribuntur, Auctor est. Testatur quidem Augustinus, scripsisse Ambrosium libros de Sacramentis, sive de Philosophia adversus Platonem, quorum meminit l. 2. *Retract. c. 4. & doctrina Christiana lib. 2. cap. 28.* eosque petiit sibi mitti à S. Paulino ep. 34. Sed illi vel perierunt vel alicubi latent; longè diversi sunt ab his qui nunc extant, ut patet ex sententiis quas ex illis citat idem August. l. 2. primi operis ad versus Julianum cap. 5. & tribus sequentibus. De his verò quos hodie habemus, fecit primo ut dubitarem styli diversitas, cum enim Opera Ambrosii ante aliquot annos haud perfunctoriè percurerem, cum ad hoc pervenis, visus sum mihi alterius linguæ hominem ab Ambrosio profusus diversum loquentem audire. Tum animadverti loca Scripturæ in his citata non esse ejus versionis, qua in aliis libris Ambrosius uti consuevit. Quædam etiam in his reperi, quæ sæculo Ambrosii minus convenire visa sunt. Nihilominus à scriptoribus octavi & noni Sæculi laudantur sæpius tanquam Ambrosii legitimus fœtus, quorum auctoritati cedens eos deinceps sub ejus

nomine, cujus est possessio, semper citabo. Meam autem suspicionem seu conjecturam Doctoribus examinandam relinquo, & ad Missam Romanam redeo à qua digressus sum. Hæc, ut dixi, ab omnibus in Occidente recepta est, cunctorum enim repugnantium & contradicentium pervicaciam vicit Pontifex cum potestas & industria, Regumque ac Principum erga Apostolicam Sedem reverentia.

V. Porro hic de Missa Romana inquirendum necessario videtur, à quo primùm instituta fuerit, & quibus incrementis ad eum statum pervenerit, in quo nunc reperitur. Utrumque dubium egregiè dissolvit Walfridus Abbas lib. de reb. Eccl. cap. 22. Nam postquam statuit, ex Majorum traditione constare, Missam temporibus Apostolorum multò breviorē fuisse quam nunc sit, proficiente deinde Religione à Successoribus Apostolorum auctam, non quod illis fuerint scientia & pietate majores, sed quia tempora sic exigebant: tum subdit. *Et Romani quidem usum observationum à B. Petro Principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus, quæ congrua judicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideo in sacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magisterii ex apice Apostolico primordiis clarent, & nulla per orbem Ecclesia æque ut Romana ab omni fæce hæreson cunctis retrò tēporibus pura permansit.* Post hæc percurrens ordinem Missæ fusiùs edisserit, à Celestino Papa Introitum, à Telephoro Hymnum Angelicum, ab aliis instituta, quæ à nobis Lib. II. cum de singulis Missæ partibus agemus, singillatim examinabuntur. Vigilias Papa epist. ad Eutherium, Ordinem precum, ait *in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quapropter ipsius canonice precis textum direximus subter adjectum, quem Deo precepto ex Apostolica traditione suscepimus.* Idem asserit Isidorus lib. 1. de Eccl. Offic. c. 15. *Ordo Missæ vel orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primùm à Sancto Petro est institutus, cuius celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis.* Legendus quoque Innocentius I. loco citato capite superiori. Ex quo & aliis habemus antiquam, & immemorabilem traditionē esse, Missæ ordinem à Petro Apostolo traditum Romanæ Ecclesiæ, cui Successores aliquot preces, & ceremonias addiderunt. Ita enim fert rerum omnium conditio, ut initium suum habeant, sequatur incrementum, omnibus demum numeris perficiantur. Quod verò dixit Isidorus



Isidorus Missæ celebrationem uno eodemque modo peragi ab universo Orbe, hoc de re & substantia, non de verborum tenore ac ceremoniis intelligendum est. Quod item asserui, omnes Ecclesias Occidentales, Mediolanensi exceptâ, Missâ Romanâ nunc uti, de illis etiam dictum volo, quæ Missale proprium habent, sive Sæculares sint, sive Regulares. Omnes enim cum Romanis conveniunt in forma & dispositione Missæ; idem prorsus apud omnes est Canon; idem ordo & eadem series Confessionis, Introitus, Collectarum, Epistolæ, Gradualis, Versus, vel Tractus, Evangelii, Symboli, Offertorii, Præfationis, Canonis, Communionis, gratiarum actionis, & finis. Quod autem aliqui omittant psalmum aut Confessionem, quod formulam confessionis breviorē habeant, quod panem & vinum unica oblatione offerant, quod item oblatio alijs verbis concepta sit: quod diversas à Romanis Epistolas & Evangelia legant, quod non easdem festivitates Sanctorum celebrent, quod in modo procedendi, thus adolendi, & alijs hujusmodi minutioribus ab usu Romano discrepent, hæc proculdubio nec Ritus diversitatem inducunt; nec Ritus peculiarium constituunt.

Scribit Joannes Langhecrucius *lib. 2. de Divinis officiis ritè peragendis*, relatus à Cornelio Schultingio tomo 1. Bibliothecæ Eccl. p. 1. c. 45. Missalia particularia diversarum Ecclesiarum post Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio introducta fuisse. Nam Carolus Magnus hortatu & jussione summorum Pontificum Romanum in Gallia servari præcepit; varietas autem, & diversitas à Romano in aliquibus Ecclesijs inde exorta videtur, quod singuli Episcopi pro suo arbitratu, vel pro loci conditione, aut patriæ moribus aliquid vel addiderunt, vel subtraxerunt, sibi que propria officia composuerunt; idemque fecerunt Ordinum religiosorum Præfecti, & dum unus unam, alius aliam partem mutat, à vestigijs & institutione primorum Auctorum deslexerunt. Hoc ipsum in Hispania contigisse arbitror post Gregorium VII. qui illic Romanum officium introduxit. Ordines autem Religiosi illum ritum ab initio susceperunt, qui vigeat in ea Provincia, in quâ prima Ordinis cujusque fundamenta jacta sunt. Successu vero temporis tam generalia comitia, quam supremi Ordinum moderatores potestatem sibi arrogarunt plura mutandi & innovandi, quod manifestum cuique erit, si antiqua, & nova, & medii temporis Ritualia inter se conferre voluerit.

Hæc autem licentia quilibet pro arbitrio audendi sine certa lege & disciplina adeò quandoque excrevit, ut in multis codicibus adhuc extant Officia, Missæ, Hymni, Orationes, quæ sine risu, vel potius indignatione legi non possunt. Olim in Concilio Milevitano, seu potius Carthaginensi, ut citatur in Codice Ecclesiæ Africanæ cap. 103, sancitum fuit, ne quid publicè in Ecclesia recitaretur, nisi prius in Synodo approbatum foret. Sciebant enim sapientissimi Patres, non omnium esse Ecclesiasticam in his gravitatem & disciplinam servare; magnamque futuram in rebus sacris perturbationem, si sapientibus & insipientibus passim & sine delectu licuisset proprias adventiones, tanquam spiritus sancti dictata, Ecclesiæ obtrudere, & divinis altaribus admovere. Novissimè verò Apostolica Sedes sacrum Rituum Congregationem instituit, à qua non solum summa sapientia & prudentia examinantur Officia, quæ particulares Ecclesiæ sibi concedi petunt; sed leges etiam sancitæ sunt, quibus per licentiam usurpata potestas coercetur, & abusus olim gliscentibus via deinceps præclusa est.

VII. Ipsam Romanam Ecclesiam ab aliqua varietate non fuisse immunem testatur Petrus Abaelardus Epistola Apologetica, quam vir turbulentus temerè scripsit adversus S. Bernardum pag. 250. *Antiquam, ait, Romanæ Sedis consuetudinem nec ipsa Civitas tenet; sed sola Ecclesia Lateranensis, quæ mater est omnium, antiquum tenet officium, nulla filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam Romani Palatii Basilica. Quæ autem fuerit hæc diversitas, & quando cœperint aliæ Ecclesiæ à Lateranensi discrepare, nec Petrus dicit, nec alibi memini me legisse. Illud verò certissimum est, quod vir doctissimus, sacrorumque rituum peritissimus Radulfus Tungrensis docuit *lib. de canonum observantia*, duplicem in Urbe fuisse modum divini officii, unum breviorē quo Romana curia, sive Capella Pontificia utebatur; alterum prolixiorē pro cæteris ecclesijs Urbis, qui propriè Ritus Romanus dicebatur. Atque hinc ortum est discrimen in antiquis codicibus sæpè occurrens Officiorum ad usum curiæ, & ad usum Ecclesiæ Romanæ. Officium curiæ brevius erat & mutationibus obnoxium, ob varias & continuas occupationes summi Pontificis & Cardinalium, aliorumque Prælatorum, qui ei in Sacello, sive ut loquitur Abaelardus, in Basilica Palatii diu noctuque interesse solebant. Officium Ecclesiæ prolixius erat,*



erat, mansitque multo tempore integrum absque ulla mutatione. Quae fuerit utriusque differentia incertum est, nisi quod ex ipso Radulfo & ex aliis Officiorum expositoribus liquet, discrimen potius in Horis canonicis, quam in Missa fuisse: idque libri Missarum M. SS. evincunt, qui cum libro Sacramentorum, & Antiphonario S. Gregorii in forma & serie Missae uniformiter conveniunt. Docet autem Radulfus in praecitato libro proposit. 22. opera Fratrum Minorum utrumque officium Curiae & Ecclesiae in unum coaluisse, ita ut prolixiori & proprio abrogato, omnes postea Ecclesiae officio Curiae usae sint. Quomodo vero id acciderit, ipse enarrat his verbis: *Hodie omnium credulitas & opinio divulgatur, quod ulla Ecclesiae servent Ordinem S. Romanae Ecclesiae, nisi Fratres Minores: nec in aliquorum, nisi in ipsorum Breviariis & libris continentur, ex eo quia B. Franciscus in Regula praecipit, ut clerici faciant divinum officium secundum dictum Ordinem, ubi Breviaria habere possunt. Huius autem rei Romae contrariam didici veritatem. Nam olim quando Romani Pontifices apud Lateranum residebant, in eorum Capella servabatur divinum Officium non ita completum, sicut in aliis Urbis Ecclesiis collegiatis. Imo Clerici Capellares, sive de mandato Papae, sive ex se officium Romanum semper observabant, & sepe alterabant, prout Domino Papae & Cardinalibus congruebat observandum. Et huius officii Ordinarium vidi Romae a tempore Innocentii III. recollectum, & istud officium brevium sicuti sunt Fratres Minores. Inde est quod Breviaria eorum, & libros officii intulerunt secundum consuetudinem Romanae Curiae: non autem curaverunt mores aliarum ecclesiarum urbis Romae recipere & observare. Aliae autem nationes Orbis Romani libros & officia sua habent e directo ab ipsis Ecclesiis Romanis, & non a Capella Papae, sicut ex libris & tractatibus Amalarii, Valsridi, Micrologi, Gemmae, & ceterorum de Officio divino scribentium colligitur evidenter. Et multis interpositis, quibus ostendit officium Fratrum Minorum nullo modo posse dici Romanum, quod ab ipsis immutatum & confusum fuit, subdit: *Sciendum tamen, quod Nicolaus Papa III. natione Romanus de gente Ursinorū, qui coepit anno Domini M. CC. LXXVII. & palatium apud S. Petrum construxit, fecit in Ecclesia Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros officii antiquos quinquaginta, & mandavit ut de cetero Ecclesiae Urbis uterentur libris & Breviariis Fratrum Minorum, unde hodie in Roma omnes libri sunt novi & Franciscani.* Haec Radulfus, qui omnia quae specta-*

ad Romanos ritus diligentissime investigavit eorumque vindex acerrimus fuit.

## CAPUT VIII.

*De Liturgiis Apostolorum. Exploditur à Lindano edita sub nomine Petri. Dubia fidei eas esse, quae Matthaeo & Marco tribuuntur. Astringitur Liturgia Iacobi. Cuius aevi censeantur Constitutiones Apostolicae, & in eis descripta Clementis Missa. De Liturgia à Dionysio tradita. Anceps de eo iudicium.*

**I.** Ecclesias ab Apostolis institutas formam ab iisdem accepisse, nemo opinor inficias ierit, cui nota sit sacrificii cum religione inseparabilis & intrinseca connexio. An vero Liturgiae, quae nomine quorundam Apostolorum inscriptae circumferuntur, legitimae sint, disquirendum nunc est. Et primo quidem occurrit illa, quam Petri Apostolorum Principis inscriptione insignitam circa finem superioris saeculi graecae, & latinae edidit ex Codice M. SS. Cardinalis Sirlenti, & notis illustravit vir doctus Gui Ielmus Lindanus, addiditque pro ea Apologeticon multa eruditione referunt. Sed qui ipsum accurate perlegerit, mecum fatebitur, nihil aliud ex eo concludi, nisi quod Petrus seu voce seu scripto, Ecclesiae primum Antiochena, deinde Romanae Liturgiam aliquam tradiderit. Quod vero ista, quam Sirlentum in Apulia reperisse ait, ea ipsa sit, nec ille probat, nec ullus crederet, qui noverit verum à falso, & proprium ab alieno discernere. Si enim haec Missa verè est Principis Apostolorum, quomodo Romana Ecclesia, quae ejus ipsana & epistolas inter tot persecutionum procellas usque in praesentem diem sollicitè conservavit, hanc egregiam sacrificandi formulam neglexit? Cur nullum ejus vestigium extitit per mille quingentos & amplius annos apud Orthodoxos scriptores? Ubi tanto tempore delituit, & unde emerfit? Nempe in Apulia, quae olim magna Graecia, reperta est, pulcherrima calographia descripta, ut Lindanus ait capite 9. Apologiae, ut impressam non pauci spectatores judicant. At ex hoc liquet, istud exemplar recentiori manu scriptum fuisse, & fortassis idem qui scripsit, composuit, cum nulla praesertim fiat mentio antiqui codicis ex quo



descriptum sit. Detegit quoque imposturam Canon Romanus, prout hodie in usu est, eidem insertus, quem à quodam Scholastico compositum, ut ait Gregorius Magnus *lib. 7. ep. 64.* & ab aliquot Pontificibus auctum suo loco demonstrabimus. Sunt in ea quaedam orationes ex libro Sacramentorum Gregorii, estque confarcinata ex Missa latina, & ex Liturgiis Jacobi, Basilii & Chrysostomi. Quibus ritè perpenfis, ea mihi suspicio in mentem venit, præterito sæculo scriptam uisse ab aliquo Sacerdote Italo-græco, vel exercitii gratia, vel ut Græcam Liturgiam, de cuius nimia prolixitate sæpè Romæ conquesti sunt, ad hanc brevior formam redigeret. Nomen autem Petri ei præfixit, vel quia Canon Romanæ Ecclesiæ, cujus Petrus fundator fuit, præcipua eius pars est: vel ut ei auctoritatem tanti nominis interpositione conciliaret. Narrat Lindanus brevissimam Petri Liturgiam apud Franciscum Turrianum extitisse, sed ea nusquam corruit.

II. Extant etiam Matthæi & Marci Evangelistarum nominibus Liturgiæ, quas cum plerisque inter dubiæ fidei scripta recenseo. Illa Æthiopum, hæc Alexandrinorum dicitur esse: Matthæum enim fidem in Æthiopia prædicasse asserit Romanum Martyrologium; Marcus verò Alexandrinæ Ecclesiæ primus Antistes fuit. Et illa quidem unde primum prodierit, nescio: hæc Sirlæti manu obstetricante educata est in lucem ex vetusto Codice Monasterii Rosfanensis in Calabria Ordinis Sancti Basilii, ex quo idem Sirlætus eam describi curavit, misitque Parisios Joanni à S. Andrea ejus Ecclesiæ Canonico, atque ibidem græcè & latinè edita fuit. De illa altissimum ubique silentium est: hanc commemorat & veluti Pseudepigrapham rejicit sæculi XII. Scriptor Theodorus Balsamon *Resp. 1. ad Marcum Patriarcham, & ad Can. 32. Concilii Trullani.* Nicolaus Methonensis in *libello ad eos qui hesitant* ait, Marcum Liturgiam Ecclesiæ Alexandrinæ tradidisse, quod & alii asserunt, & nos ultrò fatemur: an vero ista, quæ ad nos pervenit, ipsa sit, quam Marcus scripsit, res in ambiguo est, deficientibus per multa sæcula veterum Patrum attestacionibus.

III. His ergò rejectis, vel in quæstione relicta, de Liturgia Jacobi fratris Domini Hierosolymorum Episcopi omnium celeberrima paulò fusiùs differendum est. Scripsit de illa eruditissimam epistolam ad Bartoldum Nihusium Leo Allatius in ejus *Symniæ* editam p. 176.

qua eam ab hæreticorum oppositionibus vindicet, & prolatis Antiquorum testimonis genium Jacobi factum esse demonstrat. Magni autem ponderis ad ejus veritatem stabilendam in primis est perpetua Ecclesiæ Græcæ traditio, quæ illam semper ut legitimam agnovit. Consentunt Græcis Syri, qui teste Abrah. Eschellenfi in notis ad Hebediesu de Scriptoribus Chaldaicis p. 135. asserunt S. Jacobum primum omnium Liturgiam scripsisse, & ad ejus normam cæteras institutas fuisse: idque confirmat Abraham Joannis Maronis, qui intra sextum & septimum vivebat sæculum, aliorumque antiquorum testimonio, qui in ejus Liturgiæ Commentariis affirmant hanc traditionem ad ipsos per manus deductam à tempore Apostolorum. Accedunt traditioni ejusdem exemplaria in vetustissimis Codicibus exarata, & ex ea veterum Patrum excerptæ apud Allatium auctoritates ad Catholicam fidei dogmata comprobanda. Synodus Trullana c. 32. ejus testimonio utitur, ut refellat eorum, qui solam aquam in Sacrificio offerebant. Manuel Malaxus in *Nomocanone* c. 220. eam in usu fuisse ait usque ad tempora Basilii Magni: ejusque meminit Proclus in *Tract. de traditione Divinæ Liturgiæ*, & Cyrillus Hierosolymitanus multa ex ea transfudit in quintam Catechesim mystagogicam. Varias adhibent machinas ad eam abolendam Sectarii, sed omnem ipsorum conatum irritum esse facile ostendam. Ajunt reperiri in ea vocem *Homousion* ante Concilium Nicænum ignotam: vocem quoque *Theotocos* in Concilio Ephesino repertam. Atqui id temerè & falso ab illis dicitur. Nam Athanasius in *libro de Decretis Concilii Nicæni* auctores profert, qui nomine *Homousii* ante ipsum Concilium usi sunt. Theodoretus item *l. 1. hist. Eccl. c. 13.* eam vocem non esse novam ait, neque à Patribus Nicææ congregatis inventam, sed à majoribus receptam. Et ut alios fileam, ipsemet Eusebius Casariensis Arianae factionis propugnator hoc idem asserit apud Theodoretum ibidem, & apud Socratem *l. 1. c. 5.* Simili modo ante Conc. Ephesinum B. Virginè *Theotocos* id est, Dei Genitricem nuncupatam Evagrii testimonio evincitur, qui *l. 1. hist. c. 2.* Nestorium reprehendit, quod hanc vocem à multis spectatisq; Patribus usurpatam rejecerit: cui consentit Theodoretus *l. 4. hæret. fabul. c. 12.* dicens, antiquissimos fidei Orthodoxæ Prædicatores juxta traditionem Apostolicam Matrem Domini *Deiparam* nominasse & credidisse. Ajunt insuper *Trisagion* & *Doxologion* recentioris ævi esse, atque inde concludunt



¶ sunt perperam tribui Jacobo hanc Liturgiam, in qua ista reperiuntur, sed nugae agunt, nam *Hymnus ter Sanctus* Isaïæ cap. 6. legitur; & *Glorificatio Sanctissimæ Trinitatis* ab Apostolis emanavit, qui, cum credentes baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, eos docuerunt, Patri & Filio & Spiritui Sancto solemnem *Doxologiam* decantare. Ajunt denique alia quædam in ea esse, quæ recentiorum sunt. Hoc probandum ipsis erat; ajunt enim illi, nos negamus. Sed ultro concedamus, nonnulla addita à recentioribus, ut in similibus fieri solet, an idcirco abjicienda omnia velut spuria, illa etiam, quæ genuina sunt? An ideo Pentateuchum Moysi tribuendum non erit, quia in fine Deuteronomii ipsius mors & sepultura ab alio scriptore addita est? Non est hominis sani sic argumentari. Nihil igitur officium Jacobi Liturgiæ Novatorum objectiones. Eam ipsi temerè explodunt, nos veterum testimonio nixi amplectimur & approbamus.

IV. Duodecim Apostolorum nomine duas extare Liturgias apud Orientales scribit Abraham Ecchellensis in notis præcitatis. Liturgiæ quoque S. Barnabæ meminit Alexander Monachus in ejus vita apud Metaphrastem. Hæc autem periisse creditur, illas non vidi. Recenseri item potest inter Apostolicas sancti Clementis Romani Liturgia in Libro Constitutionum descripta & ab Apostolis accepta, ut ille ait, à qua paucis me expediam. Testimonium de illa perhibet Proclus initio tract. *de traditione Missæ*, asserens B. Clementem Apostolis dictantibus eam edidisse: cujus sententiæ adherent Baronius anno 102. num. 23. Bellarminus lib. *de Script. Ecclesiasticis*, & alii, qui eam legitimam esse putant, sed auctam à successoribus. Sicut enim formulam Symboli ab Apostolis traditam Patres deinde auxerunt, ut fidei mysteria clariùs exprimerent; ita Liturgiæ ab illis prout ferebant tempora contextæ, ab aliis postea amplificatæ fuerunt. Alii tamen non infimi subfellii scriptores, qui negant Clementem Apostolicarum Constitutionum auctorem esse, ab eo consequenter Missam abjudicant, quæ pars illarum notabilis est. Photius Cod. 112. tria capita ipsis Constitutionibus opponi ait, sed quæ facile dilui possint. Epiphanius hæresi 70. num. 10. citat librum Constitutionum Apostolicarum, tum ait, *Qui Liber tametsi dubie apud nonnullos fidei sit, non est tamen improbandus; Nam in eo quæ ad Ecclesiæ disciplinam attinent omnia comprehenduntur; neque*

*quidquam aut in fide ac Catholica professione depravatam, aut Ecclesiæ administrationi ac decretis contrarium continent.* Sed has Constitutiones, quas Epiphanius citat, diversas videri ab his quæ octo libris comprehensæ circumferuntur, observat Petavius in suis Animadversionibus: quædam enim illarum sententiæ ab Epiphanio citatæ in vulgatis non extant. At hæc Petavii conjectura est, quæ non obstante haud improbable existimo, easdem esse, sed interpolatas & aliquibus in locis vel librariorum incuria, vel hæreticorum fraude depravatas. Quidam putant, ad eas alludere Dionysium Alexandrinum in epistola, quam refert Eusebius lib. 7. cap. 7. in qua nihil prorsus deprehendo, quod ad Clementem referri possit. Quicquid autem sit de Auctore harum Constitutionum, certum apud omnes & exploratum nunc est, quod si ab Apostolis immediate dictatæ non fuerunt, Concilio tamen Nicæno antiquiores sunt, & in his continetur disciplina Ecclesiastica, quæ Orientalis Ecclesiæ sub Ethnicis Imperatoribus ante Magnum Constantinum regebatur, ut vir eruditissimus Joannes Morinus docet *Parte 2. de sacris Ordinat. pag. 20.* Cui adspicatur Joannes Fronto in prænotatis ad Kalendarium Romanum §. 5. Petrus item de *Marca lib. 3. Concoratiæ cap. 2.* ejus libri Auctorem saltem sæculo tertio floruisse ait, idque omnibus hodie persuasum esse. Est igitur Missa Clementis antiquissima, ejusque testimonio sæpius utar, si non præcisè ut ab Apostolis editæ, & à successoribus auctæ, quod valde probabile est; saltem ut à Patribus secundi vel tertii sæculi usurpata.

V. Illam denique Apostolicam Liturgiam plerique existimant, quam Dionysius magnifico stylo describit c. 3. *Eccles. Hierarchie.* Si enim iste Areopagita fuit, Athenarum Episcopus, & S. Pauli discipulus; Sacrificii ritum & ceremonias ipsum ab eo accepisse, à quo fide imbutus fuerat, rationi consentaneum videtur. At insurgunt multi ex adverso, & multa obijciunt, quibus probare conantur, non esse Dionysii Areopagite opera, quæ illi tribuuntur, sed alterius recentioris. Ajunt ipsum nunquam se Areopagitam aut Episcopum nominare, cum tamen non defuerint illi occasiones hos sibi titulos tribuendi. Cap. 7. *Eccl. Hier. Millenariorum hæresim confutat*, quæ circa annum Christi 120. exorta est. Cap. 6. ejusdem libri Monachorum solemnem consecrationem refert, asserens eos multo antiquiores fuisse, quam ipse fuerit. *Hinc*



*Sancti*, inquit, *Præceptores nostri divinis eos appellationibus sunt profecti*. De his tamen apud scriptores primi & secundi sæculi nulla distincta mentio reperitur, sed de solis Deo dicatis Virginibus: neque si fuerunt tunc Monachi, credibile videtur, illius sæculi persecutionibus & aliis circumstantiis attentis, eos tot ceremoniis fuisse ab Episcopis Deo dicatos. cap. 7. coel. Hierarch. & cap. 1. de Div. nominibus Deum *Tres hypostasos* vocat, suntque illi tres personæ *Tres hypostasos*, eaque voce utitur tanquam suo tempore usitata; cum tamen confet, hoc nomine Græcos primùm usos post concilium Alexand. a. 362. celebratum, repugnantibus Latinis, ut ex Hieronymo constat, qui epist. 57. cap. ultimo Eccles. Hierarch. de infantium baptismo, ejusque circumstantiis agens, quas Ethnici irridebant, se id scribere ait, quod divini Pontifices ab antiqua traditione edocti usque ad ipsum produxerunt. Qui sunt autem hi Pontifices, quæ antiqua traditio, si hic fuit Areopagita Pauli discipulus? Plura de his Morinus *lib. de hier. ordinat. Pref. in ritus Ordinationum traditos à Dionysio*. Omitto magis vulgatas objectiones, ut, quod de illo si fuerint antiqui Patres, Eusebius præsertim & Hieronymus: quod à sæculo Apostolorum stylus abhorreat, grandiloquus, inusitatus, ac in rebus etiam facilibus dithyrambos supergrediens, quod ea scripta hominis videantur, qui in otio & pace senuerit: quod nullum in illis vestigium appareat persecutionum & calamitatum, quibus primi sæculi ecclesia vexabatur: quod sacrorum rituum pompa & apparatus, templorumque majestas, & magnificentia, sicut ab eo describuntur, nascenti Ecclesiæ & Sacerdotibus, sæventium tyrannorum metu, secreto celebrantibus non conveniant: & alia ejusdem generis, quæ apud alios legi possunt. His verò oppositionibus, qui hæc opera Areopagitæ vindicant, acerrimis & prolixis dissertationibus respondent, sed quàm plene, & quàm solide, viderint doctiores: neque enim tanti me facio, ut quæstionem inter viros doctos diu agitatam, & perplexis hinc inde difficultatibus intricatam dirimere, vel componere auserim. Mota hæc lis erat ante annos octingentos vivente Photio, qui cod. 1. suæ Bibliothecæ Theodori Presbyteri librum de hac controversia à se lectum refert, sed non exprimit tempus quo ille scripsit. Per me igitur cuique licebit, cui maluerit parti adhærere, nam qui Apostolico sæculo vixisse contendunt, proposito nostro magis favent; qui posterioris ævi fuisse volunt,

fateri tamen debent circa finem quarti sæculi vixisse, ante annos scilicet mille trecentos, quod ad conciliandam Dionysii scriptis venerationem & auctoritatem satis est. Unus fortassis fuit ex professoribus Platonicæ Philosophiæ, qui in schola Alexandrina, circa finem quarti sæculi vel initio quinti, sapientiæ laude floruerunt, Christi verò fidem amplexus, doctrinam qua priùs imbutus fuerat retinuit: nulla enim ejus pagina legi potest, in qua non appareant phrasæ, axiomata, & idiotismi Platoniorum. Jacobus Billius *Sacrarum observationum lib. 1. cap. 23.* ostendit, apud Gregorium Nazianzenum quædam reperiri mutuata à Dionysio, sed vereor ne ex præjudicata opinione id, quod sibi probandum erat, tanquàm certum posuerit, Dionysium scilicet, ut potè Pauli discipulum, Nazianzenum præcessisse; dicent enim qui contrariæ sunt sententiæ, Dionysium potius ea à Gregorio accepisse. Sermo quoque extat inter opera Joan. Chryostomi de Pseudopropheta & falsis Doctoribus editus à Gerardo Vossio, in quo hæc verba leguntur, *Ubi Dionysius Areopagita volueris Cali?* Sed plerique viri docti hunc sermonem Pseudepigraphum putant. His ergo omnis tanquàm incertis, id breviter referam, quod indubitatum & ab omnibus concessum est; primam scilicet mentionem Dionysii Areopagitæ ejusque operum, quæ ad nostram notitiam pervenerit, factam fuisse in collatione habita Constantinopoli in Palatio Justiniani Imperatoris a. 532. inter catholicos & Severianos, sive Acephalos, in collatione secundæ diei: siquidem in eo congressu ab hæreticis citata, & ab Orthodoxis tanquàm spuria repudiata fuerunt. Sed cum postea matura consideratione agnovissent eorum librorum in fide soliditatem, & admirabilem doctrinam, eos amplexi sunt, & tributum Areopagitæ nomen auctori permansit. Primi inter Græcos, qui Dionysium Areopagitam cum laude citârunt, fuere Leontius *lib. de Scitis Act. 3. & lib. 2. contra Nestorium & Eutichetem*: & Anastasius Sinaita *lib. 7. Anagogic. contempl. in Hexæmeron*, qui ambo Justiniano imperante vivebant. Inter Latinos primus fuit Gregor. Magnus hom. 34. quæm plures deinde sequuti sunt. Lis autem de Auctore tunc nulla erat, postea à Criticis septimi vel octavi sæculi excitata fuit, quorum argumentis respondit Theodorus relatus à Photio cod. 1. Atq; utinam aut ille extaret, aut epitomen responsonum ejus Photius excerpisset, forsitan enim solidas Dionysii vindicias haberemus.



## CAPUT IX.

De variis Ritibus Ecclesia Orientalis. Cur nova Liturgia à Basilio Magno composita. De Liturgia Chrysostomi. Quae gentes lingua Illirica Missas agant. De Colchis, Iberis, Albanis, Melchitis, Nestorianis, Jacobitis, Coptis, Æthiopicis, Maronitis, eorumque Liturgia, Hymnus S. Ephrem. Plurimas esse apud Orientales Liturgias.

I. Plurimae nationes, quae Christi fidem profiterentur, per Orientem dispersae sunt, non tam locorum intervallo à nobis distitae, quam lingua, moribus, & rituum diversitate. De singulis stricim agendum: licet enim multae ab Ecclesiae communione praecise sint, omnes tamen nobiscum unanimiter conveniunt in substantia sacrificii, & in his omnibus quae Fides Orthodoxa de tanto mysterio credenda proponit; in modo tantum & ritu offerendi discrepantes. A Graecis ordior, qui quondam per Orientem longè latèque dominati sunt. Habent illi Jacobi Apostoli Liturgiam, qua diu usi sunt donec Basilius Magnus divino edoctus magisterio suam composuit. De illa actum est supra. Hanc verò commendat Proclus in saepe laudato opusculo. De traditione divinae Missae, Trullana Synodus can. 32. Leontius lib. 3. adv. Nestorium, & alii Patres Graeci quamplurimi. Causam verò, qua motus fuit Basilius ad novum offerendi sacrificii ordinem componendum, hanc tradit Proclus, quia Missam à Jacobo editam, fidei fervore deficiente, homines terrenis negotiis immergi nimis prolixitatis accusabant, quare salubri usus consilio eam in compendium redegit. Magnus, inquit, Basilius hominum socordiam & in deterius prolapsionem conspiciens, ac proinde longinquitate productae Missae periculosos; non quod ipse supervacaneum quidquam, vel nimis longius productum in casore arbitrareretur, sed ut pariter tum simul orantium, tum audientium ignaviam ex longo illo temporis intervallo praecideret, brevior em recitandam tradidit. Ipsa autem Basilii vita inter opera Amphiloehii aliam profert causam his verbis. Postulavit à Deo, postquam Episcopus ordinatus fuit, quò sibi gratiam & sapientiam & intellectum concederet, ut suis ipse verbis incruentum Deo sacrificium offerret, utque in ipsum Spiritum sancti adventus fieret.

ret. Post sex autem dies adstans Dominus in visione cum Apostolis, pane & vino in sacro altari propositum, Basilium excitavit dicens: Secundum petitionem tuam repleatur os tuum laude, ut tuus ipse verbi incruentum sacrificium offeras. At ille non ferens oculis visionem surrexit trenebundus, accedensque ad sacrum Altare caput dicens, ita in charta scribens: Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam Domine Deus noster, qui nos creasti, & duxisti ad hanc vitam, ac reliquias sacrae Liturgiae preces. Post precum verò finem elevavit panem in ensè orans & dicens, Attende Domine Jesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & veni ad sanctificandum nos: & quae sequuntur.

II. Jacobus Goar vir doctus, sacrorumque rituum peritissimus, in Graecorum Euchologio p. 185. ex gemino fine, quem sibi Basilium in eadem Liturgia praefixisse asserunt Proclus & Auctor vitae, geminam quoque ab ipso diversis temporibus scriptam fuisse suspicatur. Unam prolixior em, quo diutius Deo vacaret, alteram brevior em, ne populo & ipsis sacris ministris tedium pareret: & hanc putat Goar posteritati traditam, omniumque consensu approbatam. At quicquid sit de hac conjectura, illud certissimum est duplicem extare Basilii Liturgiam, unam è graeco translata, quae incipit, Dominus Deus noster, qui caelestem panem, universi mundi nutrimentum, Dominum nostrum & Deum Jesum Christum Salvatorem & Redemptorem & Benefactorem nos benedicens & sanctificans em misisti, ipse benedic hanc propositionem, & eam suscipe in supercaelesti tuo altari: Alteram ex Syriaco sermone ab Andrea Masio Latine redditam, quae Anaphora inscribitur, & sic incipit: Aeternè Deus, qui in principio homines creasti ad immortalitatem: & haec a graeca in multis diversa est & multo brevior. Hic accedit tertia à praedictis etiam differens, quam Victorius Scialach Maronita ex vetusto Codice lingua Ægyptiaca cum Arabica interpretatione scripto in Latinum transfudit, quae Bibliothecae Patrum inserta est, & ab hac oratione exorditur: Domine qui nosti corda omnium. Ipsa quoque graeca exemplaria dissimilia esse agnoscit Goar, adeo ut difficile sit judicare quinam sit purus & germanus Basilii textus. Observavit hanc diversitatem praedictus Scialach, eisque reddidit hanc rationem; quod sicut Latini & Graeci Antistites in suis Liturgiis, quas ab Apostolis acceperunt, multa vel addiderunt vel immutarunt, idem etiam ab Alexandrinis & Ægyptiis par est credere pro temporum opportunitate factitatum. Nemo se continuit intra



terminos à Majoribus constitutos, sed quisque addidit quæ sibi aptiora visa sunt ad excitandam in se & in aliis pietatem. Porro Missa Basilii certis dumtaxat diebus utuntur Græci, in Dominicis scilicet sanctæ & magnæ Quadragesimæ, dempta Dominica Palmarum; in sancta & magna Feria quinta, in magno Sabbato, in vigilia Nativitatis Christi & Epiphaniæ, & in die festo ipsius Basilii.

III. Reliquo anni tempore Liturgia Chrysofomi utuntur, qui novæ formulæ componendæ manum admovit eadem qua Basilii ratione impulsus, ut B. Proclus ejus discipulus, & in throno successor affirmat, sic in eodem opusculo scribens. *Haud verò multò post Basilium, Pater ille noster aurea præditus lingua Joannes de ovium salute, ut pastorem decet, strenua cura sollicitus, naturæ humanæ socordiam ignaviamque respiciens, fibras omnes ac radices sathanici prætextus hujus prorsus voluit evellere. Et idcirco multa præcidit, & concisiori præstiorique oratione Sacrum consiciendum statuit, ne sensim homines, qui libertatem quandam & inertiam, quam maximè complectuntur, fallacibus adversarii rationibus decepti, ab ejusmodi Apostolica hac & divina absteriti traditione eam omitterent, quemadmodum hoc ipsum multò, variis sæpe in locis, accidisse ad hunc usque diem deprehendimus.* Hanc Chrysofomi Liturgiam edidit in suo Euchologio Jac. Goar, & cum pluribus tam imprellis quàm M. SS. exemplaribus contulit, discussis, & notis illustravit adeò copiosè & eruditè, ut nihil ejus diligentia addi possit. Excerptit quædam Chrysofomus ex Basiliana & in suam transtulit: plura deinde ab aliis addita, & pro cuiusque nutu inserta sunt, unde maxima exemplarium varietas emanavit.

IV. Aliæ nationes sunt, quæ, quamvis alterius linguæ sint, Græcorum tamen ritibus adherent: Roxolani inprimis seu Moscovitæ, qui, cum Episcopi Græci & Schismatici prædicatione à cultu idolorum ad Christi fidem conversi fuerint, ab eodem Græcorum ritus acceperunt & adhuc retinent, sermone Illyrico. Hos panem hordeaceum in Missa offerre & consecrare scribit, nescio qua fide, Joannes Faber Viennensis Episcopus, *Tract. de eorum Religione.* Idem ritus eadem linguâ in usu sunt apud Christianos Tartaros circa Tauricam Chersonesum, apud Circassos, & quædam Ponticas nationes: itemque in Servia, Mysia, Bosnia, Bulgaria, Russia minori Regi Poloniae subjecta, in Volhunia, Podolia, & parte quadam Lithuanicæ, & in aliis finiti-

mis regionibus. In Istria verò, in Liburnia, & in Dalmatia littorali, Missa & alia officia linguâ quoque Sclavonica celebrantur, sed ritus Romanus est. Cœpit autem hæc lingua in sacris Ecclesiæ functionibus audiri sæculo nono, quo Moscovitas Christianæ Religionis nomen dedisse sub imperio Basilii Macedonis ostendit Baronius in Appendice Tomi VII. *de Ruthenis à Sede Apostolica receptis*; licet alii id ferè contigisse putent prope finem sæculi decimi, imperantibus Basilio juniore, & Constantino. Eodem sæculo S. Methodius Moraviæ Apostolus vixit, qui literis Sclavonicis à Constantino quodam Philosopho repertis eam gentem instruxit, Deiq; laudes decantare docuit: tum Joannes VIII. Romanus Pontifex *Epist. 247. ad Sfenopolchrum Moraviæ Comitem scripta anno 880.* Missas in ea provincia linguâ Sclavonica cantari permisit, dummodò Evangelium prius Latine, & deinde Slavonicè legeretur. Narrat Thomas Archidiaconus Spalatenensis in historia Episcoporum Salonitanorum edita à Joanne Lucio cap. 16. tempore Alexandri II. à Legato Apostolicæ Sedis coactam Synodum omnium Prælatorum Dalmatiæ & Croatiæ, in qua statutum est, ne quis de cætero in lingua Sclavonica præfumeret divina Mysteria celebrare, nisi tantùm in Latina & Græca. Idem statuit Gregorius VII. Alexandri Successor ad Uratislaum Bohemiæ Ducem sic scribens. *Quia Nobilitas Tua postulavit, quod secundum Sclavonicam linguam apud vos Divinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere.* Et paulò post. *Unde ne id fiat auctoritate B. Petri inhibemus, Teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus.* In Provinciis tamen supra nominatis dudum recepta consuetudo prævaluit.

V. Utuntur item Græcis ritibus Colchi & Iberi, inter mare Caspium & Pontum Euxinum siti; nunc Mengrellenses & Georgiani dicti, suo quisque idiomate. Horum mores & hæreses fuisse describit Clemens Galanus, qui eas regiones perlustravit, *Parte 1. Conciliationis Ecclesiæ Armeniæ cum Romana cap. 12.* In eodem Isthmo inter Iberiam & mare Caspium sita est Albania, quæ Armeniorum sequitur ritus. Alia est Albania in Europa, quæ ad mare Jonicum vergit, & Illyrico, sive Dalmatiæ jungitur, atque etiam Epirum complectitur, habetque proprium idioma ab Illyrico & Græco diversum, quo gentes illæ sacra peragunt ritu Græco. Inter Orientales mul-



multitudo numerosa Christianorum est, qui à quibusdam *Græci-Arabes*, ab aliis communiter *Melchite* vocantur. Horum vulgaris sermo Arabicus est, sed in sacris græco utuntur, græcæ enim opinionis & ritus sunt; atque ideo *Melchite*, sive Regii & Imperiales nuncupati fuerunt, quia edictis Imperatorum obediens Chalcedonense Concilium receperunt, & in hoc differunt à Nestorianis & Jacobitis. Ipsi verò Nestoriani & Jacobitæ per Syriam, Assyriam, Persidem, & Indiam, aliasque finitimas Asiæ regiones ingenti numero disseminati, proprias habent Liturgias sermone Chaldaico, non multum à Græcis discrepantes, in quibus Nestoriani Nestorium & Theodorum Mopsuestenum; Jacobitæ autem Dioscorum & Eutychem tanquam Sanctos invocant & venerantur. Noti sunt eorum errores, nec opus est in his recensendis immorari. Alii sunt Jacobitæ Aegyptii, quos Coptos, seu Coptos incertè derivatione vocamus, forsitan à Copto non incelebri superioris Aegypti civitate, cujus Strabo, Plinius, & Ptolomæus mentionem faciunt. Istis peculiaris est Liturgia linguâ Copticâ, quam Athanasius Kircherus in Prodomo Copto veterem Aegyptiacam esse docet, contradicente Joanne Gravio, qui in descriptione Pyramidum Aegyptiarum Græcam corruptam esse contendit.

VI. Copticæ similem Missam habent Æthiopes sive Abyssini, utraq; enim Ecclesia, Aegyptia & Æthiopica, à Patriarcha Alexand. ritus Coptici olim administratione, & iisdem ferè ceremoniis imbuta fuit. Officia divina linguâ Æthiopica celebrant, quæ tamen à populari diversa est. In Lexico Æthiopico Jobi Ludolfi edito Londini post Epistolam præliminarem Jo. Michaëlis Wanslebbii extat indiculus librorum MSS. Æthiopicorum, quorum primus est *Liber Liturgiarum*, in quo sunt decem Liturgiæ sic inscriptæ. 1. Sancti Joh. Evangelistæ. 2. Trecentorum decem & octo Patrum Orthodoxorum. 3. Sancti Epiphaniæ Orthodoxi. 4. S. Jacobi Syracensis. 5. S. Joannis Chrysofomi. 6. Cujusdam innominati. 7. Sanctorum Apostolorum. 8. Sancti Cyriaci. 9. Sancti Gregorii. 10. Sancti Dioscori Patriarchæ Alexandrini, impii scilicet illius, qui in Concilio Chalcedonensi damnatus fuit, quem Æthiopes illius erroribus imbuti ut sanctum colunt. Edita est ejusdem Dioscori Liturgia in fine hujus Codicis linguâ Æthiopica cum Latina interpretatione prædicti Wanslebbii. Sed non est integra, nam multæ orationes primis dumtaxat verbis initialibus indicantur,

integræ verò reperiuntur in Liturgia Æthiopica edita Romæ simul cum novo Testamento. Multa etiam deesse arbitror, nam brevissima est, & non nisi fragmentum prolixioris Liturgiæ, quales esse solent apud Orientales. Sic incipit, *A seculo & usque in seculum est Dominus in regno suo, Dominus in Trinitate, Dominus in Divinitate sua. Antequam aurora & diluculum, antequam dies & noctes essent, antequam crearentur Angeli, fuit Dominus in Regno suo. Antequam expanderentur Cæli, & antequam appareret facies Aridæ, & antequam germinarent herbe, fuit Dominus in Regno suo. Ante Solem & Lunam, & Stellas, & ante circuitus luminarium, fuit Dominus in regno suo. Antequam animalia quæ repunt, antequam aves quæ volant, & antequam belluæ maris essent, fuit Dominus in regno suo. Antequam crearetur homo ad imaginem & similitudinem ejus, & antequam transgredere tur præceptum, fuit Dominus in Regno suo. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in secula seculorum.* Dicit Diaconus, *Pro beato &c.* est oratio pro statibus Ecclesiastico, Politico, Oeconomico, quæ hic deest, & habetur in ea quæ Romæ edita est. *Sacerdos. Audiat Cælum & auscultet Terra, & contremiscant fundamenta Fortium, Beneplacito Patri sui descendit ad* (monet hic interpres hiatum esse in M.S.) *Peregrinus fuit. In virginitate immaculata Deus natus est. In cavernam pecudum illatus est. Mamera Regii sui honoris accepit.* Et sic breviter commemorat vitam Christi, & suo ordine ultimam cœnam, & prolatis verbis consecrationis prosequitur Passionem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, & Missionem spiritus sancti. Postea ait. *Illum spiritum tuum mitte super hunc Panem, & super hunc Calicem. Veniat Agnus & videamus illum in castris, ut mactemus illum, & letemur in illo.* Sic enim orat, ac si nondum peracta esset consecratio. Similis autem oratio reperitur in Liturgia Græca, quam explicabimus Lib. II. Cap. XIII. *Ne autem videatur cuiquam ex nobis, quasi corpus hoc quod comedit, sit corpus absque sanguine & spiritu: & dum bibit calicem hunc, quod sit sanguis tantum absque corpore & spiritu, sed corpus, sanguis, & spiritus est. Prout est Veritas ejus, quæ cum humanitate unum est.* Ita Blasphemus ille, qui unam dumtaxat in Christo naturam impie asserbat. Demum indicantur aliquot orationes communes, & alia brevi superaddita terminatur hoc Fragmentum.

VII. Armenia inter ceteras Asiæ regiones multitudine populorum nulli secunda, S. Bartholomæi Apostoli, ac deinde S. Gregorii illuminatoris prædicatione ad Christi fidem conversa,

eam



eam diu illibatam conservavit, donec tandem Græci erroribus inquinata ab unitate Ecclesiæ miserabili & adhuc permanente diffidio se juncta est. Multa de Armeniorum religione, & hæresibus Clemens Galanus scripsit tomis tribus Romæ editis de illius ecclesiæ cum Romana conciliatione. Habent & ipsi specialem Liturgiam proprio idiomate, quæ ab erroribus ipsorum expurgata Romæ excusa est Armenicè & Latinè typis S. Congregationis de propaganda Fide: sed illis gentibus displicuit, quod in ea quædam mutata. Præter omnium Orientalium morem, Eucharistiam in azymis conficiunt, & contra divinam atq; Apostolicam traditionem aquam vino non miscent. Inter ipsos & Græcos implacabiles semper dissensiones fuerunt, suosq; ritus invicem detestantur. Horum tamen Liturgia græcicum ritum in plerisq; imitatur: adeo ut verba quædam græca in ea permanserint. Extat ejus synopsis apud Cassandrum in Liturgicis c. 12. Aliam etiam vidi M. S. à quodam Sacerdote Armenio in latinum translata, quæ paucis exceptis ab impressa Romæ non differt, & illi prorsus convenit, quæ à Cassandro descripta est. In Armenia majori Nascivanensis provincia sita est, quæ ad veram & Catholicam fidem tempore Joannis XXII. à B. Bartholomæo Bononiensi Ordinis Prædicatorum conversa ab eodem Latinis ritus accepit, quibus omnes in ea degentes linguâ Armeniâ utuntur.

VIII. Hactenus recensitis nationibus pauciores numero, sed fide ac religione præstantiores sunt Maronia, Libani montis juga, & vicinas planities incolentes. Unde nomen acceperint, an à Maronia Syriæ civitate, an à S. Marone Abbate, vel potius à quodam Marone hæretico Monothelita, incertum est. Et ipsi quidem à Marone Abbate sui nominis originem derivant: sed probabilior videtur posterior derivatio, de qua testimonium perhibet testis oculatus Guillelmus Tyrius, qui lib. 22. c. 8. suæ historiæ refert, eos suo tempore Maronis errores abjurasse, & deinceps Romanæ Ecclesiæ adhæsisse, in cujus fide usq; in hodiernum diem constantissimè perseverat. De his plura Morinus in præf. ad ipsorum ordinationes, & ego etiam quædam breviter tetigi lib. de div. Psalmidia cap. 17. §. 16. Arabicè loquuntur, sed sacras functiones peragunt linguâ Chaldaica, sive Syriaca. Cum Græcis conveniunt in quibusdam consuetudinibus, ab ipsis verò & à reliquis Orientalibus, exceptis Armeniis, discrepant, quod Eucharistiam in azymis confi-

ciunt. Liturgiam peculiarem habent, eamque prolixam quam vici M. S. & in latinum conversam in Romano ipsorum Collegio. Gabriel Sionita in epistola ad Nihufium de nonnullis ritibus Maronitarum, inter Symmicta Leonis Alatii, in eorum Liturgiis eadem ferè contineri ait, quæ in Missa Latina, diverso tamen ordine, diversisque ceremoniis. Apparet autem hic consensus & uniformitas, ac veluti ex diversis vocibus consonantia, sive discors concordia in omnibus Liturgiis: & inde palam fit, ordinem sacrificii ab Apostolis traditum esse, & in omnem terram diffusum. Quamvis enim differant diversarum gentium Liturgiæ in singularium partium collocatione, & in verbis, quibus Orationes concipiuntur, iisdem nihilominus membris coalescunt, quæ sunt, peccatorum ante omnia confessio, tum introitus sive quoddam quasi præmium, deinde Psalmi, ac lectiones sacre Scripturæ, & potissimum Evangelii; Symboli recitatio, lotio manuum, commemoratio & invocatio Sanctorum, preces pro omnibus vivis & defunctis, gratiarum actio & benedictio, præter ea quæ essentialia sunt, oblationem scilicet, consecrationem, & communionem. Porro hæc constans & perpetua omnium gentium conspiratio non nisi à spiritu sancto esse potest, cujus influxu totum corpus Ecclesiæ in pace & unitate fovetur, & conservatur. Id verò Maronitis peculiare est, quod dum sacerdos celebrat, Chorus subinde concinit hymnos quosdam S. Ephremi Syri, quos valde elegantes esse ejus linguæ periti testantur. Unum hic transcribo qui lectiori non displicebit. Sunt autem omnes versus in textu syriaco septem syllabarum.

#### Hymnus dum sacerdos incensat.

**G**loria Trinitati  
 Perpetuæ atque æternæ  
 Super incensum hoc suavissimum,  
 Quod offerimus in honorem tuum,  
 Remittas in eo Domine debita nostras,  
 Et dimittas in eo stultitias nostras,  
 Et sit in eo requies mortuis,  
 Ac spes & custodia vivis.  
 Erigantur in eo Ecclesiæ,  
 Et custodiantur in eo Monasteria.  
 Multiplicetur in eo tranquillitas in terra;  
 Et in Regibus pax dominetur.  
 Mitte in eo Domine sanitatem,

Et



Et curationem omnibus languentibus,  
 Et surgant e lectulis  
 Corpora jacentia in angustiis.  
 Et ille qui facit de labore suo  
 Indigentibus ac pauperibus  
 Opus gratia tua.  
 Habitare facias in habitaculo ejus benedictiones.  
 Et illorum qui attulerunt oblationes  
 Et primitias ad templum sanctum,  
 Oblationes acceptentur,  
 Ac peccata dimittantur.  
 Benedic fruges anni,  
 Ac semina & fructus custodiantur,  
 Et a noxiis prohibeantur.  
 Et edant esurientes,  
 Et gratias agant tibi.  
 Recordamur in oratione  
 Super incensum hoc suavitatum  
 Annuntiationis tuae Domine & conceptionis,  
 Nativitatis & nutritionis tuae,  
 Et crucifixionis tuae pro nobis,  
 Mortis & sepulturae tuae,  
 Excitationis ac resurrectionis tuae,  
 Ascensionis tuae in caelum,  
 Ac sessionis tuae ad dexteram,  
 Et totius dispensationis tuae,  
 Quam operata est apud nos voluntas tua.  
 Et parentem ac magistrorum nostrorum,  
 Qui fatigati sunt, & laboraverunt, & docuerunt nos,  
 Et ostenderunt nobis viam vitae,  
 Ut ambularemus in ea in domum Regni.  
 Et mortuorum ac defunctorum,  
 Qui induerunt te ex baptismo.  
 Et participes fecisti eos per pietatem tuam corpore tuo,  
 Et sanguine tuo sancto.  
 Et omnes qui dixerunt, Recordamini nostri  
 In oratione propter Dominum nostrum.  
 Visita eos Domine pietate tua.  
 Et per miserationem misericordiae tuae  
 Sit à thesauro tuo,  
 Per orationem benedictae Mariae  
 Matris qua genuit te,  
 Et per orationem Martyrum benedictorum,  
 Qui interfecti sunt propter te,  
 Et Sanctorum ac Justorum  
 Qui placent tibi odore incensorum suorum,  
 Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,  
 Unus Deus verus,  
 Tibi gloria, ac super nos misericordia tua,  
 In omni momento in saecula. Amen.

IX. Erunt fortassis & aliae gentes peculiari-  
 bus & diversis utentes consuetudinibus, sed ut  
 verba usurpem Nicephori Christi lib. 12. c. 34.

Valde mihi laboriosum & difficile esset, variantes  
 per urbes & regiones omnes Ecclesiarum consuetu-  
 dines enumerare & perscribere: id enim omnino ste-  
 ri nequit. Abraham Ecchellensis in petis ad Ca-  
 talogum Hebediesu pag. 134. numerari ait apud  
 Orientis Christianas gentes supra quinquaginta  
 Liturgias partim communes, partim proprias  
 singularum gentium; ex his autem extare penes  
 se triginta & unam, quae sic ab eo recensentur:  
 Una S. Jacobi, duae duodecim Apostolorum  
 nomine, major scilicet ac minor; duae S. Petri,  
 una S. Joannis Evangelistae, una S. Marci, praeter  
 terea S. Dionysii Aetopagitae, S. Sixti Papae,  
 Julii Romani Pontificis, S. Joannis Chryso-  
 stomi, S. Basilii, S. Cyrilli Alexandrini, S. Jaco-  
 bi Nisibensis, S. Gregorii Theologi, D. Joannis  
 Maronis Patriarchae Antiocheni, alterius Joan-  
 nis Patriarchae Antiocheni, Eustathii item Pa-  
 triarchae Antiocheni, Mosis Barcephae, Jacobi  
 Edesseni, Philoxeni, Eleazari Episcopi Babylo-  
 nis, Marutae Episcopi Tagritensis, Thomae Gi-  
 armachitae, Matthaei Pastoris, Joannis Barsufan,  
 Nestorii, Theodoretii, Diodori, Narsis, Barfo-  
 mae. Gabriel quoque Sionita in epistola praeci-  
 tata se habere codicem M. S. testatur est sexdecim  
 Anaphoras, seu Liturgias complectentem, qua-  
 rum prima adscribitur Xysto Pontifici Romano,  
 secunda Joanni Evangelistae, 3. Petro Principi  
 Apostolorum, 4. duodecim Apostolis, 5. Jaco-  
 bo fratri Domini, 6. Sancto Marothae, 7. Diony-  
 sio, quem Barselibaenum nuncupant, 8. Joanni  
 Chrysostomo, 9. Matthaeo Pastori, 10. Joanni  
 Patriarchae cognomento Barsufan, 11. Eusta-  
 thio, 12. Marco Evangelistae, 13. Proclo Epif-  
 copo Byzantino discipulo S. Joannis Chryso-  
 stomi, 14. Mosis Barcephae, 15. Phillixino, 16.  
 Julio Pontifici Romano. Duae in Bibliotheca  
 Patrum postremae editionis reperiuntur, Grego-  
 rii Nazianzeni & Cyrilli Alexandrini nomine  
 praenotatae, quas Victorius Scialach ex textu  
 Arabico Latinas fecit.

## CAPIT. X.

De Missa Ambrosiana. A quo fuerit insti-  
 tuta. Ordo ejus describitur. Aliquot Ri-  
 tus peculiare Ecclesiae Mediolanensis.

I. DE Ritibus Mediolanensis Ecclesiae multa  
 descripsit Ambrosiani collegii Doctor Joseph  
 Viccomes, lib. 2. de Ritibus Missae, quae nec  
 Zz appro-



approbare, nec refellere in animo est. Ait illos à S. Barnaba Apostolo institutos, à S. Mirocle- te auctos, à S. Ambrosio illustratos, ideòque Ambrosianos post ejus decessum dici cœpisse: cumque de illis abolendis ageretur, miraculis approbatos fuisse. Ad hæc autem probanda, cum multa sibi suppetere testimonia asserat, nullum tamen profert, præter Galvanœum & Beroldum, quos inquit in instructissima Bibliotheca Ambrosiana, & in tabulario ecclesiæ Metropolitanæ MSS. asservari. Sed isti ignoti scriptores sunt, quorum auctoritas quanti ponderis sit, aliis discutiendum relinquo. Nescio enim qua ætate vixerint, & quo nixi fundamento ea scripserint, quæ Vicecomes ex illis refert. Quod verò attinet ad Missæ Ambrosianæ institutionem, de qua nobis sermo est, Walfridus Strabo ante annos octingentos Ambrosio adscribit *lib. de reb. Eccles. cap. 22.* his verbis, *Ambrosius Mediolanensis Episcopus tam Missæ, quam cæterorum dispositionem officiorum suæ ecclesiæ & aliis Liturgiis ordinavit. Quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia.* Straboni autem suffragatur illius Ecclesiæ & totius Italiæ traditio, à qua sine evidenti ratione recedendum non est. Sed sive Ambrosius, sive alius antiquior eos ritus instituerit, id pro certo habendum, non fuisse à mutationibus immunes, quas aliis contigisse supra ostendimus. Fuerunt enim ab Archiepiscopis aucti sæpius, & aliqua ex parte innovati, ut perspicuum erit antiqua Missalia cum recentioribus conferenti.

II. Ordo autem Missæ Ambrosianæ hic est. Sacerdos Missam celebraturus stans in infimo altaris gradu signat se signo crucis, tum Psalmo *Judica me Deus* cum antiphona alternatim recitato, dicit Versum, *Constemini Domino quoniam bonus*, respondentq; Ministri, *Quoniam in sæculum misericordia ejus.* Et immediate sequitur confessio more Romano. Ea peracta dicit Versus, *Adjutorium nostrum in nomine Domini, & Sit nomen Domini benedictum;* post quos secretò recitat hanc orationem: *Roga te altissime Deus Sabaoth, Pater Sancte, ut pro peccatis meis possim intercedere & astantibus veniam peccatorum promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare.* Mox accedens ad altare dicit aliam orationem, *Oramus te Domine,* ut in Romano. Deinde in cornu Epistolæ legit *Ingressam*, quæ est veluti Introitus Romanus, sed sine Psalmo, sine Gloria, & sine repetitione. Eâ finita dicit, *Dominus vobiscum,* non se vertens ad populum, statimque sequitur *Gloria in Excelsis*, si dici debeat, postea ten *Kyrie eleison,* & iterum

*Dominus vobiscum.* Sequitur Oratio super populum una vel plures, ut ordo officii postulat, & rursus dicit, *Dominus vobiscum.* Legit deinde Epistolam, & post eam *Alleluja* & Versum, vel cantum sine *Alleluja* pro ratione temporis. Diebus vero Dominicis & aliis solemnioribus ante Epistolam legitur Lectio una ex veteri Testamento cum Psalmello, ut vocant, instar Gradualis Romani. Post Epistolam præmissa oratione, *Munda cor meum,* dicit *Dominus vobiscum,* seque signans in fronte, ore, & pectore ait, *Lectio S. Evangelii* &c. & dum respondetur *Gloria tibi Domine,* inclinans versus Crucem petit benedictionem, quæ est similis Romanæ: tum legit Evangelium. Eo lecto in medio altaris dicit *Dominus vobiscum,* ter *Kyrie eleison,* atque iterum *Dominus vobiscum.* Legit deinde Antiphonam post Evangelium, & tertio repetit *Dominus vobiscum:* tum ait *Pacem habete,* cui respondetur, *Ad te Domine.* Subjungit quartò *Dominus vobiscum,* & orationem sive Collectam unam vel plures, quas vocant super sindonem, clara voce. Mox accipit patenam cum hostia & eam offert, insusque vino & aqua in calicem, ipsum quoque offert: & super oblata recitat aliquot orationes, post quas legit Offertorium, & post ipsum ait *Dominus vobiscum,* & si Credo dicendum sit, hoc loco dicitur. Postea præmissa *Dominus vobiscum,* dicit clara voce unam vel plures orationes nostris Secretis similes. Sequitur Præfatio singulis feriis & festis propria: tum Canon idem cum Romano, paucis quibusdam verbis exceptis, quæ infra suo loco notabuntur. Immediate ante consecrationem priusquam dicat, *Qui pridie,* accedit ad cornu Epistolæ, & summitates digitorum lavat & extergit nihil dicens. Canone autem perfoluto usque ad orationem Dominicam exclusivè frangit hostiam, & particulam in calicem missa legit Confractorium, & est quedam Antiphona in singulis Missis diversa: statimque subdit, *Oremus. Præceptis salutaribus moniti,* cum oratione Dominica, & *Libera nos quæsumus Domine,* alta voce. His finitis ait, *Pater & communicatio Domini nostri, Jesu Christi sit semper vobiscum:* cui respondetur, *Et cum spiritu tuo.* Dicit deinde, *Offense vobis pacem,* & respondetur, *Deo gratias.* Tum recitat tres orationes ante communionem, dictoque *Domine non sum dignus,* communicat se corpore & sanguine Domini: & facta purificatione dicit in cornu Epistolæ Transitorium, quod idem est ac Romanis Communio, *Dominus vobiscum,* & unam vel plures oratio-



orationes post communionem. Subdit iterum, *Dominus vobiscum*, ter *Kyrie eleison*, & in medio altaris signat se dicens, *Benedicat & exaudiat nos Deus*. Respondetur, *Amen*. Sequitur *Procedamus in pace*. Respondetur, *In nomine Christi*. Mox ait, *Benedicamus Domino*, & responso *Deo gratias*, dicit orationem *Placeat tibi*, benedicique populum, & legit initium Evangelii secundum Joannem. Denique recedit dicens Canticum *Benedicite* more Romano. In Missis solemnibus altare, & oblata incensant, sicut Romani solent.

III. Cæterum Ambrosiani nunquam dicunt *Agnus Dei* nisi in Missa pro Defunctis. Textus Scripturarum quas legunt in Missa non semper congruit cum editione vulgata: in his enim, & præsertim in Psalmis utuntur peculiari versione quæ antiqua & Italica nuncupatur, de qua agam Libro II. Cap. III. In Dominicis Quadragesimæ dicto *Dominus vobiscum* post Ingressam, præces recitant pro Ecclesia, pro Pontifice & omni Clero, pro Imperatore & Rege, pro omni statu hominum, & pro diversis necessitatibus, Choro vel Ministro ad singulas respondente *Domine miserere*, vel *Kyrie eleison*. In die sancto Resurrectionis & per octavam in ecclesiis Collegiatis duas Missas cantant, unam pro baptizatis, alteram de Festo. Per totam Quadragesimam nullam habent Missam pro feriâ sextâ, nec celebrant ea die: idque omnino prohibuit S. Carolus in tertia Synodo Diocæsana Decreto 20. etiam funeris, vel exequiarum, sive alterius cuiusve rei occasione. Et in Synodo XI. hujus antiquæ consuetudinis hanc reddit rationem; quod illa dies plena mœroris sit ob acerbissimam Christi passionem; sacrificium verò spirituales populi læticiam præ se ferat. Tum statuit, ut illis diebus Crux in altari adoranda solemniter exponatur, & concio de passione Domini habeatur. In Ecclesia Metropolitana hoc inter cætera specialiter observatur, quod celebrans cantata oratione super sindonem medius inter Diaconum & Subdiaconum, præcedentibus duobus Acolythis cum duobus vasis argenteis, descendit ad ingressum Presbyterii, ubi recipit oblationes panis & vini more antiquo, quas duo senes de schola quam vocant S. Ambrosii, induti linteo albo, nigroque caputio cæteris senibus comitantibus offerunt, singuli videlicet tres hostias, & vasculum argenteum vino albo plenum. Post hæc descendens ad ingressum chori inferioris recipit mulierum oblationem: quas duæ rem se-

niores istdem ceremoniis offerunt. Sunt & alia multa, quæ ab illa insigni & celeberrima Ecclesia speciali ritu observantur, sed pro meo instituto hæc pauca sufficiunt.

## CAPUT XI.

*De Missa Mozarabum. Cur Hispani dicti Mozarabes. Hujus ritus institutio. Hæreticorum fraude depravatur. Desiit tandem Romanis ritibus subrogatus. Quo tempore hæc mutatio contigerit, & de turbis ob eam exortis. A Francisco Ximeno restituitur. Describitur Missa Mozarabica, ejusque ritus.*

I. Officium divinum, quo olim Hispania, & vicinæ gentes utebantur, Gothicum & Mozarabicum dictum est. Gothicum, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi ibidem dominabantur: Mozarabicum verò, quia cum Arabes Hispaniam penè omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo Mozarabes, id est mixti cum Arabibus dicti sunt. Quidam à Muza Arabe, qui Toletum expugnavit, Christianos, qui in ea civitate remanserant, Muzarabes dictos autumant, sed prior etymologia præferenda, cui rerum Hispanicarum scriptores consentiunt. A quibus & quo tempore hoc officium institutum fuerit, incertum est. Baronius anno 633. ejus auctorem fuisse putat Isidorum Hispalensem. Cum enim Patres in Concilio quarto Toletano, cui præfuit Isidorus, congregati decrevisset Can. 2. per omnem Hispaniam & Galliciam unum & eundem modum servari in Missarum solemnitatibus, & in matutinis, ac vespertinis officiis, ipsi Isidoro, qui cæteris doctrina & sanctitate antecellebat, hoc munus ex Baronii conjectura emanatum fuit, ut ecclesiastica officia componeret, quibus omnes Hispaniarum Ecclesiæ deinceps uterentur. Confirmat Baronii assertio nem inscriptio librorum, quibus hæc officia continentur. Sic enim inscribi solent, *Officium Gothicum, sive mixtum, secundum regulam S. Isidori, dictum Mozarabes*. Mihi autem, ne huic sententiæ statim adhæream, quædam sunt, quæ gravem ingerunt difficultatem. Nam primò in Missa S. Martini in oratione post nomina hæc verba leguntur; *Hunc virum, quem ætatis nostræ*



tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus: Martinus autem obiit anno Domini 402. & primitus ex Confessoribus paulo post obitum publico cultu cœpit honorari; ergo multò ante Isidorum hæc Missa scripta fuit. Deinde si Isidorus hujus officii auctor fuit, cur nec Braulio Cæsarau gustanus, nec Ildefonsus Toletanus viri sancti & Isidoro familiares, ille in elogio ipsius Isidori, hic in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, nullam operis adeò excellentis mentionem faciunt? His accedit, quod Concilium quartum Toletanum aliquot hujus officii ritus *Can. 11. & sequentibus* tanquam jam antea usitatos commemorat: & tertium item Toletanum, annis 44. ante quartum, *Can. 2.* statuit, in singulis ecclesiis Symbolum recitari priusquam dicatur oratio Dominicalis, qui est mos peculiaris Missæ Mozarabicæ. Ipse quoque Isidorus *lib. de Script. Eccl.* Leandri fratris sui & in sede Hispalensi antecessoris scripta recensens, testatur ipsum in Ecclesiasticis officiis non parvo studio laborasse, & in sacrificii Laudibus atque Psalmis multa dulcisonè composuisse. Joannes Mariana *lib. 6. de rebus Hispaniæ cap. 5.* usum inquit obrinuisse, ut Isidoro ritus Mozarabicus tribuatur, nonnulla tamen Leandrum inuenisse. Quod si Leander dumtaxat inuenit, crediderim hoc officium Concilio tertio Toletano, cui Leander interfuit, antiquius esse, & sæculo quinto jam in usu fuisse, ut ex Missa Sancti Martini modò ostendimus; sed de primo ejus Auctore non constare, ab ipso tamen Leandro illustratum, ab Isidoro auctum, ab aliis progressu temporis amplificatum, nominatim ab Ildefonso, cujus opera Julianus Toletanus in *Appendice ad librum ejus de Scriptoribus Ecclesiasticis* in quatuor partes diuisit, & tertiam fuisse ait Missarum, Hymnorum, atque Sermonum. Ipse item Julianus, qui diem clausit extremum Æra Hispanica 728. anno scilicet Christi 690. scripsisse dicitur, ut in eadem *Appendice Felix Episcopus refert*, „ Librum Missarum de toto circulo anni in quatuor partes diuisum, in quibus aliqua vetustatis incuria vitiatas ac semiplenas emendavit, atque complet, aliquas verò ex toto composuit. Item librum orationum de festiuitatibus, quas Toletana Ecclesia per totum circulum anni est solita celebrare, partim stylo sui ingenii depromptum, partim etiam in olita antiquitate vitiatum, studiose correctum in unum congescit, atque Ecclesiæ Dei usibus ob amorem reliquit sanctæ Religionis. Petrus quoque Her-

denfis Episcopus orationes & Missas edidit eleganti sermone, diuersis solemnitatibus congruentes. Et Saluus Abbas Albaidensis Monasterii, Missas etiam & orationes atque hymnos composuisse dicitur, plurimam cordis compunctionem legentibus & audientibus tribuentes.

II. Quamvis autem hoc officium à viris sanctis, & Orthodoxis compositum fuerit, Hispania tamen ab Infidelibus devastata, ita erroribus refertum est, ut Elipandus Toletanus Episcopus ex ipsis officiis depravatis plura acceperit testimonia ad suam hæresim astruendam, ut constat ex Albino Flacco libro aduersus eundem Elipandum. Diu viguit hic ritus in Hispania, in Gallia item Narbonensi, & in aliis regionibus Gothorum regno subiectis, donec Gregorii VII. auctoritate in Romanum mutatus est. Extat de hac re ipsius Gregorii Epistola exhortatoria ad Alfonso Castellæ & Sancium Aragoniæ Reges, & ad Episcopos in eorum ditione constitutos, in qua primò asserit Hispaniam in ordine diuini officii cum Romana Urbe initio susceptæ fidei habuisse concordiam; *Sed postquam*, inquit, *vesania Priscillianistarum diu pollutum, & perfidia Arianorum deprauatum, & à Romano ritu separatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Saracenis, regnum Hispaniæ fuit; non solum religio est diminuta, verum etiam mundanae sunt opes labefactaæ.* Tum illos hortatur, ut Romanæ Ecclesiæ ordinem & officium recipiant: *quod etiam*, ait, *Episcopi vestri ad nos nuper venientes juxta constitutionem Concilii per scripta sua facere promiserunt, & in manu nostra firmaverunt.* Hæc Gregorius epist. 64. lib. 1. qui etiam per legatum suum in Hispaniam missum ad hoc negotium perficiendum ipsos Reges sollicitabat. Narrat Petrus de Marca in historia Bearni lib. 2. cap. 9. Romanum officium Gothico expulso receptum primò fuisse in Regno Aragoniæ anno millesimo sexagesimo octavo, tempore Alexandri II. qui hac de causa Hugonem Candidum Cardinalem legatum suum misit in Hispaniam. Idem ait in Catalonia observari curasse Comitem Raimundum Berengarium. Expulsum item à Regno Navarræ curante Sancio Rege Aragonum, postquam operâ & ope Gregorii VII. Navarræ Rex electus fuit. Et Sancium quidem primum omnium Pontifici obtemperasse testantur historici, quem propterea idem Greg. lib. 1. ep. 63. valde commendat. Alfonso verò adhuc nutabat & obnitebatur suasu cu-

jurdam



justam Roberti Cluniacensis, qui nefandissimus seductor & ab introitu ecclesiae separatus dicitur à Greg. lib. 8. ep. 3. Rem denique promovente Constantia Alfonsi uxore, quae in Gallia nata Romano officio à tempore Caroli Magni ille recepto, utpote illi assuetas favebat; consensit Rex ut Gothico officio abrogato Romanum reciperetur. Hac de causa sic ipsum Regem laudat Greg. lib. 6. epist. 2. „Noverit Excellentia tua, Dilectissime, illud unum admodum nobis, imò clementiae divinae placere, quod in ecclesiis regni tui, matris omnium S. Romanae Ecclesiae ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari feceris. Denique in illo quem haecenus tenuisse videmini, sicut suggerentibus Religiosis viris didicimus, quaedam contra Catholicam fidem inserta esse parulo convincuntur. Quae cum relinquere, & ad priscam consuetudinem, scilicet hujus Ecclesiae, reverti deliberasti, non dubie te B. Petrum patronum optare, & subditorum tuorum salutem coelesti gratia inspirante, sicut Regem decet, curare monstrasti.

III. Acta sunt ista circa annum millesimum octuagesimum, subditis pervicaciter contradicentibus, qui à veteri precandi ordine, & ab avitis ceremoniis aegerrime discedebant. Placuit autem primoribus populi rem non ratione sed ferro decerni, ac si omne jus in armis foret. Duo viri electi sunt, quorum unus pro Romano, alter pro Gothico officio singulari certamine pugnant. Ajunt vicisse illum qui pro Gothico praeliatur. Sed urgente Regis praeccepto, & adhuc populo tumultuante, litem igni dirimendam tradiderunt. Uterque Codex officiorum Romani & Gothici succenso rogo injectus est. Gothicus illaesus in igne permansit, Romanus flammis consumptus est. Utrumque eventum pugnae & ignis Rodericus Archiepiscopus Toletanus refert lib. 6. de rebus Hispaniae cap. 26. testis unicus & singularis, qui illis non interfuit, nec potuit interesse. Nam Gregorius VII. quo praecipiente officium mutatum est, obiit anno 1085. Rodericus autem 1245. Alii recentiores ipsam Rodericum sequuti sunt, penes quem hujus fabulae vel historiae fides sit. Tunc igitur in Hispania Romanus ritus Mozarabico abrogato receptus fuit; qui tamen in aliquibus Monasteriis aliquanto tempore custoditus est, ut asserit Rodericus, qui etiam testatur, translationem Psalterii ritus Gothici propriam, adhuc ipso vivente in plurimis Ecclesiis Cathedralibus, & in Monasteriis recitatam fuisse. Aded verum est, aegre divelli

homines à consuetudinibus, quas à majoribus receperunt. Ne autem tantae antiquitatis ritus omnino interiret, viri celeberrimi Francisci Ximenii Archiepiscopi Toletani cura providit. E Gothicis enim tumultis suscitatum novis characteribus recudi iussit, instituto Sacerdotum collegio, à quibus quotidie divina officia & Missarum solemnia usque in hodiernum diem hoc ritu celebrantur in sacello, quod in majori Ecclesia Toletana aedificavit. Sunt etiam Toleti aliquot Paroeciae, in quibus Ordo iste Mozarabicus adhuc servatur, idemque fit Salmanticae in sacello Doctoris Talabricensis. De illius origine, duratione & instauratione diffusè & eleganter tractat Alvarus Gomerius lib. 2. de rebus gestis Cardinalis Ximenii.

IV. Porrò Missa Mozarabica haec est. Postquam Sacerdos vestes sacras induit, dicit Responsorium: *Pater peccavi in caelum & coram te. Kyrie eleison. Pater noster. Ab oculis meis, cum oratione, Deus qui de indignis dignos facis.* Deinde procedit ad altare, & praemissa Angelica salutatione ait: *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Spiritus Sancti adsit nobis gratia. Introibo ad altare Dei. Judica me Deus.* Finito Psalmo & repetita Antiphona dicit hos versus: *Dignare Domine die isto. Confitemini Domino quoniam bonus. Ora pro nobis sancta Dei genitrix, sequiturque Confessio cum versibus, & oratione, Aufer à nobis.* Et statim accedit ad altare, facitque crucem super aram dicens: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Et osculato altari recitat Antiphonam de cruce: *Salve Crux pretiosa, cum quatuor Collectis.* Tum demisso capite dicit. *Per gloriam nominis tui Christe Fili Dei vivi, & per intercessionem S. Mariae Virginis, & B. Jacobi, & omnium Sanctorum tuorum auxiliare, & misereere indignis servis tuis, & esto in medio nostri Deus noster, qui vivis, & regnas in saecula saeculorum.* Mox in dextro cornu altaris legit Introitum cum versiculo Psalmi, & glorificatione Sanctissimae Trinitatis his verbis concepta: *Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui sancto in saecula saeculorum. Amen.* Ultima pars Introitus repetitur post Psalmum, & iterum post Gloria. Qua repetitione peracta dicit: *Per omnia saecula saeculorum. Respondetur, Amen.* Sequitur immediatè Gloria in excelsis: & iterum, *Per omnia saecula saeculorum, & oratio, antequam non dicitur Oremus, nec in fine, Per Dominum nostrum: sed tantum responderetur, Amen.* Recitata oratione progreditur ad medium altaris dicens: *Per misericordiam tuam* Deus



Deus noster, qui es benedictus & vivus & omnia regni in secula seculorum. Respondetur Amen. Postea stans in medio ait, Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Legiturque Prophetiam: Lectio Isaie Prophetæ. Respondetur Deo gratias, & in fine lectionis, Amen. Iterum Sacerdos dicit, Dominus sit semper vobiscum. Tum canitur Responsorium non dissimile Graduali Romano. Quo decantato Sacerdos dicit, Silentium facite: & legit Epistolam, *Sequentia Epistola Petri Apostoli ad Romanos*. Respondetur Deo gratias, & in fine Amen. Eâ lecta petit benedictionem, & præmissa salutatione Dominus sit semper vobiscum, legit Evangelium, *Lectio sancti Evangelii secundum Joannem*. Respondetur Gloria tibi Domine, & in fine Amen. Tum iterum dicit, Dominus sit semper vobiscum, & cantatur laus, id est, versus cum Alleluja in principio & in fine. Offerit deinde hostiam & calicem cum orationibus propriis, & thus adolet, si Missa solemnis sit. Sequitur oratio, *In spiritu humilitatis*, ut in officio Romano. Tum ait: *Adjuvate me fratres in orationibus vestris, & orate pro me ad Deum*. Respondetur, *Adjuvet te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Cantatur deinde *Sacrificium*, & est Antiphona cum quibusdam versiculis correspondens Offertorio Romano: & lavat manus dicens: *Lavabo inter innocentes manus meas*. Et post lotionem benedicit oblata. Mox inclinatus ante altare dicit sub silentio hanc orationem. „Accedam ad te in humilitate spiritus mei, loquar ad te, quia multam spem in fortitudine dedisti mihi. Tu ergo Fili David, qui revelato mysterio ad nos in carnem venisti, clavo crucis tuæ secreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphim, qui candenti carbone illo, qui de altari tuo sublatus est, fordentia labia mea emundet, mentem enubilet, docendique materiam subministret, ut lingua quæ proximorum utilitati per charitatem servit, nec erroris insonet casum, sed veritatis resulter sine sine præconium, per te Deus meus, qui vivis & regnas in secula seculorum Amen.

V. Post hanc orationem sic in Missali scriptum est: *Incipit Missa*. Fortè quia huc usque adesse poterant Catechumeni. Dicit Sacerdos, Dominus sit semper vobiscum, & orationem diei convenientem, cui respondetur, Amen. Subdit, *Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus & vivus & omnia regis in secula seculorum*. Et responso Amen, elevat manus dicens, *Agius, Agius, Domine Deus æterne, tibi lau-*

*des & gratias. Ecclesiam sanctam Catholicam in orationibus in mente habeamus, ut eam Dominus fide & spe, & charitate propitius ampliare dignetur. Omnes lapsos, captivos, infirmos, atque peregrinos in mente habeamus, ut eos Dominus propitius respicere, redimere, sanare, & confortare dignetur*. Respondet chorus vel Minister, *Præsta æterne Omnipotens Deus*. Sequitur brevis sermo ad Populum, qui inscribitur *Missæ*, in qua Sacerdos æstantes hortatur, ut diei sive festivitatis mysteria contemplantur. Formula hæc est ex die Ascensionis Domini.

„Placeat, dilectissimi fratres, sæcularium cogitationum fasce deposito in sublime mentibus subvolare, & impositam ætheris fastigio assumpti hominis communionem sequacibus cordis oculis contueri. Ad incomparabilem nobis claritatem attonitus vocandus aspectus est. Jesus Dominus noster humilitatem nobis terrarum, cælorum dignitate commutat. Acutus necesse est visus esse, respicere quo sequamur. Hodie Salvator noster post assumptionem carnis sedem repetit Deitatis. Hodie hominem suum intulit Patri, quem obrulit passioni. Hunc exaltans in cælis, quem humiliaverat in infernis. Hic visurus gloriam, qui viderat sepulturam. Et qui adversus mortem mortis suæ dedit beneficium, ad spem vitæ donavit resurrectionis exemplum. Hodie rediit ad Patrem; cum tamen sine Patris, qui sibi æqualis est, potestate non venerit. Hodie ascendit in cælum, qui obsequia cælestium, cum descenderet, non amisit. Ita in Patris naturæ unitate consistens, ut cum homo cælum novus intraret, novum tamen Deus hominem non haberet. Petamus igitur ab omnipotentia Patris per nomen Filii Salvatoris gratiæ spiritualis ingressum, æternæ beatitudinis donum, beatæ mansionis ascensum, catholicæ credulitatis augmentum, hæreticæ infidelitatis excidium. Audiet præfectò in confessione, quos in perdizione quaesivit. Adfuerit suis, qui non destitit alienis. Aderit agnitus, qui non desuit agnoscendus. Non patietur orphanos esse devotos, qui filios facere dignatus est inimicos. Dabit effectum supplicationis, qui promisit spiritum sanctitatis. Amen.

Hæc lecta concione, quæ in singulis Missis diversa & propria est, subsequitur oratio definiens in hæc verba, „Per misericordiam tuam Deus noster, in cuius conspectu sanctorum Apostolorum, & Martyrum, Confessorum

„ atque



atque Virginum nomina recitantur. Amen.  
 Offerunt Deo Domino oblationem Sacerdotes nostri, Papa Romanus & reliqui pro se, & pro omni Clero, & plebibus Ecclesie sibi met configatis, vel pro universa fraternitate. Item offerunt universi Presbyteri, Diaconi, Clerici, ac Populi circumstantes in honorem Sanctorum pro se & suis. *Respondetur*, Offerunt pro se, & pro universa fraternitate. *Subdit Sacerdos*: Facientes commemorationem beatissimorum Apostolorum & Martyrum, gloriosae sanctae Mariae Virginis, Zachariae, Joannis, Infantium: Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Andreae, Philippi, Thomae, Bartholomaei, Matthaei, Jacobi, Simonis, & Judae, Matthiae, Marci, & Lucae. *Respondet Chorus*, & omnium Martyrum. *Ait Sacerdos*, Item pro spiritibus pauperum Hilarii, Athanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, & recenset quadraginta sex nomina, quorum pleraque sunt Episcoporum Toletanorum. *Respondetur*, & omnium pauperum. Quomodo autem cum caeteris defunctis quorundam quoque Sanctorum commemoratio hic fiat, Lib. II. Cap. XIV. explicabo. Sequitur oratio quae dicitur *Post nomina*, cui respondetur *Amen*, statimque dicit Sacerdos: *Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in aeterna saecula saeculorum.* Tum legit aliam orationem, quae vocatur *Ad pacem*, & sic concluditur, *Quia tu es vera pax nostra, & charitas indisrupta, vivis tecum, & regnas cum Spiritu Sancto in usque saecula saeculorum. Amen.* Subjungit Sacerdos elevans manus, *Gratia Dei Patris Omnipotentis, pax ac dilectio Domini nostri Jesu Christi, & communicatio Spiritus Sancti sit semper cum omnibus vobis.* Respondetur, & cum hominibus bonae voluntatis. Deinde dicit, *Quomodo astartis pacem facite.* Respondet Chorus, *Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis, non sicut mundus dat, pacem do vobis.* Quibus cum versiculo *Gloria & honor Patri* repetitis, ait Sacerdos, *Habete osculum dilectionis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei.* Et statim dat pacem Diacono vel ministro, & ille populo. Post haec junctis manibus inclinatur se dicens: *Introsbo ad altare Dei mei.* Respondetur, *Ad Deum qui laetificat juventutem meam.* Mox ait Sacerdos, *Aures ad Dominum.* Respondet Minister, *Habemus ad Dominum.* Sacerdos, *Sursum corda.* Minister; *Levemus ad Dominum.* Sacerdos, *Deo ac Domino*

*nostro Jesu Christo Filio Dei, qui est in caelis, dignas laudes, dignasque gratias referamus.* Minister, *Dignum & justum est.* Tum dicit Sacerdos quam vocant *Illationem propriam* in singulis Missis, & ut plurimum valde prolixam ad instar Praefationis Romanae: & post eam cantatur *Sanctus* more Romano, nisi quod in fine addunt graecè; *Agius, Agios, Agios, Kyrie Orbeos.* Et protinus subjungit Sacerdos orationem, quae dicitur *Post sanctus*, & est veluti appendix Praefationis, *Verè Sanctus, verè benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, &c.* Quae finita illico submissa voce incipit Canonem his verbis.

*Adesto, adesto, Jesu bone Pontifex in medio nostri, sicut fuisti in medio discipulorum tuorum & sanctifica hanc oblationem, ut sanctificata sumamus per manus sancti Angeli tui, sancte Domine, & Redemptor aeternae.* Quibus dictis ait, *Domine noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur, &c.* Fitque consecratio, & elevatio. Sequitur deinde oratio, quae dicitur *Post pridie*, diversa pro diversitate Missarum, dum ait, *Te praestante sancte Domine, quia tu haec omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas, sanctificas, vivificas, benedixisti & praestas nobis, ut sint benedicta à te Deo nostro in saecula saeculorum. Amen.* Accipit deinde Corpus Domini de patena, & ponit super calicem discoopertum, & ait; *Domine sit semper vobiscum.* Respondet Chorus, *Et cum spiritu tuo.* Ait Sacerdos, *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus:* statimque elevat corpus Domini, ut videatur à populo, & dicunt omnes *Symbolum*, *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem.* Interim Sacerdos frangit hostiam per medium in duas partes: & accepta una parte facit ex ea quinque particulas & ponit in patena in linea recta, habentque singulae proprium nomen: nam prima vocatur *Corporatio*, hoc est incarnatio, 2. *Nativitas*, 3. *Circumcisio*, 4. *Apparitio*, 5. *Passio*. Accepta similiter altera parte, facit ex ea quatuor particulas, quarum haec sunt nomina, 6. *Mors*, 7. *Resurrectio*, 8. *Gloria*, 9. *Regnum*, & eas collocat in patena ordine hic expresso.



	Corpora- tio	
Mors	Nativi- tas	Resur- rectio
	Circum- cisio	Gloria
	Appa- ritio	Regnum
	Passio	

Statimque digitos benè purgat, & cooperto calice orat secretò pro Fidelibus viventibus, si-  
ve ut verbis Missalis utar, facit *Memento pro vi-  
vi*. Hæc autem omnia ferè complentur, dum  
Chorus cantat Symbolum. Tum recitat ora-  
tionem Dominicam præmissa brevi præfatione,  
quæ in singulis Missis variatur. Ad singulas pe-  
titiones respondetur, *Amen*; hæc excepta, *Pa-  
nem nostrum quotidianum*, cui respondetur, *Quia  
Deus es*. Sequitur immediatè oratio semper ead-  
em, „Liberati à malo, confirmati semper in  
„bono tibi servire mereamur Deo ac Domino  
„nostro. Pone Domine finem peccatis nostris,  
„da gaudium tribulatis, præbe redemptionem  
„captivis, sanitatem infirmis, requiemque de-  
„functis. Concede pacem & securitatem in  
„omnibus diebus nostris, frange audaciam ini-  
„micorum nostrorum, & exaudi Deus oratio-  
„nes fervorum tuorum omnium fidelium Chri-  
„stianorum in hac die & in omni tempore.  
„Per Dominum nostrum. Post hæc oratio-  
nem accipit particulam, cui nomen *Regnum*,  
& mittit in calicem dicens submissa voce,  
*Sancta Sanctis, & conjunctio corporis Domini  
nostri Jesu Christi sit sumentibus & potanti-*

*bus nobis adveniam, & defunctis præstetur ad  
requiem. Tum dicit alta voce, Humiliate vos  
ad benedictionem. Dominus sit semper vobiscum.*  
Et benedictionem tribus distinctis petitioni-  
bus largitur, quibus singulis respondetur *A-  
men*. Qua impetrata iterum ait, *Dominus sit  
semper vobiscum*. Et cantatur Responsorium,  
quod vocatur *Ad accedentes*, quo monentur  
fideles accedentes ad communionem, ut dili-  
genter perpendant quem cibum sint suscepturi.  
Postea accipiens aliam particulam, cui no-  
men *Gloria*, tenet illam super calicem, &  
facit *Memento pro defunctis*, eorumque com-  
memoratione peracta, ac brevi præmissa ora-  
tione sumit illam particulam, quam habet in  
manu, cæterasque per ordinem. Tum sumit  
calicem, factaque ablutione legit hæc Anti-  
phonam, *Resecti Christi corpore & sanguine,  
te laudamus Domine. Alleluja, Alleluja, Al-  
leluja*. Sequitur oratio Romanæ Postcommu-  
nioni similis, & post eam *Dominus sit sem-  
per vobiscum*, finemque annuntiat dicens, *So-  
lemnia completa sunt in nomine Domini nostri  
Jesu Christi, votum nostrum sit acceptum cum  
pace*. Respondetur *Deo gratias*. Recitat de-  
nique flexis genibus ante altare *Salve Regina*  
cum oratione, *Concede nos famulos tuos*. Et  
conversus ad populum dat ei benedictionem  
dicens, *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos  
Pater & Filius, Amen*. Statimque discedit  
ab altari. Et notandum, quod Sacerdos nun-  
quam se vertit ad populum, nisi cum hæc  
postremam benedictionem largitur; & cum  
dicit, *Adjuvate me fratres in orationibus ve-  
stris*. Confessionem more Romano, & alias  
orationes ante Introitum, sicut & Antiphô-  
nam *Salve regina* in fine addidit officio Go-  
thico Franciscus Ximenius. Addidit etiam of-  
ficia quadam Sanctorum & alia festa recentioris  
ævi, atque ideo propter hæc quæ adjecit, Mil-  
sale mixtum nuncupavit.



## CAPUT XII.

*De Missa Gallicana ante tempora Pipini & Caroli Magni. Eorum cura Ritus Romanos in Galliam introductos. Quae sit Missa ante annos centum edita ab Illyrico. Eam veterem Gallicanam non esse. Ritus Gallicani vestigia ex antiquis Scriptoribus. An idem fuerit Gallia & Hispania mos in Divinis officiis. Conjectura & exempla veteris Missae Gallicanae.*

**I.** Implicatum haerere me fateor in hac disquisitione, in qua suscepti operis ratio exigit, ut de Missa ante Pipinum, & Carolum Magnum in Gallia usitata, ejusque ritibus agam: cum enim tot saeculorum decursu eorum memoria interierit, nemo non videt, quam difficile futurum sit, è rudibus antiquitatis veluti è tumulis sepultos eruere, & ad lucem revocare. Conabor tamen, Dei gratia aspirante, quae & qualis ea Missa fuerit, ex quibusdam vestigiis, quae in veterum scriptorum monumentis supersunt, indagare; & cum quorundam hac de re conjecturas examinavero, meas proponam, liberumque iudicium de utriusque lectori relinquam. Ut autem certa ab incertis ante omnia fecernam, hoc tanquam exploratissimum suppono, veteres ritus in Gallicanis ecclesiis abrogatos, & Romanos introductos fuisse jussu piissimorum Regum Pipini & Caroli Magni ante annos ferè nongentos. Cujus rei luculentum testimonium praebet idem Carolus in Tractatu de sacris Imaginibus contra synodum Graecorum, quem à diversis auctoribus compositum, ut docet Baronius anno 794. Religiosissimus Princeps Adriano Papae examinandum misit. Nam lib. 1. cap. 6. postquam dixit, Ecclesiam Gallicanam nunquam à Romana recessisse, ait: „Quae dum à primis fidei temporibus, cum ea perstaret in religionis „sacrae unione, & ab ea paulò distaret, quod tamen contra fidem non est, in officiorum celebratione, venerandae memoriae genitoris nostri „Illustrissimi atque Excellentissimi viri Pipini „Regis curâ & industriâ, sive adventu in Gallias Reverendissimi & Sanctissimi viri Stephani Romane Urbis Antistitis, est ei etiam in „psallendi ordine copulata, ut non esset dispar

„ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi, & quae unitae erant unius sanctae legis „sacra lectione, essent etiam unitae unius modulationis veneranda traditione, nec se jungeret „officiorum varia celebratio, quas conjunxerat unice fidei pia devotio. Quod quidem & „Nos collato nobis à Deo Italiae regno fecimus, sanctae Romanae Ecclesiae fastidium „sublimare cupientes, & Reverendissimi Papae „Adriani salutaribus exhortationibus parere nitentes, scilicet ut plures illius partes Ecclesiae, quae quondam Apostolicae Sedis traditionem in psallendo suscipere recusabant, nunc „eam cum omni diligentia amplectantur; & „cui adhaeserant fidei munere, adhaereant quae psallendi ordine. Quod non solum omnium Galliarum Provinciae, & Germania, „sive Italiae, sed etiam Saxones & quaedam Aquilonaris plagae gentes per Nos, Deo annuente, ad verae fidei rudimenta conversae, „facere noscuntur. Idem Carolus in praefatione Homiliarum totius anni, quas ejus jussu Alcuinus collegit, Pipinum ait genitorem suum totas Galliarum Ecclesias Romanae traditionis cantibus decorasse. Extant de hac cura Pipini & Caroli in propagandis Romanis ritibus aliquot epistolae Summorum Pontificum inter eas, quas ipse Carolus collegisse dicitur, ediditque Gretzerus, nempe 25. Pauli Papae ad Pipinum, in qua scribit, se ei misisse Antiphonale & Responsale; & ex 43. ejusdem Pauli constat, quanta sollicitudine optimus Rex satageret, ut Religiosi sui regni bene instructi essent in cantu Romano. Ibidem Epist. 82. Adrianus Papa Carolo scribit, se illi misisse Sacramentarium S. Gregorii, quod petierat. Et lib. 5. Capitularium cap. 219. sancitum est, ut unusquisque Presbyter Missam celebret ordine Romano. Possem & alia ex Historicis illorum temporum testimonia afferre, sed illis in re aperta opus non est. His igitur praetermissis ad rem propositam accedendum est.

**II.** Matthias Flaccus Illyricus, Centuriatorum Magdeburgensium ac rigidorum Lutheranorum Princeps, Missam Latinam in antiquo codice M. S. repertam typis mandavit Argentinae anno 1557. eique hunc titulum praefixit, *Missae Latinae, quae olim ante Romanam circa septingentesimum Domini annum in ususuit, bona fide ex vetusto authenticoque Codice descripta.* Et in Epistola praefationari ad Principem Palatinum Rhenum opinari se ait, eam in usu fuisse in Occidente



præsertim in Gallia, & in Germania, *antequam Romana Missæ ratio ubique recepta est.* De sunt in ea Introitus, Collectæ, Epistola, Graduale, Evangelium, Offertorium, Præfatio, Postcommunio, & quædam alia, quæ generaliter tantum sine ulla speciali assignatione nominantur; quia dierum festorumque varietas diversos exigit Introitus, diversas Orationes, Epistolas, & reliqua, quæ singulis Missis peculiaris sunt. Ex quo destruitur falsa Illyrici opinatio, existimantis unicam olim fuisse Missæ celebrandæ rationem absque ullo discrimine temporum & festivitatum. Hujus autem Missæ evulgatione credidit vir improbus, se plurimum detrimenti Catholicæ Ecclesiæ allaturum, ac si illa antiquos sacrificii ritus perperam innovasset; sed excecavit illum malicia sua, nam è contrario Orthodoxæ fidei dogmata, receptique Ecclesiæ ritus ex ea passim confirmantur, Sanctorum scilicet, & B. Virginis invocatio, realis præsentia Christi in Eucharistia, confessio auricularis, oratio pro vivis & defunctis, & alia ejusdem generis multa. Quod cum Lutheri asectæ statim animadvertissent, omnia edita exemplaria, quotquot reperire potuerunt, in unum congesta igne protinus concremarunt: & hinc factum est, ut codex ille rarissimus sit, quem nec *Cassander*, nec *Pamelius* viderunt, licet eo tempore vixerint, & in perquirendis libris ad sacros ritus pertinentibus diligentissimi fuerint. Vidit tamen *Menardus*, qui eam Missam examinat, & cum altera simili à se edita confert in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 380. & sequentibus. Vidit *Guillelmus Duperatius*, qui ejus synopsis refert in Tractatu de juribus & antiquitatibus capellæ Regis Galliarum lib. 2. cap. 13. à pag. 561. & deinceps. Hanc ego Romæ & alibi diu, sed frustra, quæsitam reperit tandem Viennæ in instructissima Imperatoris Bibliotheca studio ac diligentia Cantoris celeberrimi *Caroli Veterani*, qui eam transcripsit ex edito Codice, quem ipsi libentissimè communicavit V. Cl. ejusdem Bibliothecæ præfectus *Petrus Lambecius*. Incidit postea in manus meas eruditum opus *Annalium Ecclesiasticorum Francorum auctore Carolo le Cointe*, quibus inserta est Tomo 2. anno 601. num. 20. cum variis notis & observationibus. Ne quid autem hic desit, quod ad Missæ Latinæ illustrationem pertineat, eam in calce hujus operis veluti appendix recudi faciam, simul cum alterius similis Missæ fragmento nondum edito.

III. Porro *Guillelmus præcatus*, & cum sequutus *Carolus*, quamvis non ignorarent, quæ fides præstari posset hæretico pervicacissimo; aliis tamen studiis impediri ne rem accuratius perpenderent, ipsi asserenti sine teste, & ex mera suspitione omni fundamento destituta, illam esse Missam in Gallicanis Ecclesiis usitatam, antequam Romanam recepissent, facile crediderunt, idque nonnullis conjecturis stabilire conati sunt. Sed quam longè absit hæc Missa à veteri Gallicana, & quam falsum de ipsa ac præposterum judicium tulerit Illyricus, hic primitus ostendam; mox meas de vera Gallicana Missa conjecturas proponam, peritorumque ac eruditorum hominum, quibus Gallia abundat, censuræ subjiciam. Quæro autem primo loco, unde sciat Illyricus, Missam, quam edidit, regnum *Pipini* antecessisse, aut quo teste, quoque argumento id probet. An *Pythagoricum* illud obtrudet, *Ipse dixit*? At ego didici nulli mortalium credere, nisi dicti sui rationem reddat. Credo potius viro sapientissimo *Hugoni Menardo*, qui loco citato haud contemnendis rationibus demonstrat non tantæ esse antiquitatis, quantum illi sectarius affinxit, sed duobus aut tribus sæculis posteriori. Quis etiam illum docuit, Romanam antiquiorem & ab ea diversam esse? *Clausius* enim vel in totum *Homericis* oculis liquet, ut phrasim *Tertulliani* usurpem, eam meram ac puram Missam Romanam esse diversis orationibus interpolatam. Notavit hoc *Georgius Wicellius Lutheri* primum discipulus, postea Catholicus in defensione Liturgiæ Ecclesiasticæ, statim ac in eam oculos fixit. „Edidit, inquit, „Illyricus repertam Missam Latinam, non „triumphans tamen de thesauro tanto adversus „Catholicos, cum vel cæcipienti homini appareat, totum illud quod edidit, contra Lutheri, „Calvinique sectas edidisse, sed & nobis Catholicis rem longè gratissimam fecisse. Quid enim „nisi Missam Latinam, quæ hodiè in usu generalis est, insciens imprudensque defendit? Tantum abest, ut suo sectæque more oppugnet. „Locupletior est illa quidem, plusque precum „continet, sed omnino tamen eadem est cum „usitata; cujus etiam dicta factaque omnia passim sequitur, ut diversam esse confirmare nemo audeat. Hæc *Wicellii* verba refert & laudat *Carolus le Cointe* anno supra notato num. 21. Eidemque consentit, agnoscentes hanc esse puram-putam Missam Romanam, quæ hodiè in usu est, licet plures insertæ sint ei orationes. Ait



Ait nihilominus, hanc Missam his precationibus auctam Gallicanam fuisse: ac si Gallicanae Ecclesiae tunc relictis propriis ritibus ordinem Romanum jussu Pipini suscepisse censeantur, cum rejectis precationibus Missae Illyrici adjunctis puram Missam Romanam frequentare ceperunt, quod sane absurdum foret. Sicut enim homo nudus, & idem diversis indutus vestibus, unus & idem homo est: ita Missa Romana semper Romana est, etiamsi plures eidem orationes immisceantur. Deinde Illyrici Missa nullam habet similitudinem aut convenientiam cum his, quae de Missa veteri Gallicana mox citandi auctores tradiderunt. Ajunt enim in Gallicanis Missis Martyrum passiones descriptas fuisse, cujus rei in Missa Illyrici ne minimum quidem vestigium extat. Ajunt antiquum ordinem Missarum diversum prorsus fuisse ab usu Romanae Ecclesiae, ac Missa Illyrici à Romana non differt, imò eadem est, sed interpolata. Denique obsecro nullam hujus Missae Illyricianae apud antiquos Patres & ecclesiasticos scriptores mentionem reperiri; nullam ejus in Conciliis sive in Decretis summorum Pontificum approbationem extare: ex quo conficitur, privatam alicujus Episcopi institutione Missae communi & Romanae tot orationes superadditas, ut iis recitandis Sacerdos occuparetur, cum Missam solemniter decantabat, eo praesertim tempore, quo Introitum, Graduale, Symbolum & caetera hujusmodi Chorus modulatur. Idem prorsus dicendum de duabus similibus Missis, quas ex antiquis codicibus Hugo Menardus edidit in Appendice ad librum Sacramentorum S. Gregorii, eas nimirum peculiari devotione ab aliquo Episcopo institutas: Tantum abest ut olim toti Galliae communes fuerint. Cumque in illis regionibus tot Concilia habita sint, tot viri doctrina & ecclesiastica eruditione praestantissimi floruerint, quorum etiam nunc scripta leguntur, nulla tamen harum Liturgicarum precationum vel tenuis umbra in illis apparet, quod certe magni momenti est ad Illyrici commentum explodendum de ipsius Missa communiter in Galliis usurpata.

Accedit aliud argumentum ad falsam Illyrici persuasionem evertendam, quod alia quaedam Missa eodem modo interpolata reperitur ad usum alicujus Ecclesiae Romanae Dioceseos, quam opportunè mihi videre contigit, dum Illyricianam evolverem. Ea extat in Codice M. S. Bibliothecae Eminentissimi Cardinalis Chiffi num. 1521. caractere Longobardico, cui desunt

quaedam folia in principio, & multò plura in fine. Continet primò aspirationes ad Deum ex psalmis artificiosè contextas, & alias orationes ac Litanias: secundò ordinem Missae usque ad Evangelium dumtaxat, nam reliqua vel ab iniqua manu avulsa, vel hominum incuria desunt, magno ecclesiasticae eruditionis detrimento. Hoc fragmentum haecenus ineditum, ne prorsus intereat, publici juris faciam in fine hujus Tractatus post Missam Illyrici, cui ferè in omnibus consonat, quamvis orationes superadditae saepe dissimiles sint. Haec autem nullo modo spectabat ad Gallicanam, nam utitur versione Psalmorum Italica, quae diu in usu fuit non solum in Urbe, sed & in omnibus Ecclesiis suburbicariis, ac etiam in aliis regionibus, excepta Gallia quae versionem à S. Hieronymo emendatam statim recepit, atque idèd Versio Gallicana dicta est. Cum igitur Missa Romana multis superadditis orationibus ad instar ejus, quam Illyricus veterem Gallicanam fuisse dixit, in Italia quoque usitata, atque aliis Ecclesiis communis fuerit, hinc satis perspicue infertur, non fuisse eum ritum specialem alicujus regni aut provinciae; sed uni tantum vel aliquod Ecclesiam privatam proprii Episcopi auctoritate absque ulla Synodorum, vel Apostolicae Sedis approbatione tributum. In Missali item M. S. Bibliothecae Vaticanae num. 3807. proponitur oratio, *Summe Sacerdos* pro celebrantis arbitrio recitanda, dum in Choro *Kyrie* vel *Gloria* cantatur. Eadem praescribitur in Missali Hispanensis Ecclesiae & ordinis Praedicatorum. Ex quibus omnibus & ex duabus Missis editis à Menardo id quoque deducitur, quod praedictae interpolationes in solis Missis solemnibus locum habebant, ut tam Sacerdos quam Ministri, psallente Choro, iis vel ex integro vel ex parte recitandis occuparentur. Ex silentio autem veterum scriptorum, qui nullam harum Missarum mentionem faciunt, & ex raritate codicum, in quibus repertae sunt, non improbabiler conjicio, vel ab Ecclesiis, quibus traditae erant, non fuisse receptas; vel statim cum suis auctoribus interiisse. Abhorrent enim plerique à prolixitate; & qui religiosiores sunt, aegre novitatibus consentiunt; nec orationes in publicis Ecclesiae functionibus facile admittunt, nisi fuerint juxta decretum Milevitani Concilii, aliasque Ecclesiasticas sanctiones synodali vel Apostolica auctoritate approbatae. Missas hujusmodi cepisse arbitror prope finem saeculi decimi, sive initio undecimi, ut de suis asserit Menardus, qui Illyricianam his antiquiorem non putat. Eiusdem aevi,



decimi nimirum sæculi, est Codex Chisus, nam characterem Longobardicum, quo scriptus est, in fine ejus sæculi defuisse viri periti à me consulti asserunt. Idem colligitur ex Sanctis, qui prima parte libelli in Litanis recensentur, nam cum omnes sancti Monachi singillatim invocentur, non tamen illi, qui circa annum millesimum & deinceps floruerunt. Notæ quoque musicales, quibus in Ordine Missæ prænotantur *Gloria in excelsis*, & *Dominus vobiscum*, illæ sunt, quæ in usu erant ante Guidonem Aretinum. Hæc omnia, si rite perpendantur, illyrici commentum refellunt, qui sine probabili testimonio ausus est Missam à se repertam veteris Gallicanæ nomine publicare.

V. Restat nunc pars disquisitionis obscurior, quæ reverà, & qualis fuerit in Galliis sacrificii offerendi ratio ante Pipinum usitata. Et quia non licet in re tam gravi aliquid proprio ingenio fingere, aut divinare; evolvenda Antiquorum monumenta sunt, & solerter investigandum, an saltem ejus vestigia alicubi reperiantur, ut ex iis, quantum fieri poterit, de toto corpore, quod interit, judicium ferre possimus. Occurrit autem hæc indaganti primus omnium Hilduinus, qui in epistola ad Ludovicum Pium, quam suis Areopagitici præfixit, postquam de vitâ S. Dionysii Scripta cujusdam Visbii commemoravit, alterum testem profert antiquum ordinem Missæ Gallicanæ his verbis: „Cui adscriptum videntur antiquissimi, & nimia penè vetustate congesti Missales libri continentes Missæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei usu in hac Occidentali plaga est habitus, usquequò tenorem, quo nunc utitur, Romanum suscepit. In quibus voluminibus habentur duæ Missæ, quæ sic inter celebrandum ad provocandam divinæ miserationis clementiam, & corda populi ad devotionis studium excitanda, tormenta Martyris sociorumque ejus succinctè commemorant, sicut & reliquæ Missæ ibidem scriptæ aliorum Apostolorum vel Martyrum, quorum passiones habentur, notissimè decantant. Hæc Hilduinus, ex quo habemus primam notam Missæ Gallicanæ, quod ejus scilicet orationes sanctorum Martyrum passiones strictim complecterentur. Alteram suppeditat Carolus Calvus Imperator sic scribens in Epistola ad Clerum Ravennatem. „Usque ad tempora abavi nostri Pipini Gallicanæ Ecclesie aliter quam Romana vel Mediolanensis Ecclesia divina celebrabat officia, sicut vidimus

„ & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ ecclesie ad nos venientes secundum morem ipsius ecclesie coram nobis sacra officia celebraverunt. Celebrata etiam sunt coram nobis Missarum officia more Hierosolymitano auctore Jacobo Apostolo, & more Constantinopolitano auctore Basilio: sed nos sequendam ducimus Romanam Ecclesiam in Missarum celebratione. Hæc altera nota est, quod Missa Gallicana eadem esset ac Toletana, quandoquidem Carolus, ut ejus discrimen à Romana oculis & auribus perciperet, more Toletano jussit coram se celebrari. Huc etiam spectat Berno Augiensis Abbas, qui cap. 2. ait, *In nostri Monasterii Archivio habetur Missalis longe aliter ordinatus, quam Romana Ecclesia se habeat usus*. Loquitur autem ibi de diversitate veteris Missæ Gallorum & Hispanorum à Romana. Cum igitur ex testimonio Hilduini Abbatis hoc Missæ Gallicanæ peculiare fuerit, quod ejus orationibus Martyrum passiones insertæ essent: cum Carolus Rex testetur se ab ecclesia Toletana adscivisse Presbyteros, qui prisco & dudum in Galliis abolito ritu coram se sacrificium offerrent: hinc manifestè deducitur, veterem Missam Gallicanam ei similem fuisse, quæ Toleti & per universam Hispaniam atque etiam in Gallia Narbonensi Gothorum regno subdita agebatur, eo ritu qui Mozarabicus nuncupatur, de quo Capite superiori actum est; eo siquidem ritu sanctorum gesta & passiones in præfationibus, & aliis liturgicis precibus commemorantur, eique soli convenit esse prorsus diversum à Romano, ut de suo Missali asseruit Berno Abbas. Accedit huic sententiæ, seu mavis conjecturæ, robur ex Gregorio Turonensi, in cujus historia quædam Missæ Gothicæ vestigia in ecclesiis Gallicanis eo vivente celebratæ mihi deprehendere visus sum. Nam lib. 4. cap. 16. lectam primò ad Missam ait Prophetiam, tum Lektionem ex Apostolo, demum Evangelium: agit autem de S. Tetrico Episcopo Lingonensi. Et lib. 8. 7. *Adveniente, inquit, die Dominico Rex ecclesiam ad spectanda Missarum solemnia petit, fratres verò consecratosque qui aderant, locum Palladio Episcopo agenda festa præbuerunt. Quo incipiente Prophetiam, Rex interrogat quis esset*. Libro item 7. cap. 8. meminit silentii indicti in Missa, quod proprium est Missæ Mozarabicæ, sicut & legere in singulis Missis Prophetiam ante Epistolam. Casarius quoque Arelatenensis hom. 12. Lektionen Propheticas, Apostolicas, & Evangelicas recitatas



recitatas in Missa commemorat. Poterunt & alia huiusmodi vestigia in rerum Gallicarum scriptoribus fortassis reperiri, si quis eos attentius evolvat; sed mihi tantum otii non est.

VI. Caeterum non absurdam neque incredibilem esse hanc sententiam de utriusque Missæ Gallicanæ & Hispanicæ similitudine, præter ea quæ dicta sunt, alia etiam persuadent. Dum enim vetustos Codices in celebrioribus Bibliothecis perquiro, factum est Dei nutu, ut duos antiquissimos repererim, quorum seriem, stylum, characterem, singulasque Missas in eis contentas, sedulo consideranti venit protinus in mentem, utrumque esse vetus Missale Gallicanum, quia & illis ad amissim conveniunt, quæ Hilduinus tribuit Gallicis Missalibus à se visis; & præcis ritibus consonant Ecclesiæ Toletanæ, ex qua Carolus Calvus sacerdotes adscivit, ut antiquum Galliæ morem ab ipsis celebrantibus disceret. Utrumque autem cum ipso Gothico, seu Mozarabico à Cardinali Ximeno edito conferens, inveni ordinem & methodum Missæ eundem esse, orationes verò diversas. Unus ex his codicibus extat in Bibliotheca Serenissimæ Suecorum Regiæ ante annos nongentos scriptus, ut periti censent, literis quadratis & majusculis, signatus num. 626. quem olim fuisse ajunt amplissimi viri Petavii Senatoris Parisiensis, emptum verò à Regina post ejus decessum. Desunt ei aliquot folia in principio, & in fine. Initio præfixus hic titulus est manu recentiori, *Missale Gothicum*; & ex eo quædam liturgicæ preces exceptæ sunt, & tomo VI. Bibliothecæ veterum Patrum editionis novissimæ Parisiensis insertæ pag. 155. Alter est Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ ejusdem ferè antiquitatis, cui imperitus Antiquarius manu quoque recentiori Missæ Romanæ titulum inscripsit, cum ab ea plurimum distet. In Codice Regiæ, quo diu uti licuit benignitate V. Cl. Benedicti Mellini ejus Bibliothecæ præfedi, est Missa propria sancti Martini Turonensis Episcopi, tributo ei nomine Patris nostri; ex quo suspicor hoc Missale vel Turonensis, vel alterius Gallicanæ Ecclesiæ fuisse huic Sancto specialiter dedicatæ; nam in Missali Mozarabico extat quidem de eo Missa propria, sed sine additione *Patris nostri*. Ut autem appareat utriusque Missæ discrimen, aliquot ejus orationes hæc transcribam; primum quidem ex Codice Regiæ, quem Gallicanum vocabo, deinde ex Mozarabico.

*Collecta de S. Martino ex Missali Gallicano.*

**S**ummi Sacerdotis tui Patris nostri Martini Episcopi hodie depositionem celebrantibus tribue nobis Domine, ut sicut commemoracionem ejus devotissimè colimus, ita & opus fideliter imitemur.

*Eadem ex Mozarabico.*

**J**esus Deus noster & Domine, qui iustitiam meritis Martinum Confessorem atque Pontificem ita fecisti sapientiam custodire, ut in gloria mereretur & jucunditate consistere: da nobis veræ sapientiæ intellectum, & sanctæ operationis studium, ut pauperibus prærogantes substantiam, facinorum nostrorum evadamus vindictam.

*Oratio post nomina ex Gallicano.*

**A**uditis nominibus offerentium, Fratres Carissimi, omnipotentis Dei inenarrabilem misericordiam supplices postulamus, ut nomina nostra, qui in hunc celeberrimum diem in honorem sancti Antistitis sui Martini offerimus, benedicere & sanctificare ipso suffragante dignetur: & quod illi hodie collatum est ad gloriam, nobis quoque proficiat ad salutem.

*Eadem ex Mozarabico.*

**D**eus qui mirabilis es in Sanctis tuis, cujus cultui deputatur, quicquid amicis tuis honoris impenditur; intenta oratione te poscimus, ut hunc diem quem sancti, & incomparabilis viri Martini illustravit excessus, prosperum nobis & posteris in rebus actionum propiciatus indulgeas. Tribuasque ut cujus veneratores sumus, imitatores effici mereamur. Hunc etiam virum, quem Cœlicolis admirandum, Martyribus adgregatum ætatis nostræ tempora protrulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus. Dubium enim non est, quod sit Martyr in cœlo, qui fuit Confessor in sæculo. Cum scistur non Martino martyrium, sed martyrio defuisse Martinum. Oramus Domine, ut, qui tantum potuit tuis æquari virtutibus, ut vitam mortuis redderet, dignetur etiam defunctorum spiritus consolari, ac viventes in tribulatione defendere, qui potens fuit mortuos suscitare.



*Oratio. Ad pacem ex Gallicano.*

**I**nclina Domine aurem tuam ad preces familiarum tuarum, & da pacem, quam permanere iugiter præcepisti. Illud etiam specialiter præstare digneris, ut pacem charitatem teneamus, quam Pontifex tuus Martinus in hoc sæculo, te optulante, meruit obtinere.

*Eadem ex Mozarabico.*

**M**ultis coram te Deus Pater exultantes in laudibus, Confessores tui Martini hodierna die obitus memoriam facimus, doctrinam recolimus, operum memoramur. Qui licet totum vitæ suæ cursum gloriosa decoraverit pace, finem tamen ineffabili charitatis bono reddidit & probabilem & illustrem. Cum vicinum suscernens terminum finis, pacem inter se discordantibus restituit Clericis. Quoad æternam continuò vocatus hæreditatem, exemplo Domini tenendam suis pacem discipulis commendaret. Hujus ergo viri suffragis pelle à nobis Deus quicquid dividit unitatem, & dona, ut eidem consortes simus in præmio, cujus hinc dilectionis edocemur exemplo.

*Inlatio, sive Præfatio ex Gallicano.*

**D**ignum & justum est, nos te Domine Deus noster in laudibus sancti Martini honorare, qui sancti Spiritus tui dono succensus, ita in ipso tyrocinio fidei perfectus, ut Christum texisset in paupere, & vestem quam egenus acceperat mundi Dominus induisset. O felix largitas, qua Divinitas operitur! O clamidis gloriosa divisio, quæ militem texit & regem; Inestimabile donum est, quod vestire Dominum meruerit Deitatis. Dignè huic confessioni tuæ præmium commisit: dignè Arianorum non subjacuit feritati: dignè tanto amore Martinus persecutoris tormenta non timuit, securus quia tanta erat gloriatio passionis, ut per quantitatem vestis exiguæ & vestire Dominum meruit, & videre. O animi imitanda benignitas! O virtutum veneranda potentia! Sic egit suscepti Pontificatus officium, ut per formam probabilis vitæ observantiam exegerit disciplinæ. Sic Apostolica virtute sperantibus contulit medicinam, ut alios supplicationibus, alios visu salvaret. Hæc tua Domine veneranda potentia, cui cum lingua non supplet

meritis exorare, operibus sancti Martini te optulante mereamur imitari. Per Christum Dominum nostrum.

*Eadem ex Mozarabico.*

**D**ignum & justum est nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater æternæ, Omnipotens Deus, in depositione anniversariæ commemorationis sancti Martini Episcopi, & Confessoris tui. Quem pro pietate tua, & servitute sua, tam beatum labore, quam munere inter Sanctorum omnium florentissimas legiones, ac felicissimos Martyrum choros, & illustres eminentium Seniorum cathedras dextri ordinis locum tenere confidimus. Quia bona arbor bonos fructus facit, & bonus homo de bono thesauro cordis sui bona profert. Cumque in eodem Evangelio ipse docuerit, ex fructibus eorum cognoscetis eos: hunc ergo inter justos justè numerandum testatur facta per sæculum, signa post transitum, operam vixit, mirabilia post recessum. Cum præsertim ad unum sanctitatis culmen diversus mitat ascensus, non una est virtutum via, quæ gloriæ tuæ ducit ad regnum. Quid enim minus est crucem ferre per tempora, quam mortem subire per vulnera? Quid inferius est mundum vincere, quam gladium non timere? Cum plus luctaminis habeat diuturnitas crucifixi, quam celeritas interempti. Quid supereminet affectus martyrii consuminatus, quam diutius custoditus? Non distat propter te mortificatus à mortuo, cum in utroque sit gloriosum & abuti velle quod placeat. Pugnam sustinere sine defectu, an coronam rapere sine metu? Propositum non mutare sub spatio, an implere desiderium sub momento? Par est ut credimus inlecebris non cedere per dolorem, ubi æqualis in dilectione animus. Percussor deest fidei, non confessor. Voluit triumphare dum militat, qui militare non desistit dum consummat. Inter carnales pugnas & spirituales insidias laboriosius est hostem occultum superare, quam publicum. Quia non sit levius sperare semper quem caveas, quam non formidare quem videas. Jugiter in procinctu providere cautelam, quam fortiter in congressu servare constantiam. Non interest in angustia vivere servitutis, aut in pœna devincere feriendum. Quotidie declinare quod decipiat, aut cum compendio ambire quod finiat. Postremò in agone Martyrum ad extruendam fidem, hoc semper proponitur quod horreat; hic



hic etiam quod delectat. Ibi tormenta terrori, hic etiam blandimenta discrimini. Ibi homo nititur expugnare per amara, hic diabolus inlaqueare per dulcia. Ibi mors securitatem praestat, hic securitas mortem facit: ibi alienae impietas, hic propria naturae mobilitas inimica est. Sed in his omnibus nihil sibi sine adiutorio tuo arrogat humana fragilitas. Tuis muneribus debet unusquisque deputare quod vicit, qui tuis viribus portavit uterque quod perit. Horum tu verus arbitrator Deus, quos propter nos supplices quaesumus, ut sicut illi tibi accepti, ita nos illis mereamur esse suscepti. De quibus hoc nobis sufficit credere, quod una amoris tui causa per diversa merita, discretio vel sine vel tempore, feliciter afflicti, veraciter probati, potenter praediti, clementer assumpti, & aequaliter sint beati. Cui merito omnes Angeli & Archangeli non cessant clamare quotidie, ita dicentes: *Sanctus, Sanctus, &c.*

Ex his in exemplum adductis palam fit, utramque Missam eodem ut dixi, tenore procedere, licet orationes diversae sint. Sunt autem in his quaedam obscura in quibus haeret sensus, vitio procul dubio scriptoris, sed ego apographum fideliter expressi, venerandam reverentis antiquitatem. Ut verò magis appareat, quis & qualis sit tenor Missae, quam Gallicanam puto, operae pretium duxi ex eodem Missali M. S. Reginae integram Missam S. Stephani Protomartyris hoc loco in publico proferre, in qua desunt Antiphonae, Epistola, Evangelia, & alia huiusmodi quae in distincto Codice contineri solent. Desunt quoque ea omnia, quae omnibus Missis communia sunt. Si quis eam conferat cum Mozarabice edita à Ximeno, inveniet orationes diversas esse, sicut vidimus supra in Missa sancti Martini, sed forma eadem est.

VII. Ordo Missae in Natali S. Stephani Protomartyris.

*P R A E F A T I O.*

*Hac Praefatione carent Missae Mozarabicae.*

Venerabilem atque sublimem beatissimi Protomartyris Stephani passionem hodie celebrantes, Dominum Martyrum, Fratres carissimi, deprecemur, ut sicut illi contemplatione meritum suorum coronam dare dignatus est, nobis quoque plenissimam misericordiam ipsius

precibus flexus in omnibus largiatur, Per Dominum nostrum.

*Collectio sequitur.*

**D**eus qui sancto Stephano Martyri tuo & principatum in ministerio, & principem in martyrio contulisti, dum nobis sancti diei huius festivitatem pro ejus vel commemoratione vel passione donasti; exaudi quaesumus supplices familiae tuae preces, nobis ejus peculiare praesidium tribue, cujus pro inimicis ac peccatoribus preces piissimus acceptasti. Tribue etiam ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis persecutoribus supplicavit. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum beatus vivit.

*Collectio post nomina.*

**O**mnipotens sempiternus Deus, qui Sanctorum virtute multiplici Ecclesiae tuae sacrum corpus exornans, primitias Martyrum gloriosi Levitae tui Stephani sanguine dedicasti: da nobis diem natalis ejus honore praecipuo celebrare, quia non diffidimus eum fidelibus tuis posse suffragari, qui Dominicae charitatis imitator, etiam pro suis persecutoribus supplicavit. Tribue quaesumus per interventum ipsius, ut viventes salutem, defuncti requiem consequantur aeternam.

*Collectio ad Pacem.*

**D**eus charitatis indultor, Deus indulgentiae munerator, qui S. Martyri tuo Stephano in passione largitus es, ut imbrem lapidum clementer exciperet, & pro lapidantibus supplicaret; Pietatem tuam Domine subnixis precibus exoramus, ut dum Martyris tui passionem recolimus, per intercessionem ipsius, pacis securitatem, & peccatorum nostrorum veniam consequi mereamur.

*Confessio Missae.*

**D**ignum & justum est, aequum & iustum est, te laudare, teque benedicere, tibi gratias agere omnipotens sempiternus Deus. Qui gloriaris in conventu sanctorum tuorum, quos ante mundi constitutionem praelectos spiritali in caelestibus benedictione signasti: quosque Unigenito tuo per assumptionem carnis & crucis redemptionem sociasti: in quibus Spiritum tuum sanctum regnare fecisti, per quem ad felicitis martyrii gloriam pietatis tuae favore venerunt. Digne igitur tibi Domine virtutum festa solemnitas agitur, tibi haec dies sacrata celebratur, quam

B. Sec.



**B.** Stephani primi Martyris tui sanguis in tuæ veritatis testimonium profusus magnificum nominis tui honore signavit. Hic est enim illius nominis primus confessor, quod est supra omne nomen, in quo unicum salutis nostræ præsidium, Pater æternæ, posuisti. Hic in Ecclesia tua quam splendidum ad cunctorum animos confirmandos unice laudis præcessit exemplum. Hic post passionem Domini nostri Jesu Christi victoriæ palmam primus invasit. Hic ut Levitico ministerio per Spiritum sanctum ab Apostolis consecratus est, niveo candore confestim emicuit, martyrii cruore purpureus. O benedictum Abrahamæ semen, Apostolicæ doctrinæ & dominicæ crucis prior omnium factus imitator & testis. Merito cœlos apertos vidit, & Jesum stantem ad dexteram Dei. Dignè igitur ac justè talem sub tui nominis confessione laudamus, Omnipotens Deus, quem ad tantam gloriam vocare dignatus es: suffragia ejus nobis pro tua pietate concede. Talis pro hac plebe precetur, qualem illum post trophæa venientem exultans Christus excepit. Illi pro nobis oculi sublimentur, qui adhuc in hoc mortis corpore constituti stantem ad dexteram Patris Filium Dei in ipsa passionis hora viderunt. Ille pro nobis obtineat, qui pro persecutoribus suis, dum lapidaretur, orabat ad te Sancte Deus, Pater omnipotens. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui pro peccatis nostris nasci carne per Virginem, & pati dignatus est mortem, ut Martyres suos suo pati doceret exemplo. Cui merito omnes Angeli atque Archangeli sine cessatione proclamant dicentes, *Sanctus, Sanctus, &c.*

*Collectio post Sanctus.*

**V**erè sanctus, verè benedictus Dominus noster Jesus Christus unigenitus tuus, qui Martyrem suum Stephanum cœlestis aulæ Collegio numeravit, qui corporis nostri infirmitatem suscepit, priusquam pium sanguinem pro humana salute funderet, mysterium sacræ solemnitatis instituit. Ipse enim pridie quam pateretur, accepit panem, &c.

*Hic sequitur consecratio.*

*Post Mysterium.*

**H**oc ergo facimus Domine, hæc præcepta servamus, & sacri corporis passionem sacris solemnibus prædicamus. Quæsumus Omnipotens

Deus, ut, sicut veritatem nunc sacramenti cœlestis exequimur, ipsi veritati Domini Corporis & Sanguinis hæreamus. Per Dominum nostrum.

*Ante Orationem Dominicam.*

**G**loriosi Levitæ exemplis, & beatissimi Martyris Stephani magisteriis instituti, æterno Regi & Patri Deo precem, Fratres carissimi, cum omni humilitate fundamus, ut dato nobis fidei calore vel munere ad martyrii nos desiderium amoris sui igne succendat, ejusque imitatores efficiat, qui non solum pro sui gloria, verum etiam pro exemplis eruditionis nostræ passionem sustinuit. Et cui conferre dignatus est in passione virtutem, intercedendi pro nobis tribuat facultatem. Et orationem, quam præcipere dignatus est, dicere sine cunctatione permittat. *Pater noster.*

*Post Orationem Dominicam.*

**L**ibera nos à malo Omnipotens Deus, & tribue nobis supplicibus tuis tam promptum pro Christo tuo ad patiendum animum, ut probemur, non nos martyrio, sed nobis defuisse martyrium. Per eundem Dominum nostrum.

*Benedictio Populi.*

**D**eus qui tuos martyres ita vinxisti charitate, ut pro te etiam mori cuperent, ne perirent, Amen.

Et Beatum Stephanum in confessione ita succendisti fide, ut imbrem lapidum non timeret, Amen.

Exaudi precem familiæ tuæ, amatoris interfecta plaudentem. Amen.

Accedat ad te vox illa intercedens pro populo, quæ pro inimicis orabat in ipso martyrio. Amen.

Ut se obtinente, & te remunerante perveniat illuc plebs ad quæsitam per gratiam, ubi te cœlis aperis ipse vidit in gloria. Amen.

Quod ipse præstare digneris, qui vivis & omnia regis in sæcula sæculorum, Amen.

*Collectio post Eucharistiam.*

**D**eus perennis salus, beatitudo inæstimabilis, da quæsumus omnibus tuis, ut qui sancta & beata sumpserunt, & sancti jugiter ac beati esse mereantur. Quod ipse præstare digneris.

Com.



*Consummatio Missæ.*

**G**ratias agimus tibi Domine multiplicatis circa nos miserationibus tuis, qui & Filii tui natiuitate nos salvas, & Martyris Stephani deprecatione sustentas, Per, &c. *Explicit Missa S. Stephani.*

VIII. Ut autem proposita à nobis de Missa Gallicana opinio seu conjectura & clarior evadat, & firmius stabilietur, non ingratum lectori vel injucundum fore existimavi, si ex alio antiquissimo Codice M. S. nempe ex Palatino Bibliothecæ Vaticanæ supra memorato, aliam Missam adjicerem, quæ omnino consonat cum superiori S. Stephani, eademque methodo ac eodem tenore procedit. Scriptus autem fuit Codex ab homine linguæ latinæ prorsus imperito, adeo enim miserè depravatus est, ut vix ulla linea legatur sine mendis. Verborum errores, ut *dilixi pro dilexi, antistes tuos pro antistes tuus, consequerit pro consequeretur*, & alios ejusdem generis passim occurrentes facillè emendavi: ubi autem sensus nutat, nec verba cohærent, nihil mutare volui, ne fortè perperam divinando longius à scopo aberrarem. Lectoris peritioris erit scedis vulneribus à rudi scriptore insictis medicam manum adhibere. Porro Missa de B. Germano est, cujus festiuitas, quamvis in Missali Mozarabico descripta sit, caret tamen Missâ propriâ, totumque officium in communi Confessorum Pontificum assignatur.

Missæ S. Germani.

*Prefatio.*

**V**enerabilem diem atque sublimem, Fratres Carissimi, promptâ devotione celebremus, misericordiam Domini nostri suppliciter exorantes, ut Beatissimi Germani Antistitis & Confessoris sui, cujus exempla miramur, etsi æquari factis ejus non possumus, saltem vestigia sequi, & fidem nobis contingat imitari.

*Collectio.*

**G**ratias tibi agimus Omnipotens Deus pro virtutibus Beatissimi Germani Antistitis tui, quas ei Pater omnipotens non immeritò tribuisti, quia te Apostolica confessione rebus omnibus plus amavit; discussit à se divitias, ut paupertate spiritus cælorum regna conscenderet:

mansuetudinem tenuit, ut terram sui corporis spiritualiter possideret: lugere delectatus est in sæculo, ut cœlestem consolationem ex muneris tui largitate perciperet: justitiam esurivit atque sitivit, ut tuis saturaretur eloquiis: elemosynam jugiter fecit, ut indefinenter non tantum sibi, sed & cæteris pietatis tuæ misericordiam obtineret: puritatem cordis habuit, ut te videret: fidem servavit, ut filiis tuis fraternâ se participatione conjungeret. Per cujus interventum precamur.

*Desunt hic duæ lineæ abrasæ.*

*Post nomina.*

**A**uditis nominibus offerentium indeficientem divinam clementiam deprecemur, ut has oblationes plebis, quas in honorem Beatissimi Germani Antistitis & Confessoris offerimus (*deest aliquid*) Signatum diem hodiernæ solemnitatis celebremus cum inconcussa fidei libertate, quam ille constanti mente defendit, ut robor patientiæ ejus ---

*Desunt hic etiam duæ lineæ abrasæ.*

Oremus etiam & pro spiritibus carorum nostrorum, quorum idem Omnipotens Deus & numerum novit & nomina, ut omnium memoriam faciat, omnium peccata dimittat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

*Collectio ad Pacem.*

**D**eus pro cujus sacro nomine Beatus Germanus Antistes tuus desideravit persecutionem pati propter justitiam, ut etsi martyrium non perferret, fide tamen pertenderet: nec timeret odiis hominum & maledictionibus subjacere, dummodo mercedem copiosam consequeretur in cælo, & ad illas beatitudines evangelicas perveniret; te per hujus interventum precamur, ut pacem quam te jubente dilexit in sæculo, perpetualliter Ecclesiæ possidendam tribuas in futuro. Per Dominum nostrum.

*Contestatio Missæ.*

**D**ignum & justum est: verè æquum & justum est, nos tibi gratias agere, & pietati tuæ in honorem summi Sacerdotis tui Germani Episcopi & Confessoris laudes canere, vota persolvere, ejusque enarrare virtutes, quas ei

Bbb

Domi-



Domine Pater Omnipotens non immeritò tribuisti, quia te Apostolicà confessione rebus omnibus plus amavit, &c. *Repetit ea quæ habentur supra in prima Collecta, tum subdit.* Dilexit te Domine ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima sua, & proximum suum tanquam seipsum; ut secundum quod in his duobus mandatis universa lex & Prophetæ pendebant; ad eas quas diximus evangelicas beatitudines perveniret. Et quia tu Domine Jesu Christe Apostolis tuis dixeras, ut euntes per universum mundum universæ creaturæ evangelium prædicarent, & virtutes efficerent, hæc tuus devotissimus Germanus Episcopus . . . . . eorum vestigia subsequutus per totas Gallias, Romæ, in Italia, in Britannia annis triginta corpore afflictus . . . . . jugiter in tuo nomine prædicavit, hæreses abstulit, adduxit populum ad plenam & integram fidem, ejecit dæmones, mortuos suscitavit, ægris reddidit pristinam sanitatem, implevitque omnia signa, virtutes utique adeptus. Sic cepit ut cresceret. Sic pugnavit ut vinceret. Sic consummavit, ut mortis tenebras præteriret, Martyrii se conjungeret stola, cum centesimum fructus perceperit, & vita hac peracta regnum inhabitavit æternum. Quod credentes Deus Pater Omnipotens supplices exoramus, ut in ejus apud te patrocinii & intercessionibus pietati tuæ commendati, nos in omnibus tuam misericordiam consequamur, Angelica te exultatione laudantes & dicentes. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

*Collectio post Sanctus.*

**B**enedictus planè qui venit in nomine Domini, benedictus Deus, Rex Israel; pax in terra, gloria in excelsis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui pridie quam pateretur.

*Post Secreta.*

**D**escendat, precamur Omnipotens Deus, super hæc quæ tibi offerimus, Verbum tuum sanctum: descendat inestimabilis gloriæ tuæ Spiritus: descendat antiquæ indulgentiæ tuæ donum, ut fiat oblatio nostra hostia spiritalis in odorem suavitatis accepta. Etiam nos famulos tuos per sanguinem Christi tua manus dextera invicta custodiat.

*Ante orationem Dominicam.*

**A**gnosce Domine verba quæ præcepisti, Agnosce præsumptioni quam imperasti: ignorantia est non nosse meritum, contumacia est non servare mandatum, quo dicere jubemur, *Pater noster*, &c.

*Post Orationem.*

**L**ibera nos à malis omnibus, auctor bonorum Deus, ab omni tentatione, ab omni scandalo, ab omni opere tenebrarum, & constitue nos in omni bono, & da pacem in diebus nostris, auctor pacis & charitatis. Per Dominum nostrum.

*Benedictio Populi deest.*

*Collectio post Eucharistiam.*

**S**umpsimus ex sacris altaribus Christi Domini ac Dei nostri corpus & sanguinem . . . credentes unitatem beatæ Trinitatis. Oremus ut semper nobis fide plenis esurire detur ac sitire justitiam, sicque opus ejus confortati salutaris escæ gratia faciamus, ut non in iudicium, sed in remedium, sacramentum quod accepimus, habeamus. Per Dominum nostrum.

*Collectio in fine Missæ.*

**C**hriste Domine, qui & tuo vesci corpore, & tuum corpus effici vis Fideles, fac nobis in remissionem peccatorum esse quod sumpsimus: atque ita se animæ nostræ divina alimonia per benedictionem tuam facta permisceat, ut caro spiritui subdita, & in consensum pacificum subjugata obtemperet, non repugnet, per Spiritum Sanctum, qui in unitate Patris & Filii cœternus vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

**I**X. Hæ sunt Missæ, quas veluti Gallicanas è M. SS. Codicibus nunc primum produxi, breviores quidem quàm editæ in Mozarabico, sed eodem stylo, eodemque tenore contextæ. Sicut autem Basilii, & Chrysostomi, aliique Ecclesiæ Orientalis Antistites, quamvis haberent à senioribus suis sibi traditas Liturgias, propriis tamen verbis sacrificium offerre maluerunt: ita credendum, sanctos Episcopos, qui ritu in hoc



hoc & superiori Capite descripto utebantur, eo retento in ordine ac veluti textura Missæ; mixtasse nihilominus orationes, ut & ipsi propriis verbis Deum ad aram precarentur. A quibus primùm compositæ fuerint, ignoramus; non est tamen dubitandum, quin à viris & vitæ sanctimonia & fidei integritate conspicuis editæ sint, alioquin non fuissent ab Ecclesia receptæ. Nec cuiquam scrupulum ingerere debet, quod in Missa Sancti Germani in oratione quæ Post se-crata inscribitur, Sacerdos jam peracta consecratione orat, ut descendat Verbum in oblata, nam hæc oratio nihil habet alienum à fide, ut Lib. II. Cap. XIII. explicabo. Joannes Morinus ecclesiasticæ antiquitatis sagacissimus indagator in Comment. de sacris Ordinibus parte 2. pag. 261. antiquissimum Codicem se vidisse testatur scriptum in Gallia post annum 511. & ante annum 560. ad usum, ut ipse putat, Ecclesiæ Pictaviensis, continentem Ordinem Romanum, in quo ter Regni Francorum, & sæpius sancti Hilarii mentio fit: quæ, si vera sunt, evidenter evincunt, Romanos ritus initio sæculi sexti in Gallia receptos fuisse. Sed quàm firmum sit Morini argumentum aliis examinandum relinquo: ego enim non dubito, quin levissimæ conjecturæ testimonium præferri debeat omni exceptione majus tum Caroli Magni & Caroli Calvi assentium Ordinem Romanum curante Pipino in Gallicanis Ecclesiis introductum fuisse, cum antea proprio uterentur: tum Gregorii Magni, qui in epistola ad Augustinum Anglorum episcopum Gallicanos ritus à Romanis distinguit: tum aliorum Scriptorum, qui unanimes consensu eidem veritati adstipulantur. Illum verò Codicem tantæ esse antiquitatis non credo, quantam illi Morinus tribuit. Nam nec satis intelligo, cur Regnum Francorum illis annis coarctet, qui à quingentesimo undecimo usque ad 560. elapsi sunt: nec Hilarii memoriam solius Pictaviensis ecclesiæ, aut solius Galliæ finibus circumscriptam fuisse arbitror, cum Romæ etiam & ubicumque Christus colitur celeberrima fuerit. Verùm hæc & reliqua omnia, quæ in hoc Capite pertractavi, peritorum censuræ lubens subjicio, paratus de sententiâ decedere, cum quis certiora protulerit.

## CAPUT XIII.

*De variis Missarum generibus. Quæ sit Missa publica & sollemnis. Eandem generalem & legitimam dictam esse. Missam ab initio sic institutam; ut ei populus adesset, offerret, & communicaret. Missæ publicæ cur vetita in Monasteriis. Missæ privatae & solitariae discrimen. Origo solitaria à Monachis. A quibus, & quando prohibita. An & quatenus nunc licita sit.*

I. **P**Lura Missarum genera, sicut & varios ritus supra recensitos, in usu olim fuisse, atque etiam nunc esse, manifestum est. Sunt enim Missæ sollemnes & quotidianæ, publicæ & privatae, legitimæ & solitariae, generales & peculiare, de tempore & de sanctis, feriales & votivæ, pro vivis & pro defunctis. Est & Missa Præsanctificatorum, & alia quam stecam vocant, de quibus deinceps agendum erit.

Missæ sollemnis, quam hodie conventualem, canonicam, capitularem, præcipuam, & majorem vocamus, illa propriè dicitur, quæ cum cantu & solenni ceremoniarum apparatu Ministris & Clero Assistentibus, suorumque Ordinum munia exercentibus celebrari consuevit; cui pompæ addebant Antiqui frequentiam populi offerentis & communicantis. Publicæ nomen inde sortita est, quod publicè fiat in ecclesia, & privatæ opponatur; quo sensu ait Anastasius in vita Agathonis Papæ Missam publicam latinè factam Constantinopoli, nonnulli tamen non obscuri nominis scriptores hoc statuunt inter solemnem & publicam discrimen, quod illa cum cantu & pompa, hæc verò sine cantu & apparatu, sed in Ecclesia coram Fidelium multitudine, peragatur. A Valfrido Strabone in fine cap. 22. legitima nuncupatur, quod hæc potissimum Ecclesiastica lege instituta & comprobata sit. Ab Amalario generalis dicta est, qua denominatione interdum utuntur antiqua Monachorum Ritualia, quia totus cœtus ei solet interesse. Una igitur & eadem censeri debet, quæ à quibusdam sollemnis, ab aliis publica, legitima, & generalis nominatur, quibus vocibus indiscriminatim utemur pro ea, quæ solemniter, in publico cœtu, præscriptis ab ecclesia legitimis ritibus celebratur.



II. Et quidem ab initio sic Sacrificium principaliter institutum fuisse, ut publicè ac solemniter fieret, clero, & populo astante, offerente, ac communicante, ipse tenor Missæ, & veteris Ecclesiæ præxis evincunt. Omnes enim orationes, atque ipsa Canonis verba in plurali numero, tanquam plurium nomine proferuntur. Hinc Sacerdos populum invitat ad orationem dicens, *Oremus*: & cum eundem salutat, ait, *Dominus vobiscum*. Tum moniti fideles ut corda erigant ad Deum, respondent, *Habemus ad Dominum*. Hinc etiam in Canone collectæ plebis nomine semper orat, ut cum dicit, *Supplices rogamus & petimus: Hanc oblationem cunctæ familie tue offerimus præclara Majestati tue: Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem sumpserimus: Nobis quoque peccatoribus, & alia hujusmodi multa, ex quibus liquet, nihil aliud esse Missam, quam Sacerdotis & totius cœtus actionem, cui plures circumstitisse indicant illa verba, & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio, quæ alio detorqueri non possunt. Ad communionem verò astantium ea spectant, quibus Sacerdos Deum precatur, fieri corpus & sanguinem Domini omnibus sumentibus in vitam æternam. Et post communionem ait, *Quod ore sumpsimus pura mente capiamus: satiasti familiam tuam muneribus sacris: suntque ferè omnes ejusdem tenoris orationes, quæ peractâ communionem recitantur; quia nimirum illi dumtaxat intèrerant Missæ, qui possent offerre & de Sacramento participare. Hinc Cyprianus Serm. de lapsis, & Leo Papa Serm. 4. de Quadrag. populi communicantis mentionem faciunt: & can. 10. Apostol. ac 2. Concilii Antiocheni sub Julio I. decernitur ut omnes Fideles, qui ad ecclesiam conveniunt, communicent, recusantes ab ecclesia ejiciantur & excommunicentur.* „ Sciendum est, inquit Micrologus cap. 51. „ quod soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverunt, unde & ante oblationem „ juxta canones jubebantur exire catechumeni „ & pœnitentes, videlicet qui nondum se paraverant ad communicandum. Hoc quoque ipsa „ Sacramentorum innuit consecratio, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, sed & aliorum, rogat, & maximè „ in Oratione post communionem pro solis „ communicantibus orare videtur. Nec propriè „ communicatio dici potest, nisi plures de eodem „ sacrificio participant. Hæc fuit consuetudo*

primorum Fidelium, quam suo adhuc tempore Romæ vigiisse S. Hieronymus lib. adv. Jovinianum testatur. Sed pristino populi fervore postea refrigerante, retenta est communio Cleri, quæ deinde redacta est ad communionem dumtaxat Diaconi, & Subdiaconi, ut fufius ostendemus, cum de ipsa communionem sermo erit. De hac autem publica sive solemnè Liturgia temporum, seu regionum varietate varii quoque mores fuerunt. Justinus *Apolog. 2.* solo die Dominico conventum tunc factum, & Sacramentum presentibus distributum, absentibus per Diaconos missum asserit. In Prato spirituali cap. 108. legimus sanctum quemdam Presbyterum ab Angelo eductum è carcere, ut die Dominico sacrificium offerret. Palladius in Vita Abbatis Artisii scribit, Sabbato solum & Dominico die convenisse in ecclesiam Monachos, qui erant in monte Nitriæ, ex more videlicet illius Provinciae. Socrates item lib. 5. cap. 21. die Dominico Sabbatum additum ait ab omnibus Ecclesiis, excepta Romana & Alexandrina. Pachomio Abbati mandatum ab Angelo, ut primo, & ultimo die hebdomadæ Monachi sub eo degentes ad divinarum mysteriorum communionem accederent, refert lib. 3. cap. 13. Sozomenus. Quotidie demum Missa solemnè peragi cœpit, quod non ubique, sed alicubi suo tempore receptum testatur Augustinus *Epist. 118.* Plura de hac re infra Cap. XVIII.

III. Porro hæc Missa publica dicta est, non à loco, quia olim in cryptis, abditisque ac remotissimis locis agebatur, sed à conventu populi circumstantis, offerentis, & communicantis. Quæ de causa Gregorius Magnus Castorio Arminensi Episcopo scribens lib. 4. cap. 43. Missas publicas fieri Monasterio vetat, ne scilicet in fervorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat; frequentior quoque introitus mulieribus arceatur. Et lib. 5. ep. 46. Felicem Pisauri Episcopum reprehendit, quod in templo Monasterii à se constructi suam Cathedralam collocasset, ibique publicas Missas egisset, jubetque Cathedralam illicò auferre, nec deinceps ibidem Missas publicas celebrare. Idem lib. 7. *Indict. 1. ep. 6.* Episcopo Lunensi, & *Indict. 2. ep. 72.* Episcopo Firmano; itemque lib. 8. ep. 3. Episcopo Neapolitano præcipit, Oratorium Monasterii absque Missis publicis ab eis consecrari. Vita enim



enim Monachorum ex proprio instituto ab omni strepitu aliena esse debet, solitudini dedita & contemplationi: atque idem illorum ecclesie sine titulo statione diu fuerint, & quamvis amplissime essent ac magnificentissime extructae, Oratoria potius sive Capellae vocabantur, ut ex titulo Decretalium de Capellis Monachorum constat, in quibus vetitum erat, Sacramenta poenitentiae & Eucharistiae fidelibus administrare, publicosque conventus, & publicas Missas celebrare: quam consuetudinem usque ad tempora S. Bernardi permanisse testis est Philippus Abbas *lib. de Continentia Clericorum cap. 83.* Vetuit quoque Missas publicas in Monasteriis Concilium Lateranense sub Calixto II. *cap. 17.* his verbis. *Interdicimus Abbatibus & Monachis publicas poenitentias dare, & infirmos visitare, & unctiones facere, & Missas publicas cantare.* Et Innocentius III. *lib. 2. Regesti 14. epist. 18.* veterum vestigiis insistens prohibet, ne Diocesis Episcopus in Monasterio Carroffensi, cuius privilegia confirmat, publicas Missas agat. Non tamen ex his inferitur, ut quidam perperam existimant, vetitam olim fuisse in Monasteriis Missam solemnem cum cantu, & Ministrorum assistentia; sed ea dumtaxat prohibita est, ad quam Fideles promiscue admitebantur, & quae ab Episcopis cum totius populi coetu agebatur: ne saecularium concursus Monachos distraheret, & ab interna mentis tranquillitate avocaret. Ipsis autem Monachis semper licuisse Missam solemnitatem decantare exclusis Secularibus, sicut nunc etiam solent arctissimae solitudinis cultores Carthusiani, antiquissima Ritualia nos docent, quae ritus & ceremonias Missae solemnis exactissime praescribunt, servatis ad amissim omnibus, quae ad Missae apparatus & celebritatem spectant. Idem colligitur ex Regula sancti Benedicti *cap. 38.* ubi de hebdomadario mensae Lectore tractans praecipit eum die Dominico post Missas & communionem petere ab omnibus pro se orari, & ter repetito versu *Dominus labia mea aperies,* accipere in Ecclesia benedictionem, qui mos apud Monachos adhuc viget.

IV. Missis autem publicis sive solemnibus & generalibus opponuntur privatae & solitariae, sive peculiare, quae privarim & peculiariter sine cantu, uno dumtaxat Clerico ministrante; sive in Ecclesia, sive in privato Oratorio aguntur. Sunt qui velint hoc discrimen inter solitarias &

privatas intercedere, quod solitariae illae sint, in quibus solus Sacerdos communicat, etiam si plures intersint: privatae vero, quae vel in privatis domibus, vel extra populi frequentiam, iis tamen qui adsunt communicantibus, agi solent. Alii rectius, & conformius ad praxim aliquando in Ecclesia usitatam, solitariam vocant, quae a solo Sacerdote nemine praesente & respondente fiebat olim in Monasteriis: privatam vero, quae sine diacono & subdiacono & cantoribus, uno tantum ministrante celebratur, sive aliqui Fideles ei intersint, sive nullus adsit: sive solus celebrans communicet, sive sint aliqui communicantes. Huic etiam quotidianae nomen tributum fuit, quia singulis diebus a Sacerdotibus frequentari consuevit. Gregorius *lib. 4. Dialog. cap. 56.* Cassius, inquit, „Narniensis Episcopus „quotidianum offerre consueverat Deo sacrificium, seque in lacrymis inter ipsa sacrificiorum „arcana mactabat. Privatae nomenclaturam accepit, ut a solemnibus, quae publice fit, discernetur: alioquin omnes Missae publicae sunt, quatenus publicum distinguitur a secreto & occulto. Nam ipsum sacrificium munus publicum est, & publico totius Ecclesiae nomine offertur, in commemorationem mortis Christi, quae est publicum beneficium, geritque Sacerdos ministri publici officium, & pro omnibus orat; neminemque qui velit & dignus sit, repellit a communionem: neque ullae sunt Missae occultae & angulares, ut blasphematur Lutherus. Odo Cameracensis in expositione Canonis ad illa verba, & *omnium circumstantium;* „Cum primitus, inquit, Missae sine Collecta non fierent, „postea mos inolevit Ecclesiae solitariae, & „maxime in Cœnobiis, fieri Missas. Et cum „non habeant, quam pluraliter Collectam salutarum, nec plurales mutare possint salutationes, convertunt se ad Ecclesiam, dicentes se „Ecclesiam in Ecclesia salutare. Et paucis interjectis, „Secundum quem sensum in hoc loco circumstantes accipiuntur omnes ubique „Fideles, qui in unitate totius corporis & sibi „adhærent invicem & summo capiti. Consonat Stephanus Eduensis ita scribens *lib. de Sacram. altaris cap. 13.* „Sciendum est, quod si unus „tantum sit praesens, vel nulli sint praesentes, „ut in Missis solitariis: non ideo mutantur „quae pluraliter solent fieri orationes. Primum enim Missae non solebant celebrari sine Collecta Fidelium multitudine. Postea mos inolevit, solitarios sicut Monachos celebrare solitarias,



„tarias, quod eis concessum est ex indulgentia.  
 „Inde etiam Sæculares consueverunt Missas  
 „cantare privatas. Tunc fiunt salutationes ad om-  
 „nes Fideles, qui assistunt quasi præsentibus, fide,  
 „& charitate sacramentis communicantes. Ex  
 quibus verbis palam fit, actas aliquando in Mo-  
 nasteriis Missas à solo Sacerdote nemine præsentem  
 & respondente, quæ idcirco solitariae dictæ sint:  
 inde ad alios Sacerdotes Missæ privatæ, qualem  
 supra descripsimus, celebrationem emanasse.  
 Verum Missas privatas non à Monachis, sed à  
 primæ Ecclesiæ Patribus originem traxisse Capi-  
 te sequenti ostendam: Missas autem solitarias in  
 cœnobiiis actas ex indulgentia, ut loquitur Eduen-  
 sis, sive ex privilegio; canonicæ sanctiones de-  
 monstrant, quæ sublatis omnibus privilegiis,  
 ne quis solus Missas ageret, districtè prohibue-  
 runt.

V. Concilium Moguntinum sub Leone III.  
 c. 43. ait, *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, so-  
 lus Missam cantare valet rectè. Quomodo enim di-  
 cit Dominus vobiscum, vel sursum corda admo-  
 nebit habere, & alia multa his similia, cum alius  
 nemo cum eo sit?* Quæ verba transtulit in Cap-  
 itulare Regnum Franciæ Benedictus Levita lib. 5.  
 cap. 93. & Synodus Parisiensis sub Greg. IV. l. 1.  
 cap. 48. „Irrepsit in plerisque locis partim in-  
 „curiâ partim avaritiâ reprehensibilis usus, &  
 „congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli  
 „Presbyterorum sine ministris Missarum solem-  
 „nia frequentent. Unde conveniendus imò in-  
 „terrogandus nobis videtur hujusmodi corporis  
 „& sanguinis Domini sollicitarius consecrator,  
 „quibus dicit *Dominus vobiscum*, & à quo illi re-  
 „spondetur, *Et cum Spiritu tuo*: ve pro quibus  
 „supplicando Domino inter cætera, *Memento*  
 „*Domine*, & omnium circumstantium, cum  
 „nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo, quia  
 „Apostolicæ & Ecclesiasticæ authoritati refra-  
 „gatur, & tanto mysterio quandam dehonora-  
 „tionem irrogare videtur, omnibus nobis in  
 „commune visum est, ut deinceps hujusmodi  
 „usus inhibeatur, provideatque unusquisque  
 „Episcoporum, ne in sua parochia quisquam  
 „Presbyterorum Missam solus celebrare præsu-  
 „mat. Extat & decretum Concilii Nannerensis  
 idem vetans apud Ivonem, p. 3. c. 70. *Defini-  
 nit sanctum Concilium, ut nullus Presbyter solus  
 præsumat Missam celebrare. Cui etenim dicit Do-  
 minus vobiscum, Sursum corda, aut Gratias  
 agamus Domino Deo nostro, cum nullus sit  
 qui respondeat? aut in Canone, & omnium cir-*

cumstantium, „cum nemo adsit? aut quem  
 „invitat ad orationem, cum dicit, *Oremus*,  
 „cum nullus sit qui secum oret? Aut ergo ista  
 „penitus reticenda sunt, & non solum non erit  
 „perfectum sacrificium, verum etiam incurret,  
 „quisquis est ille, illam terribilem sententiam:  
*si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus  
 de libro vite*: „aut si hæc muris & parietibus  
 „insulurraverit, ridiculosum erit. Quapropter  
 „illa periculosa supersticio, maximè à Mona-  
 „steriis Monachorum, exterminanda est. Pro-  
 „videant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœ-  
 „nobiiis & in aliis Ecclesiis cooperatores habe-  
 „ant in celebratione Missarum. Si quis hæc  
 „transgressus fuerit, ab officio suspendatur. Si-  
 militer Theodulfus Aurelianensis Episcopus in  
 suo Capitulari ad Clerum cap. 7. ait: *Sacerdos  
 Missam solus nequaquam celebret. Esse enim de-  
 bent, qui ei circumstent, quos ille saluet, à  
 quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi redi-  
 cendum est illud Dominicum: Ubicumque fue-  
 rint duo vel tres in nomine meo congregati, &  
 ego sum in medio eorum.* Ratherius item Vero-  
 nensis Episcopus editus à Luca Dacherio *tomo 2.  
 Spicilegii* in epistola Synodica ad Presbyteros,  
*Nullus solus Missam cantet.* Porro cantare Mis-  
 sam Prætorum phrasi illi etiam dicebantur, qui  
 sine cantu & privatim celebrabant. Ita loquitur  
 Cluniacensis in statutis ante annos sexcentos  
 scriptis, quæ extant *tomo 4. Spicilegii*,  
 lib. 2. cap. 30. *Sacerdotes possunt sine licentia  
 Missas privatas cantare.* Sic etiam loquitur li-  
 ber usum Ord. Cisterciens. ante annos quingen-  
 tos conscriptus cap. 59. *Per totum annum possunt  
 fratres cantare Missas privatim tempore lectionis  
 & post offerendam Missæ in conventu, id est, post  
 offertorium Missæ conventualis.* Et infra, *Qui  
 cantant privatas Missas, moderentur ita voces  
 suas tam ipsi quam adjutores eorum, ne alii impe-  
 dimentum pariantur.* Rejctæ itaque & reproba-  
 tæ fuerunt Missæ solitariae, quæ à solo sacerdote  
 nemine adstante & respondente dicebantur, hac  
 potissimum ratione, quia absurdum visum est,  
 quod Sacerdos diceret, *Dominus vobiscum, Sur-  
 sum corda, Gratias agamus*, cum nullus respon-  
 deret: aut invitaret ad orationem dicens *Oremus*,  
 nemine præsentem qui secum oraret; & in canone  
 memoriam faceret omnium circumstantium, cum  
 nemo adesset.

VI. Fuerunt etiam aliqui plus justo scrupu-  
 losi, qui, ne mendaces invenirentur, si ad unum  
 solum præsentem plurales salutationes dirige-  
 rent;



rent; à sacrificii oblatione abstinebant, nisi præter Clericum ministrantem unus saltem præsens adesset, ut verè posset celebrans duobus assistantibus dicere, *Dominus vobiscum*, & *Orate Fratres*. Extat canon de hac re apud Gratianum de consec. dist. 1. c. 61. „Hoc quoque, inquit, statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum „solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibi que respondentibus ipse tertius „habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur „*Dominus vobiscum*, & illud in secretis *Orate pro me*, aptissime convenit, ut ipsius respondeatur „salutationi. Idem sancitum fuit in Concilio Coloniensi p. 2. c. 18. Et liber usum Cisterciensium. *Qui Missam*, ait, *cantare voluerit, duos testes habeat*. Refert autem Gratianus præcitatum canonem ex Soteris Papæ Constitutionibus: ab aliis tribuitur Anacleto, in cuius epist. 1. leguntur hæc verba: *Sacerdotes quando Domino sacrificiant, non solum hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfecte in sacris Deo sacrificare loci probentur*. Micrologus cap. 2. utrique adscribit. At neutri convenire certissimum est; nihil enim magis alienum à praxi & spiritu illius seculi, quam solitariae Missæ celebratio, nec puto voluisse sanctos illos Pontifices editâ lege abusum tollere, qui nonnisi post aliquot sæcula inter Monachos irrepserit. Nota est Laurentii Diaconi ad Sixtum vox, cum duceretur ad martyrium, *Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras*, ita enim ferebant illorum temporum recepti mores: & aliunde constat Anacleti epistolam supposititiam esse, & ex malè compactis recentiorum sententiis consarcinatam. An verò usus sacrum agendi sine ministro nunc omnino sublatus sit, fateor me ignorare. Memini tamen, me legisse, quibusdam Monachis, sive Eremitis perpetuò inclusis indultum aliquando à Romano Pontifice, ut soli possent sine respondente sacrificium offerre: idque de inclusis confirmat glossa ad citatum canonem Gratiani. Nec alienum à ratione videri debet, quod quis solus dicat *Dominus vobiscum*; nam his verbis salutatur Ecclesia, quæ est una in multis, & tota in singulis, ut doctè probat Petrus Damiani in opusculo ad Leonem inclusum, qui huius dubii solutionem ab eo petierat, an liceret Eremitis, cum singulares in cellula commorantur, dicere *Dominus vobiscum*: cui lucubrationi titulum idcirco præfixit, *Dominus vobiscum*. Multa congerit Petrus, ut hoc licitum esse ostendat, quæ apud ipsum legi possunt. Quòd si Sacerdos, cum solus recitat no-

cturnas & diurnas preces, omnia pluraliter profert, quæ plurali numero in divinis officiis digesta sunt; dicit enim *Venite adoremus, venite exultemus, Oremus, Benedicamus*, cum nemo illic sit, qui secum adoret, exultet, oret, benedicat; cur id non liceat sacrificium offerenti, cum id agat in persona totius Ecclesiæ, cuius corpus unum est unius fidei soliditate subsistens, & vivificantis spiritus una virtute perfusum; Nulla igitur absurditas est in plurali salutatione, cum quis solus Missas agit, licet hodie fieri nequeat sine speciali Apostolicæ Sedis dispensatione, contrario usu, qui olim vigeat, dudum antiquato, & Ecclesiasticis legibus abrogato.

## CAPUT XIV.

*Missæ private perpetuus usus Veterum testimonis & exemplis probatur ab initio Ecclesiæ & deinceps. Idem variis argumentis ostenditur. In una Ecclesia plura altaria, pluresque Missas, olim fuisse. Missæ sine communicantibus antiquissima. Diluitur objectio ex Epistola S. Francisci.*

I. **S**emper viguit in Ecclesia privatae Missæ, uno saltem præsentem & ministrantem, laudabilis consuetudo, quam Hæretici Misoliturgi aliquando prohibitam fuisse nunquam poterunt demonstrare. Sive enim dicatur privata à loco, quia in privato aliquo Oratorio agitur: sive à tempore, quia non festis, sed privatis diebus fit: sive ab assistentibus, quia vel unus dumtaxat, vel pauci ei intersunt: sive ex eo quod solus Sacerdos in ea communicet: sive alia quacumque ex causa: semper eam licitam, semperque in usu fuisse, probatissimis veterum Patrum testimonis & exemplis demonstrabo. Nam primò Apostoli circa domos panem frangebant, Eucharisticum videlicet, ut illorum acta testantur. Viros deinde Apostolicos, qui eos proximè sequuti sunt, sæpè privatim celebrasse in domibus, in carceribus, in cryptis, in cœmeteriis, in tuguriis, ex his quæ hic & infra Cap. XIX. dicemus, manifestum erit. Tertullianus lib. de fuga in persecut. cap. 14. *Si colligere interdium non potes, habes noctem. Non potes discurrere per singulos, sit tibi & in tribus Ecclesia*. Ac si diceret, si die lucente, atque omni-



omnibus congregatis celebrare non potes, noctu celebra & privatim, etiamli vel tres soli praesentes sint. Hoc autem sensu Missa privata *Collecta* five *Synaxis* dici non potest, & ideo Augustinus in Breviculo Collationum diei tertiae *Collectam à Dominico*, tanquam speciem à genere distinguit. Scribit Eusebius in vita Constantini *lib. 4. cap. 17.* eum statim post baptismum Oratorium in Palatio extruxisse, quin & ambulatoriam Ecclesiam five motorium templum habuisse, cum in castra proficiscebatur, cujus exemplum nobiles Palatinos postea sequutos esse narrat Sozomenus *lib. 1. cap. 8.* ne Missae sacrificio etiam in castris carerent. Idem Eusebius *ibid. cap. 45.* refert, Episcopos, qui ex omnibus provinciis ad dedicationem Ecclesiae Hierosolymorum copiosa multitudo convenerant, incruenta saepius sacrificia obtulisse. Marcellum Papam saepe in domo Lucinae celebrasse Acta ejus commemorant. Gregorius Nazianzenus orat. 19. in laudem Patris, eum in cubiculo suo Sacrum egisse asseverat: & in encomio sororis suae Gorgoniae domesticum ei altare fuisse testatur. Meminit etiam Oratorii privati Avitus Viennensis *epist. 6. ad Victorium Episcopum.* Paulinus Nolanus ante lectulum suum parari sibi altare iussit, ibique sacrificium obtulit, Uranio teste in ejus vita, paucis horis antequam moreretur. De Ambrosio hoc refert Paulinus Presbyter, qui gesta ejus conscripsit: „Per idem tempus cum trans Tyberim apud quendam clarissimam invitaretur, ut sacrificium in domo offerret, quaedam balneatrix, quae paralytica in lecto jacebat, sellula ad eandem domum portari se fecit, & osculatis ibidem sancti viri vestimentis sanata est. Augustinus *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* missum fuisse ait unum ex Presbyteris in domum cujusdam Hesperii à malignis spiritibus vexatam, qui obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, & cessavit vexatio. Cabades Rex Persarum, ut Theophanes scribit anno Christi 508. audiens ingentium pecuniarum & pretiosi lapidis congeriem in quodam castro repositam esse, ipsum occupare conabatur. Dæmones autem ipsum thesaurum custodientes impedimento illi erant; quare admota Magorum & Judæorum arte, nec eopotentis, Episcopum Christianum præcepit adduci, qui peracta Synaxi & particeps factus divinorum mysteriorum dæmones expulit, & nullo negotio castrum tradidit Regi, qui eo miraculo commotus potestatem fecit, ut quicumque vellet ad baptismum accederet. Iterum Augu-

stinus *lib. 3. contra Cresconium Donatistam cap. 29.* Acta publica refert, quibus Sylvanus vincebatur plures cujusdam Ecclesiae calices tradidisse, ex quo non leve iudicium sumitur, plures Missas in ea privatim actas, neque enim tot calices necessariis fuisse, si sola solemnitas foret. Chrysostomus *homil. 3. in epist. ad Ephesios & 17. ad Hebræos*, quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam affirmat: idemque Hieronymus asserit *in cap. 1. epist. ad Titum.* Concilium Agathense. c. 21. privata Oratoria in agris permisit, in quibus Missa haberi posset, etiam in festivitatis, exceptis diebus Paschæ, Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, sancti Joannis Baptistæ, & aliis, si quæ fuerint, majoribus solemnitatibus. Gregorius Magnus *lib. 5. epist. 43.* mandat Joanni Episcopo Syraculano, ut Missas agi permittat in domo Venantii Patricii. *Et hom. 37. in Evang.* de Cassio Narniensi Episcopo sermonem habens, morem illi fuisse ait, quotidianas Deo hostias offerre, ita ut penè nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Tum ait, eundem morti proximum in Episcopii Oratorio Missas fecisse. Joannes Eleemosynarius, ut Leontius narrat in ejus vita *cap. 41.* cum populum vidisset ab Ecclesia egredi post lectum Evangelium & ipse exiit, seditque cum turba dicens: Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam, nam Missas poteram mihi met facere in Episcopio. Barlaam Presbyter, ut ex Joannis Damasceni narratione didicimus, in cubiculo Josaphat, ipso solo præsentis, sacrum peregit. Ven. Beda *lib. 4. hist. Anglorum cap. 14.* pestiferam mortalitatem intercessionem Osuvaldi Regis sublata describens, Missas ait celebratas fuisse per cuncta Monasterii Oratoria pro gratiarum actione. Plura autem Oratoria loco & situ separata in monasteriis extruere usus antiquissimus fuit, nam S. Benedictus teste Gregorio Magno *lib. 2. Dialog. cap. 8.* in montis Cassini summitate duo ædificavit, unum Sancti Joannis Baptistæ, alterum S. Martini. Et Maurus ejus discipulus, teste Fausto in vita ipsius, quatuor in suo monasterio construxit, in honorem SS. Petri Apostoli, Martini, Severini, & Michaelis Archangeli. Concilium Toleranum XVI. *cap. 8.* quotidie Missas peculiare pro Rege & filiis celebrari præcepit. Extat & Rescriptum Zachariæ Papæ ad Pipinum Regem, mandans nullum Oratorium pro Missis privatis, nisi prius dorum ab Episcopo consecrari. Theodulfus Aurelianensis

in



in suo Capitulari cap. 45. decrevit ut Missæ, quæ per dies Dominicis peculiare à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur. In Chronico Centulensi Tomo 4. *Spicilegii lib. 2. cap. 11.* extat constitutio Angelberti Abbatis, qua præcipit singulis diebus triginta saltem Missas in diversis altari- bus à Monachis agi, in quibus memoria haberetur Adriani Papæ & Caroli Magni, qui tunc vivebant. Grodegandus Metensis Episcopus, qui tempore Pipini vixit, in regula Canoniorum Tom. 1. *Spicilegii edita cap. 42.* meminit elemosynæ datæ Sacerdotibus pro Missis privatis. Apud Christophorum Brouverum *lib. 3. Antiq. Fuldensium cap. 12.* supplicis libellus à Monachis porrectus legitur, in quo petunt inter cætera, ut possint presbyteri Missas sæpius celebrare, ut- que competens ad hoc spatium eis detur, sicut à majoribus suis dabatur. Jonas Aurelianensis *lib. 1. Institut. Laicalium cap. 11. tom. 1. Spicil.* ait Sa- cerdotes tunc solitos fuisse sacrificium Deo offer- re in ædificulis extrâ templum ædificatis.

II. Nullus erit finis, si paginas implere volue- ro Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis, asse- rentium Missas privatas sæculo nono, decimo, & sequentibus in usu fuisse; sed & superfluum est, nam ipsimet Sæctarii hoc fatentur, qui privata sa- crificia sine frequentia & communione veteri Ecclesiæ ignota fuisse præcipiter affirmant, cœ- pisse autem dicunt octavo seu nono sæculo Ære Christianæ. Horum pervicacia ut fortius reprimatur, alia quædam argumenta & indicia præte- rite non possum, quibus privatæ Missæ antiqui- tas uberius confirmetur. Et primum quidem ar- gumentum desumitur ex Missis, quæ quotidie in honorem Sanctorum fieri consueverunt: cu- jus moris Gregorius Papa testis irrefragabilis est *lib. 7. ep. 29. Indict. 1. ad Eulogium Alexandri- num*: Nos, inquit, *penè omnium Martyrum, dis- tinctim per dies singulos passionibus, collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnita agimus.* Idè antiquis Calendariis pauca Sanctorum no- mina inscripta legimus, illorum scilicet quorum dies Natalis festivo populi concursu, & solemn- i sacrificio colebatur, & hi olim exiguo numero continebantur. De cæteris Missæ privatæ die- bus singulis agebantur, tamen Calendario non essent adscripti. Alterum indicium suppeditat Missæ pro defunctis, quæ particulariter & priva- tim quotidie agebantur. Nam Concilium Va-

tionense II. actum anno 529. ut peritiores Chro- nologi ostendunt, licet cum primo in vulgatis editionibus confundatur, Missas Defunctorum à Missis publicis distinguit, statuens cap. 3. ut in Missis, quæ fiunt in Defunctorum commemo- rationibus, semper *Sanctus* dicatur, eo ordine quo dicitur ad Missas publicas. Et Amalarius *lib. 4. cap. 42.* loca quædam fuisse testatur, in qui- bus quotidie Missa pro defunctis celebrabatur. Tertium ex multitudine Sacerdotum deduci po- test, qui quotidie sacris operari solebant. Erant autem multi in eadem Ecclesia, & Cornelius Pa- pa ad Eusebium *lib. 6. hist. cap. 43.* scribens ad Fabium Episcopum Antiochenum, quadraginta quatuor tunc Romæ fuisse asserit, quos speciali- bus Ecclesiis addictos fuisse non constat; neque enim scimus, an tot fuerint sub Cornelio in Urbe tituli, sive Basilicæ. Quidam etiam, saltem ante Concilium Chalcedonense, à quo id prohibitum est, sacerdotio initiabantur, nec ulli certæ Eccle- siæ alligabantur, sicut de seipso S. Paulinus ep. 6. ad Severum scribit, *Ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus.* Eadem libertate S. Hieronymus à Paulino Episcopo Antioche- no, ut ipse inquit, *ep. 61. c. 16.* Presbyter ordi- natus fuit. Eodem modo Flavianus Macedonium Anachoretam ordinavit, quem laudat in historia Monastica c. 13. Theodoretus. Et hos tamen sæpius celebrasse nemo dubitabit; sed privatim, quia titulo & Ecclesia carebant.

III. Non leve tandem indicium Missæ pecu- liariter actæ præbet altarium multitudo in eadem Ecclesia, de quibus veterum Patrum testimo- nia non desunt. Gregorius Magnus *lib. 5. epist. 50.* ad Palladium Santonensem Episcopum: *Veniens, inquit, lator presentium insinuavit nobis, Fraternitatem vestram Ecclesiam construxisse, at- que illic tredecim altaria collocasse, ex quibus qua- tuor necdum dedicata comperimus remansisse.* Lo- quitur autem de altaribus ad usum sacrificii, nam & reliquias Sanctorum ipsi Episcopo mittit in eis collocandas; atque eidem præcipit, ut provi- deat, ne ibidem fervientibus alimoniarum suffra- gia desint. Acca Episcopus, ut refert Beda *lib. 5. hist. cap. 21.* acquisitis undecumque reliquiis beatorum Apostolorum & Martyrum, in vene- rationem illorum altaria ædificavit distinctis por- ticibus intra muros Ecclesiæ. Plura item altaria Romæ fuisse in Basilica Principis Apostolorum, non solum ad Orientem juxta ritum Ecclesiæ, sed



sed & in alias partes distributa scribit Walfridus cap. 4. Apud Bedam Missas actas in cunctis Oratoriis monasterii: plura item Oratoria constructa à Sanctis Benedicto & Mauro, jam supra commemoravimus. Alia hujusmodi occurrunt passim in actis Sanctorum, & in chronicis ac Ritualibus Monachorum, sive fuerint Oratoria à corpore Ecclesiae muro sejuncta, sive altaria sub eodem tecto; quae sanè multiplicatio inutilis proculdubio fuisset, si non nisi semel in die sacrificium offerre in eadem Ecclesia licuisset. Graecorum alia est consuetudo, unicum enim altare in singulis Ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa ejusdem templi sacrum eadem die iterare. Idèd Patres & Historici Graeci unius tantum altaris in una Ecclesia mentionem faciunt; cujus unitatis analogiam inde accipi ferunt, quia unus est Christus, una Ecclesia, unicum Sacrificium. Unigenam aram vocat Tyrius Orator in Panegyrico Enceniorum templi à Paulino Episcopo aedificati, quem libro X. suae historiae inseruit Eusebius. An verò hic ritus ab Ecclesia Latina olim receptus fuerit, non liquet; nisi quod huc respexisse videtur Concilium Antisiodorense anno 578. ut Sirmondus docet, celebratum, cum cap. 10. edicit, non licere super uno altario una die duas Missas dicere. Verùm haec synodus Oecumenica non fuit, fortassis de Missis solemnitibus intelligi debet: nam statim subdit, non licere Presbytero sacrum facere in altario, in quo illa die Episcopus Missas dixerit: quod de quacumque Missa interpretor, ne eadem sanctio bis inutiliter repetita censeatur. Porro Graeci tamen unicum in Ecclesia altare habeant, plura tamen ipsi Ecclesiae proxima, muroque disjuncta construunt Sacella sive Oratoria, quae Parecclesiae ab illis vocantur, quasi Ecclesiarum Appendices, in quibus pro festis diebus, ut refert Goar in notis ad Euchologium pag. 16. Liturgias privatim agunt, feriâ secundâ de Angelis, tertiâ de B. Virgine, quartâ de S. Joanne Baptista, quintâ de Apostolis, sextâ de cruce, Sabbato pro defunctis. Non omnes tamen Parecclesiae templi muro adherent, sed quaedam longè absunt, & per ambitum monasterii dispersae sunt, celebrantque in his Hebdomadarii per vices, ut notat Leo Allatius in epist. ad Joannem Morinum de Graecorum recentiorum templis. Et Graeci quidem pristinum morem constantè retinuerunt: Latini autem, quamvis antiquitus plura Oratoria loco distita in monasteriis habuerint, ea jam pridem in majorem

Ecclesiam, variis aedificatis altaribus, transtulerunt.

IV. Ajunt nonnulli, quorum sententiae non invitè accedo, crevisse numerum altarum & Sacerdotum, postquam populus, qui Missae aderat, aderam autem omnes, desit communicare: nam cum omnes uni Missae praesentes erant, & communicabant, pluries celebrare necessarium non erat. Quo verò tempore desierint Fideles, qui Missae intererant, Sacramenti participes fieri, & quando in una Ecclesia plures Missae dici ceperint, non est facile definire: utruumque tamen antiquissimum est. Leo Magnus in ep. ad Dioscorum Alexandrinum mandat iterari sacrificium, cum Fidelium multitudo tanta est, ut omnes simul Basilica recipere non possit; ex hoc enim sequeretur, quod una pars populi suâ devotione privaretur, si unius tantum Missae mos servandus esset. Tum ait, plenum pietatis ac rationis esse, ut, quoties Basilicam praesentia novae plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Hanc verò Sacrificii iterationem S. Pontifex praecipit ex more, qui tunc Romae vigeat, *Ut in omnibus, inquit, observantia nostra concordet. Et infra. Ut quod nostrae consuetudini ex forma paterna traditione insedit, tua quoque cura non negligat.* De S. Pontifice Deus dedit auctor Pontificalis sic scribit: *Hic constituit secundam Missam in Clero.* Ad quae verba Petrus Urbevetanus in scholiis ait: *Quia tunc forsitan ad instar Graecorum non cantabatur in Ecclesia nisi una Missa, quod magis aedificabat secundum antiquos.* At ex allato Leonis testimonio patet, morem iterandi sacrificium multò ante in Romanam Ecclesiam inductum fuisse. Prosper etiam lib. de praedictionibus dimidii temporis cap. 6. bis intrâ paucas horas sacrum oblatum scribit in eadem Ecclesia. Huc item referenda sunt, quae de duplici Sacro eadem die celebrato Cap. XVIII. afferemus, cum de diebus polylyurgicis agendum erit.

V. Missas praeterea nemine communicante antiquis Patribus cognitae fuisse, notissimum est. Chrysostomus tom. 3. in epist. ad Ephesios, *Frustra est, inquit, quotidianum sacrificium, frustra adstantur altari, nemo est qui participet.* Idem repetit hom. 61. ad populum Antiochenum. Et hom. 5. in epist. 1. ad Timoth. postquam mala recensuit indignè communicantium, in eorum persona objicit sibi, *Quomodo ista perpetimur, cum semel tantum per annum ea sacramenta sumamus?* In Mediolanensi Ecclesia quoti-



quotidie oblatum sacrificium docet Ambrosius *serm. 34.* in quo populum adhortatur, ut, qui non est legitime impeditus, singulis diebus intersit Missæ. Mox admonet, ut in Quadragesima, die saltem Dominico offerant & communicent. Cum igitur populo suadeat, quotidie Missam audire, in Quadragesima verò saltem die Dominico communicare, satis evidenter ostendit, nullam tunc fuisse consuetudinem in illa Ecclesia toties communicandi, quoties Missa audiretur. Genadius Massiliensis *lib. de Eccl. dogm. cap. 53.* populum item hortatur ad communicandum omnibus Dominicis diebus, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Concilium quoque Agathense præcipit Sæcularibus, ut die Dominico Missam audiant: ad communionem verò eos non adigit, nisi in die Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes. Varios autem hac de re cuiusque Ecclesiæ mores fuisse, asserit Augustinus *epist. 118.* ubi ait, alios quotidie, alios dumtaxat certis diebus communicasse: quam varietatem prolixè describit Walfridus Strabo *cap. 20.* qui rursum de eadem differens *cap. 22.* hoc addit: *Esse quosdam, qui semel in die communicare, etiam si pluribus interfuerint Missis, pro dignitate sacramentorum sufficere credant: esse verò alios, qui sicut in una, sic in omnibus quibus affuerint Missis in die communicare velint, quorum nequos culpandos existimo.* Erant igitur vivente Strabone nonnulli Fideles adeò tenaces prisce moris communicandi in Missa cui aderant, ut communionem sæpius sumere eadem die non dubitarent, si pluribus Missis interessent. Verùm hujus moris an alii præter Strabonem testes proferri possint, haud scio. Usus autem communicandi, quoties quis sacris intererat, jam pridem desierat, ut modo ostensum est ex testimonio Chrysostomi, Ambrosii, & aliorum, in utraque Ecclesia Græca & Latina. Primi & secundi post Christum sæculi felicitas hæc fuit, cum multitudo Credentium, quorum erat cor unum & anima una, ardentissimo Dei amore succensa nihil impensius desiderabat, quam ad hoc supercælestè convivium accedere, in quo anima de Deo saginatur, ut loquitur Tertullianus. At propè finem tertii cepit fervor ille languescere, & numerus communicantium imminui: quam tepiditatem ægrè ferentes Patres Concilii Illiberitani *cap. 28.* statuerunt, Episcopum non debere munera ab eo accipere qui non communicat. Patres item Concilii Antiocheni *can. 2.* omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam, & se à perceptione sanctæ commu-

nionis avertunt, ab Ecclesia removeri decreverunt. Patres denique Concilii Toletani I. *cap. 12.* eos abstinere præceperunt, qui intrant Ecclesiam & non communicant. Ex quibus infertur, hæc desuetudinem, quæ sanctis illis Episcopis multum displicuit, eo tempore coepisse, quo Concilium Illiberitanum actum est, labente nimirum tertio sæculo, ut probabilior sententia fert, quam solidè probat Morinus *lib. 9. de penitentia cap. 19.* & illi quidem infrequentiam communionis damnarunt, nunquam tamen dixerunt, ideò à Missæ celebratione abstinendum, quia nulli essent qui vellent communicare, alioquin deterior foret Sacerdotis quam populi conditio, si tunc solum celebrare posset, cum adsunt communicantes, his verò deficientibus non posset, ut ipsemet de corpore & sanguine Domini participaret.

VI. Multa objiciunt Sæctarii, ut Missam privatam abrogandam esse persuadeant, quibus doctissime satisfecerunt Bellarminus & alii, qui in hac palæstra summâ cum laude desudarunt. Nequeo tamen unum illorum argumentum omittere, quod ex epistola S. Francisci ad Sacerdotes sui Ordinis desumunt, summopere exultantes ac si per eam praxim privatim celebrandi radicitus evellatur. Epistolæ verba hæc sunt. „Moneo præterea & exhortor in Domino, ut „in locis, in quibus morantur fratres, una tantum „Missæ celebretur in die, secundum formam „Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco „plures fuerint Sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus auditâ celebratione Sacerdotis alterius. En, inquit, vit Dei unam dumtaxat in die Missam admittit, idque secundum formam Romanæ Ecclesiæ. Porro Catholici vim hujus objectionis variis modis declinantur. Lucas Waddingus longo commentario ostendit, eum loqui de Missa publica & conventuali, privatas autem cuiusque arbitrio reliquisse. Alii dicunt, non determinari qualis sit, vel esse debeat illa Missa, solemnisne an privata, & sic contra ritum privatim offerendi nihil ex hoc testimonio concludi. Sunt etiam qui dicant, agi ibidem de sola quinta feria ante Pascha, non de aliis diebus. At hæc solutiones parum solidæ mihi videntur, nam vim afferunt textui, in quo manifestè hortatur, ut una tantum in die Missa dicatur, cui reliqui Sacerdotes intersint eâ contenti. Ideò alii, ut se facilius à difficultate expediant, falsam esse ajunt & supposititiam epistolam, sanctoque viro perperam tribui; dicit enim



Romanæ Ecclesiæ tunc morem fuisse, ut una tantum Missa diceretur, quod procul à vero distat, nec fas est suspicari, virum sanctum aut scienter mendacium scripsisse, aut Ecclesiæ Romanæ usum, qui tunc vigeat, ignorasse. At ego admittam epistola tanquam vera, & legitima, sumptam ex ea objectionem nullo negotio dilui posse existimo, si dixerimus, Seraphicum Patrem, qua humilitate à Sacerdotii susceptione ipse abstinuit, eadem hortari suos ne quotidie celebrent. Quod verò ait *secundum formam Romanæ Ecclesiæ*, de ritu servando in ipsa celebratione exponi & intelligi debet, neque trahendum ad unicam celebrationem, ac si ea tunc foret Romanæ Ecclesiæ institutio: Optimè enim noverat plures in die fieri oblationes; sed sicut in regula præcepit, ut fratres officium recitarent secundum morem Romanæ Ecclesiæ; ita hic monet, ut secundum formam ejusdem Ecclesiæ agantur Missæ: tum humilitatis causa, & ne Sacerdotes ex frequenti celebratione tepidiores fierent, hortatur, ut unica oblatione, cui omnes interessent, contenti, reliquis abstinere. Quia verò sciebat, id contra usum communiter receptum esse, sola exhortatione usus est, non præcepto. Scio quidem, Cartusianos, & alios quosdam Monachos unam tantum Missam, ad quam omnes conveniebant, solis diebus Dominicis & solemnioribus antiquitus egisse, ut ostendam Capite XVIII. sed in Romana Ecclesia nunquam legi hunc usum fuisse. Si autem hæc solutio non placeat, respondendum erit, singularem unius quantumvis Sancti assertionem, seu opinionem non tanti esse, ut justè possit aliis innumerabilibus & omni exceptione majoribus, qui pro usu privatæ Missæ testimonium perhibent, anteponi, eorumque vim ac auctoritatem infringere ac superare.

## CAPUT XV.

*Alia quedam Missarum genera. Missarum de Tempore & de Sanctis ratio & antiquitas. Quæ sint Missæ votivæ. Sacrificium pro defunctis ex Apostolica traditione offerri. De Missa Præsanctificatorum. Addita quadam de ea quam siccam vocant. Refertur quorundam abusus, qui plures Missas in unam congregabant.*

I. **S**ic stabilita tam publicæ quàm privatæ Missæ vera notione & antiquitate, ad alia

earum genera explicanda procedendum est. Primò autem occurrunt, quæ de Tempore dictæ sunt: sicut enim annus solaris quatuor temporum successione dilabitur, hiemis scilicet, veris, æstatis, & autumnii; ita annus ecclesiasticus suas habet temporum varietates, in quibus vitæ, passionis, & doctrinæ Christi mysteria, fideique nostræ sacramenta recoluntur. Anni verò solaris cum Ecclesiastico Analogiam diffuse explicat lib. 6. *sui Rationalis* Guil. Durandus, ubi docet, hiemem representari à Septuagesima usque ad Pascha, ver à Adventu usque ad Septuagesimam, æstatem à Paschæ usque ad octavam Pentecostes, & ab hac usque ad primam Dominicam Adventus autumnum. Quædam autem officia propria Missarum his temporibus assignata fuisse, vel ab Apostolis, vel ab eorum successoribus, quæ ideo de tempore nuncupantur, antiqua traditio est. Festa siquidem Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis Christi, ac Pentecostes, & jejunia Paschæ solemnitate antecedentia, atque his diebus Synaxes Apostolica institutione cœpisse, testes sunt Constitutiones Apostolicæ, Tertullianus lib. de jejunii, Theophilus Alexandrinus in Epistolis Paschalibus, Irenæus apud Eusebium lib. 5. historiarum: & in his convenerunt omnes Ecclesiæ; licet de die, quo Nativitas Domini, ejusque Apparitio, ac Resurrectio coli deberent, lites olim accuratæ motæ sint. De tempore Adventus ante Nativitatem mentio fit in Concilio Turtonensi II. cap. 17. & in Marisconensi I. cap. 9. quæ ante Gregorium Magnum acta sunt. Officia verò & Liturgiæ tum his diebus, tum singulis Dominicis, certisque feriis per annum agendæ, extant in antiquissimis sacramentorum libris sanctorum Pontificum Gelasii & Gregorii, & in Lektionario sancti Hieronymi, atque in Ordine Romano.

II. Aliæ Missæ sunt, quæ in honorem Sanctorum agi solent, cum illorum memoria annuâ solemnitate recolitur. Audiendus de his Cyprianus epist. 34. *Sacrificia pro eis, pro eorum scilicet honore, semper offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversariâ commemoratione celebramus.* Et epist. 37. ad Clerum suum, diligenter annotati mandat dies, quibus Martyres excedunt, ac sibi significari; ut, inquit, *celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum*: quo testimonio nullum præstantius. Ad idem respexit Cypriani Magister Tertullianus, cum libro de corona militis cap. 3.

ait.



ait, oblationes pro nataliis annua die facimus; quem locum malè detorquet Rhenanus ad cuiusque diem natalem more Ethnicorum, quod valde alienum est à spiritu Christianorum illius ævi, & à severitate Tertulliani. Confirmant eisdem ritus antiquitatem Ecclesiæ Smyrnenfis Fideles in epistola, qua Polycarpi martyrium describunt apud Eusebium *lib. 4. hist. Eccl. cap. 15.* ejusque ossa se collegisse ajunt, & in loco decenti condidisse; & in eodem loco natalem ipsius hilari conventu, qui sine sacrificio non erat, quotannis celebraturos. Subscribit Augustinus *lib. 8. De Civ. Dei cap. 27.* ubi docet, non sanctis Martyribus, sed Deo sacrificium offerri, cum Sacerdotes in honorem ipsorum sacrum faciunt.

„ Quis, inquit, audivit aliquando stantem Sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit? Idem fuit profequitur *lib. 20.* contra Faustum Manichæum hæc inter cætera scribens: „ Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum confocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memorias Martyrum constitutum altaria. Quis enim Antistitem in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit. Porro citati Patres de solis Martyribus loquuntur, quia Confessorum festivitates seriùs in Ecclesia receptæ sunt; & in Frontonis Calendario ante nongentos annos scripto non nisi quatuor adscripti sunt, Martinus scilicet Turonensis, Gregorius Magnus, Leo Papa, & Sylvester. Cum autem Martinus obierit anno Domini 402. ut Baronius computat, Temporis notam habemus, quo festa sanctorum Confessorum celebrari cœperunt, nam ipsi primùm hic honor delatus fuit, in cuius postea memoriam S. Benedictus in monte Cassino Oratorium construxit.

III. Sunt & Missæ, quæ pro aliqua speciali causa aut necessitate seu publica seu privata interdum celebrantur, quæ Votivæ dicuntur.

Ad has spectant Missæ quam scribit Augustinus *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* actam in domo privata, ut liberaretur à spirituum vexatione: Missa quam Prosper *lib. de Prædict. dimidiū temporis cap. 9.* narrat celebratam in gratiarum actionem ob puellæ à diabolo obsessæ liberationem: Missa pro Catechumenis Feriâ quartâ post quartam Dominicam Quadragesimæ, cujus mentionem faciunt Amalarius *lib. 1. cap. 8.* & ordo Romanus: Missa ad prohibendum ab idolis, quæ olim Kalendis Januarii fieri solebat, de qua Menardus in notis ad librum sacramentorum pag. 33. Quotquot denique pro aliqua, ut dixi, necessitate, vel in B. Virginis, sive Sanctorum venerationem extra solemnes eorum festivitates, & antiquitus agebantur, & nunc quoque aguntur, inter votivas computandæ sunt. Orabat autem & offerebat vetus Ecclesia non solum pro omnibus in ea viventibus, sed etiam pro infidelibus, ut eos Dominus ad fidem converteret, & pacem illis ac prosperitatem largiretur. Notissimum est illud Tertulliani ad Scapulam, *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut ipsum diligat, & reveratur, & honoret, & saluum velit cum toto Romano imperio. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris.* Et ante ipsam Apostolus *ep. 1. ad Timoth. cap. 2.* præcepit fieri obsecrationes pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: & tamen Reges tunc Deum non colebant, ut Chrysostomus *hom. 6. in hanc epistolam* notat, sed in infidelitate multis postea temporibus persistenterant. In libro sacramentorum Reginæ Suecorum ante annos nongentos scripto plures leguntur Missæ votivæ, quarum refero inscriptiones. Pro salute Fidelium vivorum, pro iter agentibus, in tribulatione, in natali Presbyteri qualiter sibi Missas agat, tempore mortalitatis, pro mortalitate animalium, pro sterilitate, ad postulandam pluviam, ad postcendam serenitatem, post tempestatem & fulgura, pro his qui Agapen faciunt, Missa in Monasterio, sive pro Monachis; in natali genuino, in die scilicet anniversaria, qua quis natus est; pro sterilitate mulierum, in benedictione viduæ quæ castitatem professâ sit, in consecratione virginis, tempore belli, pro Regibus, contra Judices malè agentes, in contentione, contra obloquentes, pro irreligiosis, ut convertantur, pro infirmo, pro reddita sanitate, pro domus seu familiæ incolunitate. Cornelius Schultingius *Tomo 3. Biblioth. Eccl. Part. 1.* Missas votivas



votivas pro variis necessitatibus, & pro diversis hominum statibus centum & quindecim ex diversarum ecclesiarum Missalibus collegit. Alias item habet P. 2.

IV. Apostolica quoque traditio est, sacrificium pro defunctis offerre. Tertullianus de cor. mil. c. 3. *Oblationes pro defunctis annua die faciuntur.* Idem lib. de exhort. Castitatis cap. 11. loquens de uxore defuncta, pro eius, inquit, spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Et de monogamia cap. 10. *Offert annuis diebus dormitionis eius.* Cyprianus epist. 66. ad Furnitanos, „Episcopi, aut, antecessores nostri, consueverunt, nequis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur; neque enim apud altare Dei meretur nominari, in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & Ministros voluit avocare. Epiphanius her. 75. inter errores Aëcii hunc panes enumerat, quod negaret, offerendum esse sacrificium pro defunctis. Chrysostomus hom. 69. ad Populum Antiochenum, *Non temere, inquit, ab Apostolis hæc sancta fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.* Isidorus lib. de Officiis Eccl. cap. 18. „Sacrificium pro defunctorum fidelium requirit offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Augustinus tum alibi sæpe, tum præcipue in libro de cura pro mortuis gerenda eidem veritati suffragatur. Ritus verò pro defunctis offerendi magnificè, ut solet, describit Dionysius in ecclesiastica hierarchia: & Damascenus Orat. pro mortuis, Apostolicum hoc esse institutum sanctorum Patrum testimonio ostendit. Sed pluribus testibus opus non est, nam in hunc morem tota conspirat antiquitas. Nec Fideles dumtaxat, sed etiam Ethnicos sacrificii quodam genere Defunctos coluisse docet Scævola lib. 34. digestorum tit. 1. de alim. vel cib. legat. lib. 18. §. ult. „Cibaria & vestiaria per fideicommissum restator dederat, & ita adjecerat; quos liberos meos, ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari jubeo, ut per absentiam filiarum mearum ad sarcophagum meum memoriam meam quotannis celebrent. Ad quam legem notat Gothofredus, ea sacra anniversaria fuisse.

V. Est denique Missa Præsanctificatorum, quæ tamen æquivocè dicitur Missa, cum careat consecratione corporis & sanguinis Jesu Christi.

De ea scripsit Leo Allatius eruditissimam & omnibus numeris absolutam dissertationem ad Bartoldam Nihufium editam in fine operis de Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua confessione, in qua curiosus lector, quicquid ad eam pertinet, reperiet. Basilio & Chrysostomo antiquior est, ejusque origo ad Synodum saltem Laodicenam referri debet, quam Baronius anno 314. Nicænam antecessisse ostendit. Sancitum enim in ea fuit can. 49. *non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato & Dominicis tantum.* Quibus diebus fiat, ostendit can. 52. Concilii Trullani. *In omnibus, inquit, sanctæ Quadragesime jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium.* Hunc morem adhuc servat. Orientalis Ecclesia, Occidentalis autem eo numquam utitur, aut usa est nisi feriâ sextâ majoris hebdomadæ. Ritus ejus apud Græcos hic est. Die Dominica præter illius diei oblationem quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbatum. Tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in Ecclesia, & in ipso vespertinarum precum officio Sacramentum antea consecratum proponunt & sumunt, præmissis psalmis gradualibus, & recitatis quibusdam canticis, lectionibus, & orationibus, quæ legi possunt in Euchologio cum notis Goar pag. 187. & sequentibus. Et quia panem antea consecratum, & sanctificatum sumunt, vocant hoc officium Præsanctificatorum, sive ante consecratorum; quo in sola Quadragesima, non in aliis jejuniis utuntur, quia, ut ait Theodorus Balsamon in notis ad prædictum canonem Trullanum, hoc jejunium præcipuum est, magisque solemne, & à Domino institutum.

VI. Confundunt nonnulli cum Præsanctificatorum Missam quam *ficcam* sive *nauticam* vocant; sed turpiter hallucinantur: nam Missa Præsanctificatorum legitimâ auctoritate instituta est, & verè in ea Christi corpus adest & sumitur, licet antea consecratum. At Missa ficca ab indifferetia & privata quorundam devotione duxit originem, cui nimium indulgentes fuerunt Sacerdotes. Larva est & simulatio quædam veræ Missæ, ficca proculdubio & jejuna, utpotè carens non solum consecratione, sed etiam sumptione corporis Christi, similis cœnæ lignæ & lapideæ, quam Lampridius & alii referunt sæpe convivis suis Heliogabalum exhibuisse. Invaluit tamen adeò, ut aliquando viris sanctis & doctis non displi-



displiquerit. Guillelmus de Nangiaco Monachus in libro gestorum S. Ludovici narrat Religiosissimum Regem, cum è transmarinis partibus rediret in Galliam, corpus Christi in navi decentissimè collocari, atque ibi officia divina & Missam excepto Canone quotidie celebrari fecisse. Eandem commendat Genebrardus *lib. de Liturgia Apostolica cap. 30.* pro his qui mane integræ Missæ interesse non possunt, pro navigantibus, pro infirmis, & quando defuncti post meridiem sepeliendi sunt; pro qua re in usu fuisse suis temporibus testatur, seque Taurini anno 1587. in exequiis viri nobilis, qui vespere sepeliabatur, hujusmodi Missæ cum Diacono & Subdiacono cantatè interfuisse. Modum eam celebrandi sic describit Durandus in Rationali *lib. 4. cap. 1.* Sacerdos, si ex devotione non ex superstitione velit totum officium Missæ sine sacrificio dicere, accipiat omnes vestes sacerdotales, & Missam suo ordine celebret usque ad finem offerendæ, dimittens Secreta quæ ad sacrificium pertinent. Præfationem verò dicere potest, licet in eadem videantur Angeli invocari ad consecrationem corporis & sanguinis Christi. De canone verò nihil dicat, sed orationem Dominicam non prætermittat, & quæ ibi sequuntur sub silentio dicenda, non dicat: calicem vel hostiam non habeat, nec de his quæ super calicem seu Eucharistiam dicuntur vel fiunt, aliquid dicat vel faciat. Postest etiam dicere: *Pax Domini sit semper vobiscum:* & exinde Missæ officium suo ordine peragat. Melius est tamen aliâ omittere. Hæc autem Missa nautica dicitur, ut ait Durandus *lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ cap. 4.* ex libro Sacerdotali, quia in mari & fluminibus celebrari solebat, in quibus propter motum & agitationem fluctuum vix potest sacrificium offerri sine periculo effusionis. Declamant acriter adversus eam Guil. Etkius *orat. 13. Theologica,* & Laur. Laudmeter. *lib. 2. de veteri Clerico & Monacho cap. 84.* qui ambo existimant, paulò ante Guidonem de monte Rocherii cepisse, à quo laudatur & approbatur *tract. 4. cap. 7. Manipuli Curatorum,* quem scripsit anno 1333. sederant; quia, ut vidimus, jam in usu erat vivente S. Ludovico Rege, qui obiit anno 1270. eamque describit Durandus, qui eodem tempore vixit, & Petrus Cantor, qui floruit anno 1200. ejusdem meminit in Verbo abbreviato *cap. 29.* ubi ait Missam sicam esse sine gratia & humore confectionis Eucharistiæ, & nihil Fidelibus prodesse. Nunc

providâ Episcoporum curâ ubique gentium, ut puto, obliterata & abrogata est.

VII. Cæterum præter Missam sicam irreperat & alius detestabilis abusus, quem Petrus Cantor loco citato acerrimè perstringit. Solebant enim eo tempore nonnulli Sacerdotes plures Missas in unum congerere, celebrantes Missam diei, vel aliam præcipuam suo ordine usque ad offertorium; tum aliam incipientes usque ad eundem locum, deinde tertiam & quartam eodem modo. Postea tot secretas orationes dicebant, quot Missas inceperant: demum sub uno canone sacrum perficiebant totidem additis in fine Collectis, quot initio recitaverant. Originem hujus abusus adscribit Petrus Sacerdotum cupiditati, qui cum illicitum esse scirent pluries in die celebrare, has plurium Missarum infirmitates invenerunt, ut devotioni multorum petentium pro se offerri sacrificium unica celebratione satisficientes, plura pro uno sacrificio stipendia acciperent. Has autem Missas barbaro vocabulo *Bisfaciatas & trifaciatas* nuncupat, quia duplicem vel triplicem habebant faciem: quas veluti monstruosas & contrarias institutioni & consuetudini Ecclesiæ improbat, & detestatur.

## CAPUT XVI.

*Duplex Missa; Catechumenorum & Fidelium. Utriusque ratio & origo. Missa Catechumenorum quinam adessent. Veteris Ecclesiæ erga Catechumenos disciplina. Altum de mysteriis silentium illis presentibus. Quot fuerint eorum classes. De tempore Catechesi constituto. Expulsio eorum ab Ecclesia quo saculo deserit. Expulsi cum illis etiam Penitentes, & Energumeni.*

I. Vigente in Ecclesia severiori disciplina, anxie admodum & sollicitè cavebant antiqui Patres, ne ulla sibi esset cum impiis, profanis, & impuris hominibus communicatio, quos non solum à mysteriorum participatione, sed ab ipso etiam aspectu arceri solebant. Ideò cancellis & velis Ecclesiarum sanctuaria undique clausa erant, ne quispiam in ea aut nondum Christianâ fide imbutus, aut aliqua sorde pollutus intro-



introsperet. Cumque inchoarentur eorumdem mysteriorum solemnità, omnes indigni à Diaconis ejiciebantur, donec prioris vitæ maculas præscriptis purgationibus eluissent. Hinc orta duplicis Missæ divisio à duplici missionem, quarum una Catechumenorum, altera Fidelium dicebatur. Et illa quidem duobus vel tribus primis Ecclesiæ sæculis, aliquot precibus & psalmis constabat, quibus absolutis voce Diaconi dimittebantur Catechumeni, & alii qui Missæ fidelium adesse non poterant. Sed cum postea sancti Patres & Episcopi animadvertissent, sermones & Scripturarum expositiones ad infidelium conversionem, cæterorumque instructionem multum conferre, admissi sunt omnes in Ecclesia, donec lecto Evangelio fieret sermo; quo habito, & illis exclusis, Missa Fidelium incipiebat. Ita sanctum fuit in Concilio Carthagenens. 4. cap. 84. *Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum.* Hujus autem edicti rationem reddit Concilium Valentinum Hispaniæ cap. 1. dicens: *Hoc inter cætera censuimus observandum, ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem vel Missam catechumenorum, in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermonem sacerdotis non solum Fideles, sed etiam Catechumeni ac poenitentes, & omnes qui ex diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos ad fidem attractos, evidenter scimus. Idem Augustinus & alii Patres, interdum gentiles, interdum hæreticos, sæpe etiam Judæos in suis sermonibus exagitant, quia simul cum fidelibus illis interesse consueverant. Quamvis autem cum catechumenis etiam poenitentes & energumini dimitterentur, Missa tamen, sive dimissio, à solis catechumenis nomen accepit, quia major tunc erat illorum numerus, & nonnunquam contingere poterat, ut nulli essent poenitentes vel energumini. Ven. Beda lib. 2. comment. in Esdras ipsos Catechumenos novæ vitæ auditores appellat, quia vox græca *Catechumenus* idem est ac Latine auditor. Et ante ipsum Isidorus lib. 7. orig. cap. 14. *Catechumenus dicitur pro eo qui adhuc doctrinam fidei audit, nec dum tamen baptismum percepit, nam Catechumenus græcè auditor est.* Tertullianus lib. de Poenit. cap. 6. *Nemo sibi aduletur, quia inter Auditorum tyrocinià deputatur.* Et paulo post.*

*Itaque audientes optare intinctionem, non præsumere oportet.* Cyprianus epist. 13. *Audientibus, si qui fuerint periculo præventi & in exitu constituti, vigiliantia vestra non desit.* Et epist. 24. *Optatum inter lectores doctorem Audientium constituimus: Magistrum scilicet Catechumenorum, seu Catechistam; quo munere functi sunt Alexandria viri celeberrimi Pantænus, Clemens, & Origenes. Erant autem Catechumeni Christianæ fidei tyrones, de quibus sic loquitur Tertullianus: Quicquid mediocritas nostra ad poenitentiam semel capeffendam & perpetuò continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat, sed præcipuè Novitioris illis imminet, qui incipiunt divinis sermonibus aures rigare. Nemo enim admittebatur ad Baptismum, nisi præmissis tyrociniis: & si quis infans baptizabatur, susceptores se illos docturos spondebant, cum ad aetatem capacem pervenissent.*

II. Non omnia tamen Religionis nostræ mysteria, nec ipsam quidem Symbolum fidei illis exponebant: sed quædam reservabant vel circa finem tyrociniis, vel post Baptismum. Auctor est Isidorus lib. 2. de offic. Eccl. cap. 21. *Symbolum Catechumenis traditum non fuisse, nisi cum mox baptizandi erant, & dicebantur Competentes.* Ambrosius ep. 33. ad Marcellinam sororem, *Post lectiones, inquit, & tractatum dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in baptisteriis tradebam.* Sozomenus lib. 1. cap. 19. Concilii Nicæni historiam texens Symbolum omittit; *nam verisimile est, ait, nonnullos qui non sunt initiati mysteriis hunc librum perleaturos.* Modus verò, qui in traditione Symboli servabatur, accuratè describitur in Ordine Romano in denuntiatione Scrutinii ad electos; præmissis enim exorcismiis, lectisque initiis quatuor Evangeliorum, Symbolum ipsis recitabatur primum græcè, deinde latine, addita præfatione paranetica, & subjuncta appendice in ejusdem Symboli commendationem. Orationem quoque Dominicam nefas erat Catechumenis discere, vel recitare, sed eam audiebant post Symboli traditionem adjecta singulis petitionibus brevi, & solida expositione, quam dabimus infra lib. II. cap. XV. Idem autem interdicitur illis erat hæc oratio ante lavacrum, quia, ut scitè loquitur Cyprianus ep. 74. ad Pompejum, *Nativitas Christianorum in baptismo fit, nec potest Deum patrem habere, qui filius Ecclesiæ non est. Filii ergo Dei, & fratres fidelium non censentur,*



tur, nisi per aquam regenerati, ac propterea, priusquam renati essent, dicere non audebant, *Pater noster qui es in caelis*. Hac ipsa de causa cum Fidelibus orare nequibant, teste Chrysostomo, qui *hom. 79. ad Pop. Antioch.* disserens de vi, & potentia orationis factae in Ecclesia ait, „Et Catechumenis quidem permittitur hoc nondum est, quoniam nondum ad hanc pervenere fiduciam: vobis autem & pro terrarum orbe, & pro Ecclesia, & pro gubernantibus ipsam & praesidentibus jubetur orationes emittere. Primitiam Arauscani Concilii canone 20. vetitum erat, ne cum Fidelibus benedictionem acciperent, sed seorsim: nec licebat Episcopis, illis praesentibus, manus imponere super ordinandos, ut statuit Concilium Laodicenum cap. 4. aut baptizare, ex decreto praecitati Arauscani cap. 19. adeo ut ab aspectu ejus lavacri removerentur, quod tantoperè exoptabant. Innocentius I. ep. ad Decentium Eugubinum agens de Sacramento Confirmationis ejusque formam ait: *Verba dicere non possum, ne magis proderet videar, quam ad consultationem respondere*. Et Cyrillus Alexandrinus lib. 7. adv. Julianum, *Dicerem, inquit, de his, nempe de Baptismi mysteriis, nisi revererer aures non initiatorum*. Ambrosius item baptismatis mysteria expositorius initio libri de iniciandis ait: „Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam Sacramentorum rationem edere; quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodiciisse potuiss, quam edidisse aestimaremur. Ex hac autem disciplina emanasse puto canonem 37. Concilii Illiberitani, quem Baronius supposititium suspicatur: alii verò multum se torquent, ut congruam ejus atque orthodoxam interpretationem inveniant. Verba canonis haec sunt. *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur*. Quibus verbis frustra abutuntur sectarii, ut hujus Concilii auctoritate sacrarum Imaginum usum & cultum convellant. Alia enim fuit illorum Patrum mens, quae ex more illius saeculi sollicitè caventis, ne Religionis nostrae arcana infidelibus proderentur, aestimanda est. Veterunt ergò, ne id, quod colitur & adoratur, in parietibus pingeretur; id verò quod pingendum non erat, obscurè explicarunt illis verbis, *quod colitur & adoratur*, ut soli fideles intelligerent eo canone prohiberi imagines Dei, & Christi Salvatoris, ne à Gentilibus irruentibus saepe in Ecclesias contumelia afficerentur, & irriderentur Christiani, ac si hominem colerent tanquam

Deum: nevé catechumeni Deum, quem in-circumscriptum, immensum, & materiae expertem praedicari audiebant, humana figura pictum, videntes, aliquid alienum ab ejus majestate conciperent. Deinde observandum, non prohibuisse in tabulis pingi, quia commodè auferri poterant, & obducto velamine à profanorum aspectu submoveri.

III. Nullum verò Sacramentum studiosius celabant, quam Eucharistiam, de qua propterea antiqui Patres & pauca scripserunt, & obscurius loquuti sunt, quia vel aderant eorum sermonibus non initiati, vel timebant ne libri sive tractatus in manus illorum inciderent. Optimè Basiliius lib. de Spiritu Sancto ad Amphilocho. cap. 27. *Quae nec intueri fas est non initiatis, non convenirebat eorum doctrinam scripto publicitus circumferre*. Et Gregorius Nazianzenus *Orat. 42.* Pleaque ait, mysteriorum nostrorum ne enuntiarum quidem iis posse, qui sunt extra fidelium communionem. Ambrosius item lib. 1. offic. cap. 50. *Non omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur à Levitis, ne videant qui videre non debent*. Quod si aliquando de hoc mysterio mentio habenda foret, illud eà periphrasi obvolvebant, *Norunt Fideles*. Augustinus in Psal. 33. *Nondum erat Sacrificium quod fideles norunt*. Idem in Psal. 39. *Sacrificium verum quod fideles norunt*. Et infra. *Corpus quod nostrum, quod non omnes nostris, quod utinam qui nostrum omnes, non ad iudicium noveritis*. Et in Psal. 109. ad illa verba. *Tu es Sacerdos in aeternum: Fidelibus loquor*. *Si quid non intelligunt Catechumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam*. Chrysostomus *hom. 72. in Matth. Eucharistiae mysterium quanta misericordia plenum sit, initiati solummodo noverunt*. Et *hom. de prodicione Judae*. *Norunt initiati quae dicuntur*. Idem *hom. 40. in 1. ad Cor.* *Volo quidem aperte hoc dicere, non audeo tamen propter eos, qui non sunt initiati*. Rursum Augustinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 6. *Hoc est sacrificium Christianorum, quod Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia*. Orthodoxus apud Theodoretum *Dialogo 1. & 2.* cum in Eucharistiae mentionem incidisset, obscurè & aenigmaticè loquendum esse monet, quod fortè aliqui adessent non initiati. Hac autem circumspectione usi sunt passim antiqui Patres, vel qui putabant, mysteriorum majestatem quodammodo imminui, si aperte coram catechumenis, & profanis hominibus enuntiarentur: vel ut eorum desiderium in corde iniciandorum magis accenderent. Cyrillus Hieros. in praefat.



Catecheson: Cum catechesis recitatur, si catechumenus ex te quaesierit, quid dicebant Doctores; nihil dicas externo. Et infra, Fueras & tu aliquando catechumenus, neque proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quae nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges dignos non esse catechumenos, qui ea audiant. Augustinus vero tract. 96. in Joannem testis est, Sacramenta Fidelium ideo catechumenis non prodigi, ut ab eis tanto ardentius concipi-scantur, quanto honorabilius occultantur. Hanc disciplinam spernentes Marcionistae ad omnia mysteria Catechumenos cum Fidelibus indiscriminatim admittent, ut Epiphanius *hær.* 42. & Hieronymus in *cap. 6. epist. ad Galatas* referunt. Eosdem à Tertulliano perstringi credo lib. de Præscript. hæreticorum cap. 41. Non omit-tam, quam futilis, quam terrea, quam hu-mana sit: sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suae congruens. In primis, quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt; pariter audiunt, pariter orant. Catholici autem adeo religiose Fidelium, & Catechumenorum distinctionem servabant, ut Athanasius *Apolog.* 2. falsi convincat adversarios, qui faciae mensae tempore sacrificii à Macario everse testes catechumenos producebant, hac illatione: Si catechumeni intus erant, ergo non est celebrata oblatio. Eodem argumento Theophanes Abbas & Confessor in *Chronographia Constantinum Magnum Romae à Sylvestro*; non autem Nicodemiae ab Eusebio baptizatum fuisse evincit: Nondum enim lustratus, ait, si Nicena Synodo interfuisset, neque divinorum mysteriorum, neque precum à sanctis Patribus factarum exi-tisset particeps: id vero dicere, ne dum sentire iniquissimum est. Palladius consonat in vita Chry-sostomi, ubi tanquam scelus gravissimum exaggerat, quod in tumultu adversus illum excita-to, quidam non initiati irruptione facta in Ecclesiam ea aspexerint, quae nefas erat illis in-tueri. Gaudentius item Brixianus *serm. 2. ad Neophytos regressos à fonte*: Ea solum, inquit, aperienda Neophytis, quae presentibus Catechumenis explanari non possunt. Epiphanius denique, ut alios omittam, Sacramentum Eu-christiae expendens in Ancorato, Audientium & ipse praesentiam reveritus formam ejus occultè refert hoc modo. Videmus quod accepit Sal-vator noster in manus, & ubi gratias egisset dixit: Hoc meum est hoc & hoc. Quod si aliquis ex ca-

techumenis ignoranter suscepisset Eucharistiam, statim baptizabatur, ut ex Constitutionibus Apostolicis lib. 7. cap. 26. colligitur, & ex Timotheo Alexandrino, addita interpretatione Balsamonis. Etiam Eulogiae sive panis reliquiae, quae distribui solebant post Missam, negabantur Catechumenis, ut constat ex cap. 7. Theophili Alexandrini cum ejusdem Balsamonis ex-plicatione. Nam cum panis usualis & commu-nis aliquid in terram decuti anxie, eo quod esse materia Eucharistiae, Fideles parentur, ut loquitur Tertullianus; multo magis inconve-niens existimabant, frustra panis benedicti dare profanis & nondum initiatis. Illis tamen dabant sal, non solum in baptismo, sed etiam in catechumenatu; ad quem ritum, non autem ad Eulogias, respexit August. lib. 2. de pecc. mer. & remiss. cap. 26. cum ait, Quod accipiunt Catechumeni quamvis non sit Corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus ali-mur, quoniam Sacramentum est. Et lib. 1. conf. cap. 11. agens de suo catechumenatu, Au-dieram ego, inquit, adhuc puer de vita aeterna nobis promissa per humilitatem filii tui Domini Dei nostri, & signabar jam signo crucis, & condie-bar ejus sale. Hoc unicum erat catechumenorum Sacramentum, de quo Concilium tertium Car-thaginense can. 5. Placuit ut etiam per solemnissi-mos Paschales dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solum sal. Mos autem in hoc canone praescriptus vigeat in Gallia tempore Caroli Magni, ejus enim Capitularia lib. 7. cap. 109. praecipunt, ut in Paschate Sacramentum catechumenis non detur, sed tantum benedictum sal à Sacerdotibus pro communionem tribuatur. Post Baptismum vero egressi de lavacro mel & lac degustabant tanquam symbola mysticae infantiae: idque Tertullianus lib. de corona cap. 3. inter anti-quas traditiones enumerat, Inde suscepti, ait, id est ex fonte, lactis & mellis concordiam prae-gustamus. Cui consonat Hieronymus adv. Luciferianos dicens, Multa quae per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt: velut in lavacro ter mergitare caput, deinde egressos lactis ac mellis gustare concordiam ad infantiae significationem. Rarum Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14. Ille usque nunc nec aquam reprobat creatoris, qua suos abluit: nec oleum, quo suos ungit: nec mellis ac lactis societatem, qua suos infantat. Hunc ipsum ritum sancta virgo Agnes expressit, cum dixit: Mel & lac ex ore ejus suscepti.



IV. Porro Catechumenos in varias olim classes distinctos reperio. Nam primò infideles declarabant se Christi fidem amplecti vellet; tum privatim in aliqua domo Paganismi falsitatem edocebantur: post hæc in Ecclesia admittebantur ad conciones audiendas: deinde in eadem Ecclesia precum & orationum participes effecti poterant in genua procumbere: demum datis nominibus in albo eorum scribebantur, qui mox sacro fonte abluendierant. Singularum classium ordo & nomina can. 7. Concilii primi Constantinopolitani sic exprimuntur. „ Primo die „ ipsos Christianos facimus, secundo catechu- „ menos, deinde tertio exorcizamus sive adjura- „ mus ipsos, ter simul in faciem eorum & aures „ insufflando; & sic eos catechizamus sive ini- „ tiamus, & curamus, ut longo tempore verfen- „ tur in Ecclesia, & audiant Scripturas, & tunc „ eos baptizamus. Idem ordo indicatur can. 95. Concilii Trullani. Alii aliis nominibus utuntur: sed in Latina Ecclesia omnes classes ad quatuor redactæ sunt, quæ in sermonibus & tractatibus Latinoorum Patrum passim occurrunt. Quidam enim ab infidelitate ad fidem converti desiderantes audiebant in Ecclesia verbum Dei, sed nondum petebant Baptismum, & ii dicebantur *Audientes*. Alii audito sermone procumbebant in genua; & orationum Ecclesiæ aliquo modo participes erant, & vocabantur *Substrati*, sive *Genua flectentes*. Alii in fide rectè instituti baptismum petebant, & dicti sunt *Competentes*. Qui verò ex istis in albo baptizandorum descripsi erant, *Electi* nuncupari solebant. Augustinus *serm. 116. de tempore* Competentium nomen ex eo deducit, quod gratiam baptismi simul peterent. „ Primum, inquit, Competentes isti, „ quare hoc nomine vocentur, agnoscant. Com- „ petentes dicuntur simul petentes, quo modo „ confedentes nihil aliud est nisi simul sedentes, „ & colloquentes nihil aliud est nisi simul lo- „ quentes, concurrentes sine dubio non intelli- „ guntur, nisi simul currentes: ita & competen- „ tes non possunt aliud intelligi, nisi simul peten- „ tes. Idem sentit Isidorus lib. 2. de Eccl. off. cap. 21. *Competentes sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant: ideoque appellantur competentes, id est, gratiam Christi petentes, nam catechumeni tantum audiunt, necdum petent.* Hæc duæ classes Catechumenorum & Competentium frequentius à sanctis Patribus commemorantur: quia nomine catechumeni Audientes & Sub-

stratos intelligunt, & Electos à Competentibus ut plurimum non distinguunt. In Codice M. S. Regine Suecorum *num. 914.* extat antiquissima collectio Canonum, & post eam sermo ad Conjugatos sine nomine Auctoris, in quo omnes compellans qui adesse concioni solebant fideles & poenitentes sine classium distinctione, catechumenos autem, & competentes distinctè nominat. „ Audite, inquit, Carissimi, membra „ Christi, & matris Catholicæ filii. Quod dico „ Competentibus, audiant Fideles: quod dico „ Fidelibus, audiant Competentes: quod dico „ Competentibus & Fidelibus, audiant Poeni- „ tentes: quod dico Fidelibus, & Competenti- „ bus, & Poenitentibus, audiant Catechumeni. „ Audiant omnes, omnes timeant, nemo con- „ temnat.

V. In primordiis Ecclesiæ, & cum necessitas exigebat, nullum tempus Catechesi præfinitum erat, sed quoscumque constabat de sua salute sollicitos esse, & in fide sufficienter instructos, Apostoli, eorumque discipuli baptizabant. Postea visum est Patribus, ut diu perseverarent in ediscendis fidei rudimentis, certo tempore instructioni præfixo, diverso tamen pro regionum, & personarum varietate, atque exigentia. Concilium Illiberitanum Flaminibus triennium præscripsit cap. 4. Forminis, quæ maritum sine causa reliquissent, quinquennium, c. 11. Reliquis biennium, c. 42. Judæos octo mensibus inter Catechumenos retinendos esse statuit Concilium Agathense c. 34. Ipsos verò catechumenos lapsos tribus annis inter Audientes morari Nicæna Synodus sancivit cap. 14. Et cum sæviente persecutione hæc spatia contracta fuissent, hæc ipsa Synodus cap. 2. vetuit, ne id deinceps fieret, sed statuta tempora servarentur. Demum post aliquot sæcula redactum tempus est ad dies quadraginta, ad tempus scilicet Quadragesimæ, in qua sex scrutinia haberi solebant, & septimum in vigilia Paschæ, de quibus non est hic tractandi locus. Inquirebant autem Episcopi & Presbyteri, qui mores essent, quæ vita, quæ fides Catechumenorum, & si qui discipuli reperiebantur, seiori disciplina usque ad ejectionem coercerentur, ut patet ex can. 5. Concilii Neocæsariensis. Præclare Justinus Martyr Apolog. 2. *Quicumque persuasum habuerint & crediderint esse ea vera, quæ à nobis docentur & dicuntur; ac vivere se ita posse solliciti fuerint, docentur orare jejunantes, & à Deo anteriorum peccatorum veniam postulare, nobis unà cum illis orantibus & jejunantibus. Deinde eò à nobis ducuntur,*



cuntur, ubi aqua est, & eodem regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Alludit ad hanc disciplinam Arnobius lib. 2. adv. gentes, cum ait, feritate atque inhumanitate depositis resumere animas ingenia mitiora, ut ad illud, quod dabitur, possint esse paratæ, ad Baptisimum scilicet & ad Eucharistiam, de quibus Sacramentis obscure loquitur & timidè propter infideles. Priùs itaque docebantur, tum fidem profitebantur, deinde precibus ac jejuniis & aliis operibus poenitentia incumbabant, feritatem atque inhumanitatem deponentes, ut Arnobius ait accommodatè ad profanorum mysteriorum institutiones; Christiana verò phrasi, priori vitæ renunciantes ac peccatorum veniam postulantes. Mox lavacro abluti synaxi aderant, & ad Communionem Corporis Christi admittebantur. In his autem gradatim procedebant servato ordine supra descripto, donec lotis salutaribus undis omnia mysteria pandebantur. Ab impiis etiam factis hoc olim observatum, ut profani procul à sacris arcerentur, Jamblichus docet lib. 2. de vita Pythagoræ cap. 12. *Cum externis & ut sic dicam profanis, si quandoque usus ferret congregandum esse, nequaquam sua sacra enunciabant, sed per symbola & arcana tesseras obscure & latenter sibi mutuo sensa mentis velut enigmatibus significabant.* Et Plutarchus lib. de garrulitate, *Dicendi homines, tacendi Deos magistros habemus, in eorum sacris & mysteriis una nobiscum accepto silentio.* Apuleius quoque lib. 1. fabulæ *Milesiæ*, postquam narravit se à Sacerdote, semotis procul profanis, ad sacrarii penetralia deductam: „Quæras forsitan satis anxie quid deinde dictum, quid factum? Dicrem, si diceret liceret: cognosceres, si liceret audire. Sed parem noxam contraherent aures & lingua temerariæ curiositatis. Tum enigmatice subdit. Accessi confinium mortis, & calcato Proserpinæ limine per omnia vectus elementa remeavi. Nocte media vidi solem candido coruscantem lumine, Deos inferos, & Deos superos. Accessi coram & adoravi de proximo. Ecce tibi retuli, quæ quamvis audita, ignores tamen necesse est. Eodem modo à sacris Cereris submotos impios & sceleratos voce præconis, eaque territum Neronem iis adstare ausum non esse, scribit Suetonius.

VI. Sed redeo ad Missam, è qua habito post Evangelium sermone tam Catechumeni, quam infideles, & alii immundi abire, ac è foribus templi egredi voce Diaconi jubeban-

tur, ipsas fores custodientibus Ministris, easque claudentibus postquam fuerant egressi. Erat olim hoc munus Diaconorum, ut notant Maximus & Pachymeres ad cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Nota, inquit Maximus, quod Diaconi fores tunc custodierint, nunc verò subdiaconi. Clemens autem lib. 8. *Constitut.* ait, Diaconos tunc stetit ad portas per quas viri, Subdiaconos ad eas, per quas mulieres ingrediebantur. Concilium verò Laodicenum statuit Ministrum, id est Subdiaconum, ut Zonaras, Balsamon, & alii interpretes explicant, non oportere fores relinquere. A Subdiaconis tandem ad Ostiarios hoc officium pervenit, quia, ut observat S. Thomas in *supplem.* 3. p. qu. 37. art. 2. antiquis temporibus ob paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, sed ampliatum est postea cultus divinus, & Ecclesia alios ordines sibi instituit. At nunc abiit in desuetudinem hic ritus, & à foribus templorum discesserunt Ostiarii, sublatisque repagulis omnes indiscriminatim ad ipsum altare irrumpunt, ad quod nonnisi Sacerdotibus, eorumque ministris fas erat accedere. Quæ ætate id fieri cœperit incertum est: ex his autem, quæ S. Thomas quæstione præcitata scribit, colligunt nonnulli, ante ipsius tempora hunc morem defuisse: quæ conjectura certior redditur ex Joanne Zonara, qui in notis ad Concilium Laodicenum ait, suo tempore, centum scilicet & quinquaginta annis ante Thomam, à januæ custodia ministris recessisse. Mihi haud improbabile videtur, ecclesiæ fores cunctis introire volentibus tunc patuisse, cum jam nulli erant infideles, nulli catechumeni & poenitentes, qui à Synaxi arcerentur, & peracta concione dimitterentur. Id verò in Ecclesia Latina circa annum Christi septingentesimum contigisse, argumento esse multa possunt. Nam primò istius dimissionis nulla fit mentio in antiquis Missalibus & Ritualibus: nec ullum ejus vestigium extat apud veteres officiorum expositores, Strabonem, Micrologum, Rabanum, Amalarium, Alcuinum: licet alios quoscumque ritus minutissimè soleant explicare. Patres etiam & Concilia post annum 700. nihil prorsus de hac re agunt, quamvis nonnunquam de Missa Catechumenorum atque Fidelium ex prisco usu sermonem habeant. Neque obstat Amalarius ita scribens lib. 1. cap. 36. *Consuetudo nostra est, ut Catechumenos repellamus ante Evangelium: nam de alio ritu loquitur, qui à media Quadragesima usque*

ad



ad Sabbatum sanctum suo tempore vigeat, & aliquot post ipsum sæculis in usu fuit; ejus enim meminit Joannes Beleth, qui vivebat anno 1190 *lib. de div. offic. cap. 34.* quia cum nemo esset qui baptismum peteret ex Ethnicismo vel Judaismo conversus, sed omnes baptizandi, filii Christianorum & infantes essent, quidam ex illis ad solemne Paschatis baptismum reservabantur. Et hi manebant in ecclesia, donec legeretur Epistola, & cantato Graduali Diaconus elata voce dicebat; *Catechumeni recedant: si quis Catechumenus est, recedat: omnes Catechumeni recedant foras.* Et egrediebantur expectantes præ foribus ecclesiæ, usque ad finem Missæ; ipsisque egressis legebat Diaconus Evangelium. Hic mos erat primi & secundi scrutiny: in tertio verò quod apertionis aurium dicebatur, tradito Symbolo & explicata Dominica oratione, annuntiabat Diaconus ut discederent: & egrediebantur parentes cum infantibus, eisque relictis sub custodia, donec Missarum solemnitas perficerentur, regressi in Ecclesiam tam ipsi parentes quam susceptores cum oblationibus, eas pro illis offerebant: quæ omnia fusiùs in Ordine Romano describuntur. De hac igitur dimissione Amalarius, & Beleth intelligendi sunt; non de illa solemni & quotidiana, à qua Missa Catechumenorum nomen accepit, licet hæc ab illa promanarit. Augustinus *serm. 237. de temp. Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis.*

VII. Græci pristinum morem adhuc retinent, & quamvis in eorum ecclesiis nulli sint Catechumeni, nulli poenitentes, in singulis tamen Liturgiis solemni formula Diaconus ait, *Quotquot estis Catechumeni recedite. Ne quis Catechumenus superfit. Quicumque fideles in pace Dominum oramus. Sive ut habetur in Liturgia Jacobi, Nullus Catechumenus, nullus eorum qui nondum initiati sunt; nullus eorum, qui nobiscum orare non possunt, intersit. Recognoscite vos invicem. Fores observate. Omnes recti.* Distinctio tamen expressa in Liturgiam Catechumenorum & Fidelium apud Græcos non reperitur; tamen semper eadem fuerit actio Missæ apud illos, & apud Latinos: eademque apud utrosque circa Catechumenos & poenitentes disciplina. Dionysius *cap. 3. Eccl. Hierarchie* magnificè hunc ritum & diffusissimè describit, ex quo præcipua quædam excerpam. Exinde, inquit, sacrarum literarum lectio recitatur, qua finita sacro am-

bitu arcentur Catechumeni, & cum iis energumini ac poenitentes, illis, qui divinarum aspectu & communionem digni sunt, remanentibus. Porro Catechumenos & Energumenos, eosque qui poenitentes dicuntur, sacrosanctæ Hierarchie mos patitur quidem audire sacram Psalmody, divinamque sacrarum Scripturarum recitationem: verum ad ea quæ deinceps sequuntur sacrificia & spectacula nequaquam hos convocat, sed perfectos perfectorum oculos. Ac postremus quidem ordo Catechumenis tributus est, quod exortes sint & ignari omnis hierarchicæ perfectionis, nequedum per divinam nativitatem divinum statum assecuti, paternis eloquiis foveantur, vivificisque formis ad beatum illum, qui ex divina generatione proficiscitur, vitæ, lucisque principem progressum efformentur. Porro energumenorum turba immunda quidem & ipsa est, verumtamen secundum locum superiorem à Catechumenorum extremitate obtinet. Cæterum opinor, imò verò compertum habeo, sincerissimum sacrarum Ordinum judicium censere, præ istis detestabilissima obsidione teneri eos, qui deformem vitam deserentes, sententiis moribusque perditis dæmonibus consentiunt, dum ea quidem, quæ & verè sunt, & immortaliter possidentur, atque æternaliter delectant, per extremam sibi perniciosa demerentiam averfantur, materialem verò pluribusque perturbationibus obnoxiam immutationem, perditasque ac corruptrices voluptates, & instabilem, eamque alienam, neque verè existentem, sed apparentem delectationem ambiunt & consectantur. Hi ergo primi, & quidem magis propriè quam illi, segregativa ministri voce arceantur: neque fas sit eis cujuslibet alterius rei sacræ participes evadere, præterquam eloquiorum Dei, quorum magisterio ad meliorem frugem converti possint. Hæc Dionysius, ex quo constat morem efficiendi cum Catechumenis, Energumenos & Poenitentes antiquissimum esse. Nomen autem Energumeni ad eos extendit Dionysius, qui carnalibus immuditiis servientes perveris moribus cum dæmonibus consentiunt, quod alibi me legisse non memini: nec puto veterem Ecclesiam Energumeni appellatione carnales homines vitiosis passionibus agitato, sed eos dumtaxat, qui corporaliter à Diabolo obsessi & possessi erant, intellexisse. Agit de Energumenis, & de oratione super illos effusa in Ecclesia, antequam expellerentur, Chrysostomus *hom. 3. & 4. de Dei natura adversus Anomæos*



Cæterum in his omnibus dimitendis certus ordo servabatur, qui vix percipi aut explicari poterit, nisi de Pœnitentibus, eorumque gradibus & classibus quædam ex veteris Ecclesiæ disciplina breviter præmittantur.

## CAPUT XVII.

*Quibusdam olim peccatis negata venia: tum omnibus concessa. Pœnitentium quatuor classes, Flentium, Audientium, Substratorum, & Consistentium. De singulis Classibus, earumque origine, statione, & disciplina. De mulierum pœnitentia. Qui fuerint hiemantes. Pœnitentes, & alii, qui Missæ Fidelium adesse non poterant, quo ordine dimitterentur. De Sacramentali absolutione.*

**I**N exordio Christianæ Religionis tantum erat pietatis studium, tantum odium improbitatis, ut quibusdam sceleribus, quæ atrociora visa sunt, omnis prorsus veniæ spes, omnis pœnitentia denegaretur; adeo ut, qui ea commisisset, quamvis à divina misericordia eorum remissionem veræ contritionis subsidio obrineret, nunquam tamen posset cum Ecclesia reconciliari. Ea erant idololatria, homicidium, & adulterium. Constat ex Tertulliano *lib. de Pudicitia*, ubi iam factus Montani assecla acriter invehitur adversus decretum Zephyrini Papæ, quo adulteros ad pœnitentiam admitti edixerat. Idem liquet ex Concilio Illiberitano, & ex epistola Innocentii Primi ad Exuperium *cap. 2.* in qua ait, duriores fuisse observationem tempore persecutionum, ne communionis concessa facilitas, homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu; reddita autem ecclesiis pace rigorem illum in misericordiam commutatam esse. An verò priori, ac severiori vigente disciplina prædictorum criminum reis in fine vitæ, sive in periculo mortis constitutis reconciliatio concessa fuerit, dubiæ quæstionis est. A Patribus enim Concilii Illiberitani sancitum fuit, ut nec quidem in fine daretur eis communio; & ex nonnullis epistolis Cypriani patet, hunc usum tunc viguisse in ecclesia Africana: alii ex adverso removere ab ecclesia etiam illius temporis hunc feralem rigorem fatigunt, nec ullum unquam in fine vitæ verè pœnitentem exclusum fuisse asserunt

à venia & reconciliatione. Et quidem si veniæ nomine sacramentalem dumtaxat à peccatis absolutionem intelligant, non est hæc sententia improbabilis: sed plenam reconciliationem, quæ in publicorum precum participatione, & in iure offerendi munera in synaxi, ac percipiendæ Eucharistiæ consistebat, illis concessam nego; & hic saltem est sensus antiquorum canonum statuentium, ut nec in fine eis communio concederetur. Quod si aliquis absolutionem sub mortem consecutus convaluisset, intra cœterum Fidelium non admittebatur, nisi prius peracta pœnitentia illorum consortio dignus redderetur.

**II.** Postquam autem rigidioris disciplinæ emollita duritie omnibus criminibus, etiam tribus supradictis, indulgentiæ, & misericordiæ janua aperta est; non tamen facilè quibuslibet petentibus facultas concedi solebat agendi in ecclesia pœnitentiam, nisi prius constaret, admissa flagitia eos serio detestari, & verè optare dignos facere pœnitentiæ fructus, ac mores emendare. Ideo in area ultra omne ecclesiæ testum diu ante porticum permanebant, ubi sacco induti, & cinere aspersi omnium Fidelium ecclesiam ingredientium pedibus provoluti rogabant, ut pro ipsis apud Episcopum, & Presbyteros, ac universam fraternitatem intercederent, & jus agendæ pœnitentiæ impetrarent. Huc alludit Tertullianus *lib. de Patientia cap. 12.* „Hæc expectat, hæc exorat, hæc exorat pœnitentiam quandoque in tu-  
ris salutem. *Et de Pœnit. cap. 3.* Adstitit pro foribus, & de notæ suæ exemplo cæteros admonet, & lacrymas fratrum sibi quoque advocat, & redit plus utique negotiata confessionem, scilicet, quam communicationem. Nec amittit, sed præparat fructum. Cyprianus quoque *lib. de lapsis, Casti & Emilii*, qui tormentis vexati lapsi erant, pœnitentiam commemorans ait: „Sic Casto & Emilio aliquando Dominus ignovit: sic in prima congressione devictos, victores in secundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus antecessissent, & unde superati essent, inde superarent. Deprecabantur illi non lacrymarum miseratione, sed vulnerum, nec sola lamentabili voce, sed laceratione corporis & dolore. Eusebius item in *fine libri 5. Historiarum* petitam & obrentam à Natali confessore, qui ab hæreticis deceptus Episcopatum apud illos acceperat, pœnitentiam enarrat dicens, ad pedes Zephyrini Episcopi sese cum lacrymis indutum sacco & conspersum cinere abjecisse; nec solum cleri, sed & secularium vesti-



vestigiis advolucum, multisque precibus usum, ostensis etiam vibicibus plagarum, quas pro Christi confessione pertulerat, Ecclesiam tandem suis fletibus commovisse. Ipsa vero poenitentiae opera Tertullianus eleganter commemorat lib. de poenit. cap. 9. „Exomologesis pro-  
 „sternendi & humiliandi hominis disciplina  
 „est, conversationem injungens misericordiae  
 „illicem, de ipso quoque habitu atque victu  
 „mandat, sacco, & cineri incubare, corpus  
 „sordibus obscurare, animum mœroribus de-  
 „jicere, illa, quæ peccavit tristi tractatione  
 „mutare: cæterum pastum & porum pura nos-  
 „se, non ventris scilicet, sed animæ causâ:  
 „plerumque verò jejuniis preces alere, inge-  
 „miscere, lacrymari, & mugire dies noctes  
 „que ad Dominum Deum suum, Presbyteris  
 „advolvi, & caris Dei adgeniesulari, omnibus  
 „fratribus legationes deprecationis suæ injun-  
 „gere. Idem de pudicitia cap. 13. poeniten-  
 „tem depingit conciliatum & concineratum,  
 „cum dedecore & horrore compositum, om-  
 „nium lacinias invadentem, omnium vestigia  
 „lambentem, omnium genas decinentem. Simi-  
 „li modo Cyprianus lib. de lapsis, hæc esse ait  
 „poenitentium exercitia, impensis orare, diem  
 „luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctem du-  
 „cere, stratos solo cineri adherere, in cilicio &  
 „sordibus volitari. Sic Pacianus *Parænesi de*  
*poenit.* Desicere mœroribus animum, sacco cor-  
 „pus involvere, cinere perfundere, macerare je-  
 „junio, mœrore conficere, multorum precibus  
 „adjuvari.

III. Observant Eruditi, in scriptis Tertullia-  
 ni, Cypriani, & aliorum Patrum, qui ducentis  
 & quinquaginta annis post Christum floruerunt,  
 nullam reperiri poenitentium in varias classes di-  
 stinctionem, sive Episcoporum prudentiæ com-  
 missa tunc fuerit, sive reverâ post Novati hære-  
 sim inceperit, quod probabilis existimo. Cum enim  
 Novatiani perperam assererent, non esse in Ec-  
 clesia potestatem peccata post baptis-  
 mum dimittendi, in quo, teste Paciano, eor-  
 um hæresis sita erat, non quod simpliciter nega-  
 rent lapsi poenitentiam: visum est Patribus,  
 modum & ordinem poenitendi certis legibus sta-  
 bilire; atque idem quatuor poenitentium gradus  
 sive stationes constituerunt, quarum prima dice-  
 batur *Fletus*, secunda *Auditio*, tertia *Substratio*,  
 quarta *Consistentia*. Has Græci proprio idioma-  
 te vocant *Proclausin*, *Acroasin*, *Hypoprosin*, &  
*Systrasin*.

IV. Primus itaque gradus, seu prima statio  
 silentium erat, qui admissi ad poenitentiam in  
 porticu extra Ecclesiam commorabantur pecca-  
 ta sua publice confitentes & deplorantes, cilicio  
 & cinere sordidati, & ad misericordiam excitan-  
 dam omni ex parte compositi. Nihil ad istos per-  
 tinebat Missæ Catechumenorum, nullæ super  
 eos manuum impositiones erant, nullæ orationes  
 recitabantur; sed Fideles privatim Deum ora-  
 bant, ut veram illis poenitentiam largiretur. Hæc  
 veluti fibula, ut Pacianus *in parænesi* ait, cum  
 Ecclesia necabantur: à templi enim vestibulo  
 exclusi ne prædicationem quidem audire pote-  
 rant, pietatem dumtaxat ingredientium implora-  
 bant, ut pro ipsis apud Episcopum & Clerum in-  
 tercederent. In hac statione manebat quidam per  
 annum, alii per biennium, alii etiam per plures  
 annos pro criminum varietate, & fervore poeni-  
 tentiæ.

Secundus gradus Auditio est. Stabant Au-  
 dientes intra fores Ecclesiæ in propylæo, sive  
 intra portam in Nartheco, ubi lectionem Scri-  
 pturarum, earumque interpretationem & sermo-  
 nem audiebant, ab illa lugubri & humili depre-  
 catione absolvi: sed nullæ erant super eos ma-  
 nuum impositiones, nullæ orationes, eo quod  
 istarum expiationum nondum capaces aestima-  
 rentur. Statio autem, seu locus auditiois, præ-  
 ter hos poenitentes, quinque hominum genera  
 complectebatur, Ethnicos, Judæos, Hæreticos,  
 Schismaticos, & primi generis Catechumenos.  
 Pro ratione autem contritionis & humiliationis  
 citius vel tardius transitus ab hac classe ad tertiam  
 concedebatur.

In tertio gradu erant Substrati manentes intra  
 ambitum Ecclesiæ usque ad Ambonem, ultra  
 quem progredi nefas illis erat. Hi jejuniis, preci-  
 bus, hamicubationibus, aliisque operibus la-  
 boriosis assiduebantur, atque in singulis Synaxi-  
 bus preces super illos in genua procumbentes  
 cum manuum impositione fundebantur; idque  
 per longum tempus, & interdum per plures an-  
 nos: atque interim in eorum mores diligens in-  
 quisitio fiebat, an verè contriti essent, an sincera  
 eorum conversio. Stabant etiam in hac statione  
 Catechumeni secundi & tertii generis, & ener-  
 gumeni. Hi postremi licet distincti essent à Poe-  
 nitentibus, impuri tamen aestimabantur, nec po-  
 terant cum Fidelibus permisceri, eo quod essent  
 demonis habitaculum. Curabantur autem extrâ  
 Missarum solemniam ab exorcistis per Exorcismos,  
 intra Missam ab Episcopo sive Presbytero per  
 manuum



manuum impositionem, cui semper oratio ad-  
jungebatur.

Quartus gradus dicitur Consistentia, in quo  
confituti poenitentes Fidelium precibus & sacri-  
ficio usque ad finem assistebant, offerre tamen  
munera ad altare, consequenter communicare  
non poterant, quia jus offerendi juri communi-  
candi annexum erat, atque his potissimum Fide-  
les ab aliis discernebantur. Sedes consistentium  
erat ab Ambone versus Sanctuarium, sive per-  
mixti fuerint cum fidelibus, sive ab illis separa-  
ti, quæ res obscura est; fuisse tamen se junctos  
probabili conjectura ex hoc deduco, quia alio-  
quin potuissent cancellis appropinquare, quod  
illicitum erat non offerentibus & exclusis à com-  
munionem. In hac quoque statione illi sæpius col-  
locabantur, qui ob aliquam leviolem culpam  
communione aliquando privabantur, nullâ præter  
hanc poenâ multati. Ita Concilium Illiberita-  
num c. 21. „Si quis in civitate positus tres Do-  
„minicas Ecclesiam non accesserit, pauco tem-  
„pore abstineat, ut correptus esse videatur. Et  
„cap. 50. Si quis Clericus, sive Fidelis cum Ju-  
„dæis cibum sumpsit, placuit eum à commu-  
„nionem abstinere. Sunt & alii ejusdem Concilii  
canones huc referendi, ex quibus constat sic ab-  
stentos solâ communione privatos in reliquis fi-  
delium commercio non caruisse. Quidam addunt  
quintum gradum perfectionis, & malè: quia  
perfectio non gradus, sed finis erat & fructus poe-  
nitentiæ, cum ea plenè perfundi, & à peccatis  
absoluti id quod perfectum est, corpus scilicet &  
sanguinem Jesu Christi percipiebant.

V. Mulieribus nunquam publica poenitentia,  
saltem primis Ecclesiæ sæculis imponi solebat;  
sed privatim flebant, jejunabant, & alia poeni-  
tentiæ opera exercebant. Id postea permissum  
viduis, quia cessabat metus, ne à viris vexaren-  
tur. Exemplum habemus nobilissimæ matronæ  
Fabiolæ, quæ repudiato viro ob adulterium, al-  
teri incauta nupsit, in se autem reversa post obi-  
tum secundi, errorem publicè confessâ est. Et  
tota Urbe Romana spectante, ut in ejus Epitaphio  
epist. 30. Hieronymus scribit, ante diem Paschæ  
in Basilica Laterani stetit in ordine Poenitentium,  
Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacryman-  
te, sparsum crinem, ora livida, squalidas manus,  
sordida colla submittebat. Erant & aliqui Poeniten-  
tes, qui Hyemantes dicti sunt. Nam Synodus An-  
cyrana cap. 17. leprosos, & eos qui cum brutis  
rem habuerunt, inter Hyemantes orare præce-  
pit. At qui fuerint isti, dubiæ quæstionis est.

Quidam putant fuisse *Arreptitios*, quos S. Ma-  
ximus in *Scholiis ad cap. 6. Eccles. Hier.* ita vocari  
arbitratur, quod veluti tempestatibus agitati  
in continua quasi hyeme versarentur. Horum  
verò sententiam reprobant Zonaras in notis ad ci-  
tatum canonem Ancyranum: *Sed qui sint, in-  
quit, haud facile dixerim.* Alii collocant eos in  
primo ordine poenitentium, nullumque agno-  
scunt discrimen inter hyemantes & lugentes.  
Quibusdam magis placet hyemantium nomine  
illos intelligi, qui sub dio extrâ omne Ecclesiæ  
tectum manebant, cujusmodi erant majori ex-  
communicatione percussi, ab Ecclesia prorsus  
præcisi: quo etiam in loco, procul scilicet à por-  
tici, jussi sunt stare leprosi, ne cæteros infice-  
rent; & qui cum brutis atque contra naturam lu-  
xuriabantur, quos monstra, portenta, & furias  
nuncupabant. Horum autem conjecturam ideo  
censo probabilior, quod illi favere videatur  
Tertullianus *lib. de Pudicitia*, apud quem aliud  
est limine Ecclesiæ, aliud toto tecto submoveri.  
Fornicatores enim & adulteros ad limen seu for-  
es Ecclesiæ inter Poenitentes admissos ait *cap. 3.*  
quamvis frustra, ut benè notat Pamelius *num. 30.*  
si Ecclesia eis veniam dare non poterat, ut ipse  
perperam asseruit: *Reliquas autem*, inquit *cap. 4.*  
*libidinum furias impias & in corpora & in sexus ul-  
tra jura nature, non modò limine, verum omni  
Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed  
monstra.* Hi ergo qui in aëa, & flentes qui in  
portici morabantur, divini sacrificii nullo modo  
confortes erant: cæteri omnes qui Ecclesiam in-  
grediebantur, sed Missæ fidelium interesse non  
poterant, hoc ordine, præviâ Ministrum jussione è  
templo excedebant.

VI. Primi omnium voce Diaconi post Evan-  
gelium & sermonem admoniti exhibant Infideles,  
& post illos Catechumeni primi generis, & Poeni-  
tentes secundi. His egressis monebat Diaconus  
populum, quid peteret à Deo pro Catechume-  
nis secundæ classis, qui Substrati dicebantur,  
quibus etiam indicebat ut capita inclinarent ora-  
tionibus Sacerdotum, quibus super illos recita-  
tis & ipsi exhibant. Idem ritus his egressis erga  
Energumenos servabatur: & his post preces  
dimissis, vocati aderant Competentes & Ele-  
cti, & postquam isti orationem item super eos per-  
acta recesserant, idem Diaconus Poenitentes ter-  
tiæ classis ad orationem advocabat, jisque pro-  
cumbentibus manus imponebantur ab Episcopo  
& Presbyteris, recitatis orationibus, quarum  
formulæ proluxæ & distinctæ super omnes ab  
Ec.



Ecclesia emittendos legi possunt lib. 8. Apostolicarum Constitutionum; ac demum his dimissis fores Ecclesiae claudebantur, quas Ministri custodiebant, ne quis à sacris exclusus denuò ingrederetur aut aliquis Fidelium abscederet, statimque Missa fidelium, quam Ivo Carnorensis epist. 219. Missam Sacramentorum vocat, inchoabatur. Sancitus est hic ordo expulsionis, can. 19. Concilii Laodiceni, deque eo agit Theodorus Antiochenus ad can. 5. Concilii Neocaesariensis. Pœnitentes verò quartæ classis usque ad finem Missæ, ut supra diximus, cum fidelibus morabantur communionis expertes. Quod autem spectat ad Sacramentalem absolutionem, an eam Episcopi seu Sacerdotes sub finem consistentiæ, an in fine substrationis imperirentur, cum ab ea ad consistentiam transibant, diversæ sunt Eruditorum sententiæ, quas non est hujus loci examinare. Quod si specialiter sermo sit de consuetudine Romanæ Ecclesiae, ex Sozomeno lib. 7. cap. 16. & ex Nicephoro lib. 12. cap. 28. manifestè colligitur dilatatam Romæ absolutionem usque ad finem quarti gradus. De hac enim Ecclesia tractantes, pœnitentes commemorant qui Missæ intererant, nec tamen Euchariæ participes erant: & eos ajunt peractâ Missâ in terram cum fletu corruisse, quibus occurrens Pontifex similiter cum lachrymis collabebatur, & eos erigens pro illis orabat, ac deinde dimittebat. Illi verò privatim jejuniis & aliis pœnis se affligebant, ac postea elapso tempore ab Episcopo constituto à peccatis absoluebantur. Non ergo Substratis, qui cum Catechumenis exhibent, sed Consistentibus, qui usque ad finem Missæ manebant in Ecclesia, absolutio dari solebat. Eundem morem servatum in Africa, ut intra Missarum solemniam absolventur pœnitentes proximè ante orationem Dominicam, non obscure docet Optatus Milevitanus lib. 2. *Etenim inter vicina momenta dum manus imponitur & delicta donantur, mox ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non possunt.* Manuum autem impositio super Substratos, quædam tantùm oratio & benedictio erat, quam in terram procumbentes à Sacerdotibus accipiebant. A qua prostratione probabile est ortam adversus Christianos Paganorum calumniam, asserentium apud Minutium Felicem: *Eos Antistitum ac Sacerdotum colere genitalia, & quasi parentis sui adorare naturam,* eò quod Pœnitentes Presbyteris advolvi solerent, & charis Dei adgeniculari, ut loquitur Tertullianus.

## CAPUT XVIII.

*Veteris Ecclesie mores ex presentibus estimandos non esse. Cur interdum mutati ritus. De diebus Aliturgicis. Feria Quinta quare olim Missa caruerit. An quotidie veteres Monachi celebrarint. De diebus Liturgicis, & de quotidiana oblatione. Qui fuerint dies Polyiturgici. Ab uno Sacerdote plures quandoque Missas una die actas, & unam a pluribus.*

I. **D**E sacris Ecclesie ritibus, eorumque veneranda antiquitate illi proculdubio mèmerentur, qui priscos mores præsentis temporis consuetudine merentes, omnem veterem disciplinam ad hujus ævi praxim expendant, ea persuasione decepti, quod nihil unquam ab iis usibus diversum fuerit, quos à parentibus & præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia assueverunt. Quod si aliquando priscorum Patrum monumenta evolvunt, quæ in illis obscura sunt obscuriora reddunt, veterem Ecclesiam cum præsentis comparantes: & si fortè in aliquid incidunt, quod ab hodiernis ritibus discrepet, subsistunt & nutant, vel inconsultò respicientes, vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes quicquid à suis præjudicatis opinionibus abhorret. Ex quo fit, ut in maximos errores, inque rituum Ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur, quia nimirum illorum causas, & fundamenta, ac ipsarum definitiones ignorant, quas bene percipere nemo potest, nisi ideam & imaginem antiquæ disciplinæ in mente habeat. Multa quidem vocabula nobis & priscis Patribus communia retinemus, sed sensu ab eo quem tunc habebant non minus alieno, quàm nostra tempora à primis post Christum sæculis remota sunt, ut palam fiet cum de oblatione, de communionem, deque aliis partibus divini Sacrificii Libro secundo differemus. Possem multa proferre Ecclesiasticæ disciplinæ detrimenta, quæ mater errorum ignorantia peperit, sed alienum hoc est à meo instituto, & quicquid in hoc genere peccatum est, naturæ lapsæ corruptioni semper in peiora ruentis malum adscribi, quàm illorum negligentie, qui succrescentibus malis non obstitisse vel fomenta præbuisse censentur. Vetus mortalium querimonia est,

Ecc

est,



est, à majorum pietate, fervore, & zelo nos recessisse, Christianæ probitatis vix remansisse vestigia: & quamvis fides una, perpetua & invariabilis est, verè tamen credentium numerus aded indices decrevit, ut Christus Salvator noster prænuuntiarit, vix se fidem in hominibus inventurum, cum terrarum orbem judicaturus adveniet: *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* Moribus autem immutatis, sacros quoque ritus variari consequens fuit. Et multa quidem sapientissimè ab Oecumenicis Conciliis & à summis Pontificibus, quorum est in populum Christianum summa potestas, & irrefragabilis atque infallibilis auctoritas, innovata fuerunt, id exigente temporum conditione, quæ pristinæ consuetudinis distractionem semper in eodem statu manere non patitur: sed & fatendum nihilominus est, non paucos abusos sensim irrepressisse hominum vicio vel imperitiâ, quibus nunc adversum ire & remedium afferre difficillimum est, cum in mores transferint quæ vitia fuerunt. Distinguendæ igitur ætates, disquirenda mutationis ratio, & omnia ad sua principia revocanda sunt, ut certa rerum notitia habeatur. Tum illud solerter cavendum est, ne ea, quæ justè & prudenter statuta sunt, cum abusibus & corruptelis absque legitima auctoritate introductis temerè confundantur. Optimè de hac re Hugo à S. Victore lib. 2. de sacram. Fidei par. 11. in fine cap. 12. „Etiam si aliis temporibus aliquando non ita fuisse, & nunc aliter esse quàm fuit, demonstraret: non tamen cogitare debemus, quasi levitate aliqua factum sit, ut nunc aliter teneatur & aliter institutum sit, quam fuit. Sed quod tunc oportebat & ita salubre fuit, ut sic teneretur, & sic juberetur: nunc autem alia esse tempora, & aliud esse congruum, sive necessarium saluti humanæ. Hac monitione necesse fuit lectorem initio hujus Capituli præmunire, in eo siquidem & deinceps quædam tractanda sunt ab usu hodierno longè diversa, quæ præcipiti sententiâ damnare quidam scriptores ausi sunt, vel pervacaciter ea olim facta negantes, quæ hodie non fiunt, vel fusque deque omnia vertentes, ut eadem ad hodiernas consuetudines accommodent. Sed jam tempus est, ut de diebus Aliturgicis, Liturgicis, & Polylyturgicis, quorum occasione hæc præmissa sunt, tractationem aggrediamur.

II. Apud Græcos dies *Aliturgici* erant & hodie item sunt omnes dies *Quadragesimæ*, quibus *Missâ Præsanctificatorum* utuntur, exceptis Sab-

bato, *Dominica*, & die *Annunciationis*. Diem *Sabbati* *Alexandriæ* & *Romæ* liturgiâ olim caruisse testatur *Socrates* lib. 5. hist. Eccl. cap. 21 „De *Synaxi*, inquit, variæ consuetudines sunt: „nam quamquam omnes ubique in orbe terrarum *Ecclesiæ* singulis septimanis vertentibus die *Sabbati* mysteria celebrant, *Alexandrini* tamen & *Romani* ex antiqua traditione istud facere renuunt. Addebant *Sabbato* *Alexandrini* feriam quartam & sextam, ut idem asserit eodem loco. „Rursus, ait, *Alexandriæ* quartâ feriâ & eâ quæ dicitur *Parasceve*, & leguntur *Scripturæ*, & *Doctores* eas interpretantur, omniaque quæ ad *synaxim* pertinent administrantur, præter mysteriorum celebrationem. *Socrati* adstipulatur eisdem ferè verbis *Nicephorus Callistus* lib. 12. cap. 43. *Ecclesia* *Mediolanensis* sextas quasque ferias *Quadragesimæ* sine sacrificio transigit, ut supra dictum est Cap. X. In eadem *Quadragesima* officio *Missæ* caruit feria quinta, usque ad *Gregorium II.* cujus vitam scribens *Anastasius* ait: *Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit.* Notat verò *Durandus* lib. 6. *Rationalis* cap. 36. & 43. hinc ortam esse varietatem *Epistolarum* & *Evangeliorum*, quæ huic feriæ assignantur. Cum enim ejus officium à *Gregorio*. *Magno* institutum non fuerit, diversæ *Epistolæ* & diversa *Evangelia* à diversis *Ecclesiis* pro eo ordinata sunt, vel quia ferius ad eas pervenit *Gregorii II.* decretum, vel quia ejusdem officium à quorundam *Ecclesiarum* *Episcopis* pridem fuerat institutum. De hac feria *Walfridus Strabo* cap. 20. hæc scribit. „*Melchides* *Romæ* præsulatum agens statuit, ut nulla ratione *Dominicâ* aut quinta feriâ jejunium quis fidelium ageret. *Paganus* enim his diebus quasi jejunia frequentabant. Ideò *B. Gregorius* in dispositione officiorum anni infra *Quadragesimam* quintam feriam vacantem dimisit, ut quia festiva erat veluti *Dominica*, etiam officio diei *Dominicæ* celebris haberetur. Quæ quinta feria, quoniam postmodum cœpit ut cætera jejunia applicari, *Gregorius junior* statuit eam *Missis* & orationibus esse solemnem, & undecumque colligens ejusdem diei augmentavit officia. At hæc *Anastasio* adversari videntur: ille enim ait *Gregorium* constituisse, ut jejunium & *Missarum* celebritas hac die fieret, quod prius non agebatur: *Strabo* verò *Missam* propriam ab illo institutam asserit, cum prius *Missâ* diei *Dominicæ* ipsâ



ipsa feriâ quintâ repeteretur. Melchias statutum à Strabone citatum refert Gratianus *de consecr. dist. 3. cap. Jejunium*, ex epistola ejus suppositicia ad Episcopos Hispaniarum. Habetur quoque in libro de Romanis Pontificibus Damaso Papæ perperam tributo his verbis. „ Hic „ constituit, ne ulla ratione die Dominica, aut „ quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia „ eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebra- „ bant. Quicquid autem sit de hoc Melchias Decreto, certum est, in Lectionariis & Calendariis nullam inveniri Missam vel Evangelium tam in Quadragesima, quam extra ipsam per totum annum, feriæ quintæ assignatum, nisi post Gregorium II. in Quadragesima tantum, & in octavis Paschæ. Cujus Ecclesiastici ritus ex Concilio Narbonensi anno 589. celebrato rationem petendam putat Joannes Fronto in Prænotatis ad suum Calendarium §. 6. in quo statutum est, ne ullo religioso cultu hæc dies transigeretur. „ Ad „ nos pervenit, *ajunt Patres illius Concilii*, quosdam de populis Catholicæ fidei execrabili ritu „ quintam feriam, quæ & dicitur dies Jovis, „ multos excolere & operationem non facere. „ Quam rem pro Dei timore execrantes & blasphemantes, quicumque ab hac die præter festivitates in eo die venientes, ausus vel ausa fuerit „ vacare & operam non facere, si ingenuus est „ aut ingenua, de Ecclesia repellendus, & sub „ pœnitentia mittendus anno uno, & eleemosyna & metu satisfaciatur, ut eis Dominus ignoscatur: si servus aut ancilla fuerit, contenta flagella correcti Domino consignantur, & ultra talia eos observare non permittant. Declamat quoque adversus eos, qui feriam quintam colebant, Augustinus in fine sermonis 215. de tempore, ubi inter cætera hæc habet. „ Quia audimus, quod aliquos viros vel mulieres ita diabolus circumveniat, ut quinta feria nec viri „ opera faciant, nec mulieres lanificium, coram „ Deo & sanctis Angelis ejus contestamur, quia „ quicumque hoc observare voluerint, nisi per „ prolixam & duram pœnitentiam tale sacrilegium emendaverint, ubi arsurus est diabolus, „ ibi & ipsi damnandi sunt. Isti enim infelices & „ miseri, qui in honore Jovis in quinta feria opera non faciunt, non dubito quod ipsa opera die „ Dominico facere nec erubescunt nec metuunt. Nullo igitur honore feria quinta colebatur, nec ullus in eâ cogebatur Fidelium conventus, donec Gregorius II. statuit, ut in Quadragesima jeju-

nio & Missâ, sicut & aliæ legitimæ feriæ, colebatur. Extra Quadragesimam verò diu mansit sine proprio & solemnî Sacrificio, & si quis privatum sacrificare voluisset, præcedentis Dominicæ Missâ utebatur. Sic Anastasi & Strabonis sententiæ conciliari commodè possunt, neque enim puto, uni potius quam alteri credendum, cum ambo eodem tempore vixerint. Præcitata Strabonis verba Micrologus transcripsit c. 50. hæc de suo adjungens: *In hebdomada quoque Pentecostes quinta feria officio Dominicæ inofficiatur. Sabbata etiam ante Quadragesimam & ante Palmas Dominicarum suarum officia recipiunt, nec immeritò, cum quilibet dies privati de suis Dominicis soleant inofficiari.* Cur autem hæc Sabbata careant officio, ratio assignari potest ex libro Sacramentorum S. Gregorii apud Pamelium, quia D. Papa dabat eleemosynam, cujus ritus mentionem faciunt Amalarius *lib. 1. cap. 9.* & alii officiorum expositores, nihil tamen quod ad historiam pertineat, afferentes. *Sabbatum ante Palmas*, inquit Amalarius, *prætitulatur in Sacramentario nostro, & in Antiphonario, Sabbato vocat, Dominus Papa eleemosynam dat.* Deinde pius hujus rei expositiones comminiscitur. Clarius de hac re disserit Grimoldus Abbas in Præfatione libri Sacramentorum editi à Pamelio tomo 2. Liturgic. pag. 388. Agens enim de diebus, qui in Sacrament. Gregorii Magni carent officio, ait: *Sicut quorundam relatu didicimus, Dominus Apostolicus in eisdem diebus à Stationibus penitus vacat, eo quod cæteris septimanae feriis stationibus vacando fatigatus, eisdem requiescat diebus, ob id scilicet ut tumultuatione populari carens & eleemosynas pauperibus distribuere & negotia exteriora liberius valeat disponere.* Erant igitur Romæ Aliturgici illi dies in quibus Pontifex, qui semper solebat Missarum solemnibus assistere, quiescebat; quem ritum servabant etiam omnes Ecclesiæ Romanis usibus adhærentes.

III. Dies item Aliturgici olim erant feria sextâ majoris hebdomadæ, quæ sola hodie in Ecclesia Latina sacrificio caret, & Sabbatum sanctum, qua die licet Missâ nunc celebretur, ea tamen agi solebat in nocte Resurrectionis, ad quam spectat. Et hoc quidem Sabbatum omni officio vacabat, feria autem sexta habet Missam Præsanctificatorum, qua Græci semper in Quadragesima utuntur modo supra explicato. Extat de hoc biduo testimonium S. Innocentii Papæ epist. ad Decentium, in qua docens oportere Sabbato jejunare, hanc rationem affert, quia si sextâ



„feriâ propter Passionem Domini jejunamus,  
 „Sabbatum prætermittere non debemus, quod  
 „inter tristitiam atque lætitiâ temporis illius  
 „videtur inclusum. Nam utique constat Apo-  
 „stolos biduo isto & in meo ore fuisse, & prop-  
 „ter metum Judæorum se occulisse. Quod uti-  
 „que non dubium est in tantum eos jejunasse bi-  
 „duo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat isto  
 „biduo sacramenta penitus non celebrari. Ait  
 „deinde hanc formam singulis hebdomadis esse  
 „tenendam, quod procul dubio de solo jejunio ex-  
 „poni debet, de quo præcipue loquitur, non autem  
 „de omissione Missæ, quam obiter assumit ad je-  
 „junii convenientiam asstruendam. Possent quoque  
 „inter Aliturgicas computari feria secunda & ter-  
 „tia, quibus extra Quadragesimam nulla in anti-  
 „quis Codicibus Missa annotatur. Epiphanius in  
 „expositione fidei num. 22. sacros conventus & syn-  
 „axes quartâ, sextâque feria, & Dominica ab Ap-  
 „postolis institutas ait. An verò hæc institutio de  
 „Liturgia intelligenda sit, incertum est: nam cum  
 „varii Ecclesiarum mores essent, si Liturgiam il-  
 „lis tantum diebus agi Apostoli præcepissent, om-  
 „nes eam legem observassent. Crediderim Epi-  
 „phanium de consuetudine Alexandrinæ Ecclesiæ  
 „loquutum, quam Cypria sequebatur. His diebus  
 „Basiliius Magnus Ep. 289. ad Cæsariam Patri-  
 „am addidit Sabbatum. *Singulis certe diebus*, in-  
 „quit, „communicare & participare sancti cor-  
 „poris & sanguinis Christi bonum & fructuosum  
 „est, cum dixerit ipse perspicuis verbis, Qui  
 „comederit carnem meam & biberit sanguinem  
 „meum vitam habet æternam. Jam verò quis  
 „dubitat, quin vitæ frequentius participare, non  
 „sit aliud omnino quam frequenter vivere?  
 „Quæter igitur nos singulis septimanis commu-  
 „nicamus, Dominico die, feria quarta in Pa-  
 „rasceve, & Sabbato: Sed & per dies etiam alios,  
 „si Martyris alicujus memoria celebretur. Addi-  
 „tum quoque est Sabbatum ab Occidentalibus,  
 „qui quartâ & sextâ feriâ, ac Sabbato jejunabant,  
 „Et celebrato sacrificio jejunium solvebant. Ter-  
 „tullianus de jejunii cap. 14. *Stationibus quartam  
 „et sextam feriam dicamus, et jejunii Parasceven,*  
 „id est Sabbatum; utpote quod sit Parasceve  
 „Dominicæ, ut notat Pamelius. Olim etiam  
 „ad diem Sabbati remitti solebant Sanctorum fe-  
 „stivitates in diebus Quadragesimæ occurrentes  
 „ex statuto Synodi Laodicensis cap. 51. *Quod  
 „non oporteat in Quadragesima Martyrum natales  
 „peragere, sed eorum in Sabbato et Dominica  
 „sanctam memoriam fieri.* Idem clarius exprimitur

in Capitulis Martini Bracarenfis cap. 48. „Nota  
 „liceat in Quadragesima natales Martyrum ce-  
 „lebrare, sed tantum Sabbato & Dominico  
 „die pro commemoratione eorum oblationes  
 „offerri. In secundo Concilio Matisconen. cap.  
 „6. decernitur, ut reliquæ sacrificiorum feriâ  
 „quarta vel sexta dentur infantibus vino permix-  
 „tæ, quia nimirum hæ feriæ præ cæteris celebres  
 „erant. Nusquam tamen reperio, quod secunda,  
 „& tertia omni prorsus sacrificio carerent, unde  
 „non credo Aliturgicis accensendas esse. Restat  
 „Dominica post sabbatum quatuor Temporibus,  
 „quæ propriâ Missâ caret, & vacare dicitur in  
 „prisicis sacramentorum libris. Nam cum Sabba-  
 „ti hujus Missâ & ei annexa Sacrorum Ordinum  
 „collatio Vespere celebraretur, sæpe continge-  
 „bat, ut jejunio usque ad lucem producto Missâ  
 „die sabbati inchoata sequenti Dominicâ perfice-  
 „retur, ipsaque Dominica proprio officio care-  
 „ret, nisi propriam haberet celebritatem, sicut  
 „Dominica Resurrectionis. Tempore S. Au-  
 „gustini diversæ erant diversarum Ecclesiarum  
 „hæc de re consuetudines; sicut ipse testatur tract.  
 „26. in Joannem: „Sacramentum corporis, &  
 „sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis  
 „intervallis dierum in Dominicâ mensa præpa-  
 „ratur, & de mensa Dominica sumitur. Et ep.  
 „118. ait, Alibi nullus dies intermititur, quo non  
 „offeratur: alibi Sabbato tantum & Dominico,  
 „alibi tantum Dominico. In Monasteriis anti-  
 „quo ritu omnes dies Liturgiâ carebant excepta  
 „Dominica & solemnitatibus; idque ex regulis &  
 „historiis veterum Monachorum perspicuum est.  
 „S. Benedictus Missæ mentionem bis facit in regu-  
 „la sua; cap. 35. & 38. ex utroque autem loco col-  
 „ligitur Dominicis tantum & festivis diebus ad  
 „Missæ sacrificium Monachos convenisse. Æ-  
 „gyptos Monachos sabbato dumtaxat & die Do-  
 „minica ad divina mysteria celebranda & perci-  
 „pienda in unum congregari consuevisse narrat  
 „Cassianus l. 3. *Instit. cap. 2.* Carthusianos olim  
 „diebus tantum Dominicis & festis Missis cele-  
 „brasse, referunt Petrus Cluniacensis lib. 2. *Mirac.*  
 „cap. 28. Guibertus Abbas lib. 1. *de vita sua c. 11.*  
 „& Petrus Blesensis Ep. 86. quæ legenda cum no-  
 „tis viri eruditissimi Petri de Guffanvilla. S. Fru-  
 „ctuosus Bracarenfis Episcopus in regula secunda  
 „Monachorum cap. 13. omni die Dominico con-  
 „gregari Monachos ad Collectam præcipit, &  
 „non plusquam septem dies interponere. Regula  
 „Magistri cap. 45. Missam agi mandat diebus Do-  
 „minicis & in Natalitiis Sanctorum. Eiusdem



ritus occurrunt passim exempla in vitis Patrum Orientalium, quæ hic referre ut nimis longum, ita & superfluum foret: nusquam enim solemnis conventus ibidem mentio fit, nisi festis diebus, qui soli publica Sacri oblatione colebantur.

IV. Venio nunc ad dies Liturgicos, quo nomine si privatam & quotidianam celebrationem complectimur, extra controversiam est semper licuisse quacumque die Sacrificium offerre, paucis dumtaxat exceptis quibus id nominatim vetitum fuit, quales sunt in Ecclesia Orientali dies Quadragesimæ, quibus Præsanctificatis utuntur, & in Ecclesia Romana feria sexta & sabbatum majoris hebdomadæ, in Ecclesia autem Mediolanensi omnes ferias sextæ Quadragesimæ. Testimonia veterum Patrum de usu quotidiani Sacrificii quædam attuli supra Capite XIV. cum de Missis privatis agerem, quibus alia hic superaddam, ut privatæ oblationis laudabilis consuetudo firmius stabiliatur. Tertullianus de jejun. cap. 14. *Nobis certè omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur.* Andreas Apostolus se quotidie hostiam incrementam immolasse testatus est, ut Acta ejus referunt à Presbyteris Achaïæ conscripta. Cyprianus epist. 54. ad Cornelium, „Episcopatus nostri honor grandis & gloria est pacem deesse Martyribus, ut Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus. Basilium Magnum quotidie sacris operatum scribit Amphilochius in ejus vita: idemque Batonius de S. Ambrosio asseverat. Chrysostomus hom. 60. ad Pop. Antioch. Deum ait nobis sua beneficia per singulos dies quodammodo per hæc mysteria alligare, non annuatim sicut olim Hebræis. Et hom. sequenti Dominum per singulos dies venire inquit, ut videat in sacra mensa discumbentes. Innocentius I. epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, ideo à Sacerdotibus servandam pudicitiam docet, quia non præterit dies, qua à sacrificiis divinis vacent. Petrus Chrysologus serm. 5. loquens de Christo, *Hic est vitulus, ait, qui in epulum nostrum quotidie ac jugiter immolatur.* S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum quotidie Missam celebrasse refert Serarius lib. 3. rerum Mogunt. notat. 12. in ejus vitam ex quodam fragmento S. Ludgeri. Gregorius Turonen. lib. 1. de gl. confess. cap. 22. calicem & patenam vocat ministerium quotidianum. In veteri Missa edita ab Illyrico, Sacerdos post communionem Deum orat, ne ad damnationem sibi proveniat, quod corpus & sanguinem Christi quotidie audet accipere. Ne vero

deessent singulis propriæ Missæ, Alcuinus Caroli Magni Magister rogatu S. Bonifacii Archiepiscopi Missam composuit de Trinitate pro die Dominica, pro feria II. de Sapientia, pro feria III. de Spiritu Sancto, pro feria IV. de Charitate, pro feria V. de Angelis, pro feria VI. de Cruce, pro Sabbato de S. Maria. *Et hoc ideo*, teste Micrologo cap. 60. „ut Presbyteri illius temporis nuper ad fidem conversi, nondum Ecclesiasticis officiis instructi, nondum etiam librum copia præditi vel aliquid haberent cum quo officium suum qualibet die possent explere. Unde & adhuc quidam eadem orationes quotidie, etiam cum proprio abundent officio, nolunt prætermittere. In singulis quoque hebdomadibus sexta feria de Cruce, sabbato de S. Maria penè usquequaque servatur, non tam ex auctoritate, quam ex devotione. In antiquis Usibus Monachorum feria II. notatur Missa pro Defunctis, feria III. de S. Benedicto, sive de Sancto cujusque congregationis institutore, feria IV. pro familiaribus, feria V. de Spiritu Sancto, feria VI. de cruce vel de passione Domini, sabbato de S. Maria. Missam de Trinitate olim Cistercienses singulis diebus Dominicis cantabant post Primam. Nunc autem quæ Missæ singulis feriis proprio officio carentibus assignatæ sint, ex Rubricis Missalis Romani constat, & ex praxi communiter recepta. Sunt & Missæ votivæ nulli diei additæ, quæ quoties occasio fert ad arbitrium Sacerdotis celebrantur. Extat de Missis quotidianis Concilii primi Toletani sub Anastasio Papa hoc decretum c. 5. „Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem, vel in loco in quo ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur. At hic canon ad Missam solemnem pertinet, quandoquidem jubet omnes Ecclesiasticos ordines ad eam convenire. Ex hoc autem inferitur, eam quotidie in Ecclesia Toletana initio quinti sæculi actam fuisse, quod teste Augustino supra citato alicubi ipso vivente servabatur. Cæterum de Missa solemni singulis diebus cantanda varias olim fuisse diversarum Ecclesiarum consuetudines superiori paragrapho demonstratum est, recensitis diebus qui apud Antiquos Aliturgici erant. Quo verò tempore Sacrum quotidianum atque solemne ubique cœperit frequentari, non liquet: ex antiquis autem Sacramentorum libris, & ex Ritualibus Monachorum manifestum est, octavo sæculo hunc ritum



tum in omni ferè regione receptum, ut non solum diebus Dominicis, & festivis, ac in diebus Stationum, sive in pervigilio majorum festivitatum solemnissimè celebraretur, sicut Apostolica traditio, primique & secundi sæculi usus ferebat; sed singulis etiam diebus, sola feria VI. ante Pascha excepta: qui mos hodie in omnibus ecclesiis collegiatis & conventualibus exactissimè observatur.

V. Erant & alii dies in veteri Ecclesia, quos Polylyurgicos vocare libet, in quibus ab uno Sacerdote plures Missæ dicebantur, sicut hodie fit in die Dominicæ Nativitatis. Quamvis enim Leo Magnus *Epist. ad Dioscorum Alexandrinum* eadem die iterari Missam prohibeat, nisi ob angustiam Ecclesiæ omnis populus interesse non possit: hoc tamen decretum vel ita intelligendum est, ut id passim non liceat, & quodcumque Sacerdoti libuerit: sed certis tantum diebus & ex aliqua causa: vel non usu, aut contraria sanctione à summis Pontificibus abrogatum fuit. Leonem III. septem quandoque, imò & novem Missas celebrasse ex Walfrido Strabone cap. 21. refert Baronius tom. 9. an. 816. Notabilia sunt Strabonis verba, & ideo non omittenda. „Diversitas „quædam inter Sacerdotes oboriri solet, quia „est talis, qui semel tantum in die Missam cele- „brare velit, nimirum credentes idem mysterium „passionis Christi cunctarum necessitatum esse „generale subsidium. Alius verò bis, ter, vel „quoties libet, eadem mysteria in die iterare con- „gruum putat, credentes tantò amplius Deum „ad misericordiam flecti, quanto crebrius passio „Christi commemoratur. Et fortasse consuetu- „dinem suam inde confirmandam existimant, „quia Romanorum usus habet duas vel tres in- „terdum unius solemnitatis facere Missas, ut in „Nativitate Domini Salvatoris & aliquorum „festis Sanctorum. Et reverà non esse absurdum „crediderim, si, dum plures in una die faciendæ „sunt Missæ, unus Sacerdos duas vel tres ne- „cessitate vel voluntate persuadente celebret po- „tius, quàm quasdam dimittat. Ad hoc accedit, „quod totius usus Ecclesiæ habet sæpius Missas „agere pro vivis, pro defunctis, pro eleemosy- „nis, & aliis diversis causis, quod etiam officia „his attributa testantur. In diebus itaque publi- „câ celebritate conspicuis aut illæ diversarum „rerum necessitates sunt intermittendæ, aut „concurrentibus sibi met publica observatione „& privata necessitate, utriusque expletio suis est „discernenda officiis, vel una oblatione diversæ

„causæ sunt explendæ. Hactenus Strabo, cui „auctor Gemmæ animæ adstipulatur lib. 1. c. 114. „Semel in die debet Missa ab uno Sacerdote ce- „lebrari, sicut & Christus semel voluit immola- „ri. Si autem necessitas cogit, id est si duæ festi- „vitates simul occurrunt, duæ vel tres celebrari „poterunt. Sunt & Conciliorum decreta ad hunc ritum pertinentia. Nam Toletanum XII. habitum ann. 681. can. 5. sic loquitur. „Rela- „tum nobis est, quosdam de Sacerdotibus „non tot vicibus communionis sanctæ gratiam „sumere, quot sacrificia in una die videntur of- „ferre; sed in uno die si plurima per se Deo offe- „rant sacrificia, in omnibus se oblationibus à „communionem suspendunt, & in sola tantum ex- „tremi sacrificii oblatione communionis sanctæ „gratiam sumunt. Vetat autem id fieri sub pœna suspensionis. Et in Emeritensi aliquot annis ante Toletanum habito sub Vitaliano Papa c. 19. cautum est, ut Presbyter, qui plures ecclesias sub suo regimine habet, in singulis die Dominicâ Missas agat. At verò Saleguntadiense anno 1022. celebratum cap. 5. numerum præfixit decernens, ne quis præsumeret amplius quàm tres Missas in die celebrare. Nec desunt Sanctorum exempla, qui pluries in die sacrificium offerebant, nulla etiam urgente necessitate, quia nimirum sic ferebat illorum temporum consuetudo. De Leone III. diximus supra, quem Durandus *lib. 2. cap. 7.* falsò putat primum fuisse, cum Strabo dicat, eum non longè à suis temporibus claruisse. S. Udalricum Episcopum Augustanum duas & tres Missas una die celebrasse scribit in ejus vita Beruo Augiensis. A S. Norberto duas quotidie actas, itemque à S. Alberto Monacho legimus apud Surium. De S. Libentino Bremensi Episcopo idem in sua Metropoli narrat Krantzius *lib. 4. cap. 11.* In libello de Alamannicæ ecclesiæ Fraternitatibus, quem edidit Goldastus *tom. 2. Alaman. Antiquis.* occurrit Fraternitas more priscorum Monachorum inita inter Monasterium Augiense & S. Galli tempore Caroli Magni, in qua conventum utrimque est, ut, quodcumque aliquis frater obierit, eo die Presbyteri tres Missas, & cæteri fratres pro eo Psalterium decantarent. Et hæc quidem universim evincunt, licitam olim fuisse multiplicem eadem die celebrationem, non solum id aliqua causa exigente, sed etiam liberè & ex sola Sacerdotis devotione. In Ecclesia autem Romanâ antiqua viguit consuetudo bis vel ter offerendi Sacrificium in certis quibusdam festivitibus, quas operæ pretium duxi hîc breviter recensere.

VI. Prima



VI. Prima fuit dies Kalendarum Januarii ex veteri Frontonis Calendario ante annos nongentos conscripto, in qua duæ Missæ cantari solebant, una de octava Nativitatis, altera de S. Maria: quia ut ait Durandus in suo Rationali lib. 6. cap. 5. *hac die duo festa concurrunt, scilicet parientis & partus; unde & duæ Missæ celebrantur, prima de pariente scilicet de B. Virgine, in qua dicitur introitus, Vultum tuum, & Communio, Simile est regnum celorum homini negotiatori: secunda est de partu, scilicet de Filio, in qua dicitur introitus, Puer natus est nobis; vel in aliis ecclesiis, Dum medium silentium. Unde & in quibusdam Gradualibus officium utrumque intitulum invenitur. Nunc verò utrumque festum in unum conflatum est, nam oratio in Missa est de S. Maria, Evangelium de Circumcisione, reliqua de octava: in officio autem major pars est de ipsa Virgine, additis nonnullis de circumcissione, & de octava, à qua hæc dies in antiquis Sacramentorum libris, nulla facta mentione Circumcisionis, denominatur. In prisco Ordine Romano ipsis Kalendis Januarii alia Missa reperitur, *Ad prohibendum ab Idolis*, cujus prima oratio hæc est. „ Omnipotens sempiternæ Deus, da nobis voluntatem tuam & fidei mente retinere, & pia conversatione deprobere, ut Ecclesia tua à profanis vanitatibus expiata non aliud profiteatur verbis, aliud exercere, ceat actione. Meminit hujus Missæ Menardus in notis ad lib. Sacram. pag. 33. ubi optimè observat rationem hujus Missæ instituendæ fuisse, quia olim Pagani Kalendarum Januarii multiplici superstitione polluebant.*

Altera est dies Cœnæ Domini, in qua Episcopus tres Missas celebrabat, quæ teste Menardo ibid. pag. 68. extant in antiquo Codice Remensi, quarum prima erat pro reconciliatione Pœnitentium, secunda pro conficiendo Chrismate, tertia serotina de ipsa diei solemnitate, cum oratione *Deus à quo & Judas*. Has item Missas reperiri in libro Sacramentorum Petaviano, nunc Reginae Sueciæ, omnium quos vidi Antiquissimo. Olim quoque Missas hac die in quibusdam Ecclesiis actas, unam mane, alteram serò, scribit Augustinus epist. 118. ad Januarium.

Tertia est vigilia Ascensionis Domini, in qua duplex Missa præscribitur, una de Feria, sive de Rogationibus; altera de ipsa vigilia, ut constat ex Calendario Frontonis, & ex prisca Missalibus. Ipso quoque Ascensionis die in prædicto Codice Reginae duæ Missæ notantur, & in singulis propria Præfatio.

Quarta tres dies jejuniæ hebdomadæ Pentecostes complectitur, in quibus offerit Micrologus cap. 58. duas Missas ab aliquibus suo tempore decantatas, unam de octavo sive de festo Spiritus Sancti post Tertiam, alteram de jejuniæ quatuor Temporum post Sextam.

Quinta est dies Nativitatis Domini, in qua tres Missæ dicuntur: & hæc sola cæteris abrogatis in usu permanfit. Addit Joannes Fronto in prænotatis ad suum Calendarium §. 10. sanctum diem Resurrectionis, dicens: „ In die Paschatis „ sunt tres Missæ, prima sabbatina de nocte, secunda de die, tertia in concessione Ordinum, quæ non adnotatur, quia sumitur de communi. Erat enim Missa quædam specialis, quæ semper dicebatur in Ordinum collatione. In præcitato Codice Reginae, & in aliis antiquis extat etiam Missa de Pascha annotino, quæ recurrente die anniversaria baptismatis pro his celebrari solebat, qui præcedenti anno baptizati fuerant, non omisso diei officio, in qua leguntur istæ orationes: „ Deus per cujus providentiam nec præteritorum momenta deficiunt, nec ulla superest expectatio futurorum, tribue permanentem peractæ, quam recolimus solemnitate effectum; ut quod recordatione percurrimus, semper in opere teneamus. Per. *Alia*, Deus qui renatis fonte baptismatis delictorum tribuis indulgentiam, præsta misericors, ut recolentibus hujus Nativitatis insignia, plenam adoptionis gratiam largiaris. Per Dominum. In alio Codice Reginae, quem supra Cap. XII. Gallicanum ritum continere dixi, singulis diebus octavarum Paschatis duæ sunt Missæ, una pro parvulis qui renati sunt, altera de ipsa festivitate. Eadem Missa extat in Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ ibidem laudato sic inscripta, „ Missa Matutinalis per totam Pascham pro parvulis qui renati sunt maturè dicenda. *Ejus oratio hæc est*, Deus qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas, respice proprius ad electionem tuam, ut qui sacro baptismate sunt renati, regni cœlestis introitum mereantur. Per Dominum. Græcos quoque in die Resurrectionis Missam unam ante solis exortum celebrasse scribit Gabriel Philadelphienfis relatus à Gretsero lib. 3. comment. in Codicum cap. 1.

VII. Multiplex item sacrificium in natalitiis Sanctorum offerri consueverat, cum duorum vel plurium eadem die festivitas agebatur: qua de causa in vetustis Sacramentorum libris duæ Missæ certis diebus notantur, ut die 20 Januarii una



una de sancto Sebastiano, altera de sancto Fabiano: *die 3. Maji* de Inventione sanctae Crucis, & de Sanctis Alexandro, Eventio, & Theodulo: *die 28. Junii* de sancto Leone, & de vigilia Apostolorum. Et hac die in libro sacramentorum sancti Gregorii edito ab Hugone Menardo ante secundam Missam extat haec nota. „Quando „Apostolicus duas Missas celebrat una die, in „ter eas non lavat os, nisi post officium; sed „absque intervallo finita priore incipitur alia: „nimirum ut jejunus celebret. In Codice Reginae de sanctis Apostolis Petro & Paulo *die 30. Junii* tres sunt Missae, una de S. Petro solo, altera de utroque simul, tertia de S. Paulo. *Die 29. Julii* ex Sacramentali Pamelii duae quoque sunt, nempe de S. Felice, & de sanctis Simplicio, Faustino, & Beatrice, *Die 28. Augusti* de sancto Hermete, & de S. Augustino: *Die sequenti* de martyrio S. Joannis Baptistae, & de S. Sabina. *Die 8. Septembris* de Nativitate S. Mariae, & de S. Adriano: *Die 14.* de Exaltatione S. Crucis, & de sanctis Cornelio & Cypriano: *Die 16.* de S. Euphemia, & de sanctis Lucia & Geminiano: *Die 11. Novembris* de S. Menna & de S. Martino: *Die 23.* de S. Clemente, & de S. Felicitate: *Die 29.* de S. Saturnino, & de vigilia S. Andreae. Nunc autem praedictae festivitates una die occurrentes vel simul unico officio celebrantur, vel altera in alium diem transfertur, aut ipsa die sola commemoratione expeditur.

Sunt & aliae causae multiplicationis Missarum de iisdem Sanctis; nimirum cum eorum Reliquiae in diversis Ecclesiis conditae erant. Sic festo S. Felicitatis cum septem filiis *die 10. Julii* tres Missae assignantur in Calendario Frontonis, quia in tribus diversis locis ipsorum corpora sepulta fuerant, & ad singula concurrebat populus, & idem Sacerdos in singulis Sacris operabatur. Sic etiam Papa in die Apostolorum bis olim celebrabat, semel in Basilica S. Petri, & iterum in Basilica S. Pauli, ut Prudentius testatur hym. 12. de Coronis.

*Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas,*

*Lux in duobus servet una festis.*

*Translyberina prius solvis sacra pervigil Sacerdos,*

*Mox huc recurrit, duplicatque vota.*

Vel quando ejusdem Sancti memoria in pluribus locis colebatur, utpote in Basilica ipsi dedicata, & in loco ubi conditus fuit. Et haec est causa trium Missarum, quae in die S. Laurentii dicebantur, quarum prima erat vigiliae, quae sero

fiat propter jejunium, quando more Ecclesiastico dies festus incipiebat: altera summo mane, tertia post Tertiam. Tres quoque Missas singulari privilegio Nativitati S. Joannis Baptistae tributas liquet ex libro Sacramentorum Pamelii, & ex aliis Codicibus quos laudat Menardus in notis sui Sacram. pag. 169. vigiliarum scilicet, diluculi & diei. Harum mentionem faciunt Alcuinus cap. 30. Amalarius *lib. 3. cap. 38. & lib. 4. cap. 40.* Hugo Victorinus *lib. 3. de Offic. Ecclesiast. cap. 6.* & Baronius in notis ad *Martyrolog. die 24. Junii.* Beruo quoque in vita S. Udalrici scribit, eum in hoc festo bis sacrificasse, *ut est, inquit, statutum.* Missae vero eadem die primo mane celebratae post hymnum *Te Deum laudamus* in Mutinis decantantur, mentio fit in vita Roberti Regis Franciae scripta ab Helgaldio Monacho Floriacensi. Duae item Missae leguntur in libro Sacram. S. Gregorii, apud Pamelium, & in Codice Ratoldi apud Menardum pag. 32. pro die S. Joannis Evangelistae, primo mane, & in die, quarum meminit Amalarius *lib. 4. cap. 40.* easque negligendas non esse ait Rodulfus in fine libri de Canonum obervantia.

Postrema plurium Missarum celebrandarum causa fuit, ut supra ex Strabone notavimus, cum Missa votiva pro aliqua necessitate, aut Missa Defunctorum pro alicujus sepultura, aut commemoratione agenda erat. Concilium Carthaginense relatum c. Sacramenta Altaris, *de consec. dist. 1.* imminente alicujus sepultura, eam fieri solis orationibus praecipit, si jam pransi Sacerdotes invenirentur. Ex quo inferitur, quod si jejunii forent, poterant iterum Missas agere. Concilium Oxoniense in Anglia tempore Honorii III. unam Missam in die diei mandat, exceptis die Nativitatis & Resurrectionis, & exequiis ac sepultura Defunctorum. In regno Valentiae, & in aliis quibusdam locis Hispaniae, Sacerdotes bis vel ter celebrant in die commemorationis omnium Defunctorum, sive ex privilegio, sive ex consuetudine, quae fortassis ex eo profuxit, quod Alexander II. qui unam dumtaxat in die Missam agi praecipit, morem celebrandi unam de die, alteram pro defunctis refert, & non abrogat. Certum nihilominus est hunc morem jam pridem defuisse. Decretum Alexandri extat apud Gratianum *de consec. dist. 1. c. sufficit.* Cui consonat Innocentius III. c. consuluit *de celebratione Missarum*, his verbis: *Respondemus quod excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solum-*



*solammodò celebrare.* Addit Honorius III. ibidem c. *Te referente*, valde felicem esse, qui celebrat dignè unam.

VIII. Hæc de multiplici sacrificio ab uno Sacerdote una die peracto dum scribo, incidi in librum cujusdam recentioris, qui ex præsentis tempore antiquum æstimans audacter pronunciat non ab uno Sacerdote in superscriptis casibus sacrificatum, sed à pluribus, quia nimirum hunc hodie usum in Ecclesiis vidit, ut cum duæ Missæ eadem die celebrandæ occurrunt, sicut in Quadragesima & in aliis vigiliis, una de feria, altera de festo, hæc ab uno Sacerdote post Tertiam, illa ab altero post Nonam peragatur. Sed si antiquos sacrorum rituum expositores, & libros rituales perlegisset, invenisset proculdubio diversos tunc fuisse Ecclesiæ mores: nam quoties duæ Missæ cantandæ erant, unus & idem sive Presbyter, sive Episcopus, sive Pontifex Maximus, utramque cantabat, ut ex allatis veterum testimoniis evincitur. Sicut enim hodie in die Nativitatis Domini unus Sacerdos tres Missas celebrat, ita & tunc in aliis diebus polylyurgicis. Nam unus Sacerdos uni Ecclesiæ addictus erat, & cum plures esse cœperunt, ex his hebdomadarii constituebantur, qui, ut loquitur Cyprianus *Ep. 5. ad Clerum*, singuli per singulas vices alternabant. Hebdomadarius autem, quidquid publice in Ecclesia cantandum erat, ipse canebat, sive una sive plures pro more illius temporis Missæ occurrerent: eodemque munere in majoribus solemnitatibus qui dignior erat in cleroungebatur. Narrat Palladius in vita Abbatis Arsfii in Ecclesia Montis Nitriæ octo fuisse Presbyteros, inter quos qui primus erat solus offerebat, & quamdiu ipse vivebat, reliqui nec offerebant, nec judicabant, nec sermonem habebant. Libuit hoc obiter annotare, & ad alium veteris Ecclesiæ ritum enucleandum progredior.

IX. Solemne hoc fuit in utraque Ecclesia, Græca & Latina, ut unum & idem sacrificium à pluribus interdum Sacerdotibus celebraretur: Episcopo enim sive Presbytero celebrante reliqui quotquot aderant Episcopi, seu Presbyteri simul celebrabant, ejusdemque sacrificii participes erant. Hic autem mos hæcenus servatur à Græcis: apud nos verò in solis ordinationibus Presbyterorum, & Episcoporum permansit. Hujus celebrationis modum & ritum latè describit Joannes Morinus *lib. de sacris ordinationibus parte 1. exercit. 8. capite 1.* Res ipsa probatur antiquorum canonum & Patrum testimoniis. Con-

stitutiones Apostolicæ lib. 8. Episcopum describunt sacris operantem cum Presbyteris circumstantibus, simulque offerentibus & communicantibus. Eundem ritum supponunt canon 8. Apostolorum adversus Presbyteros & Diaconos, qui oblationis factæ participes non fuerint: Canon 5. Concilii primi Toletani præcipiens omnes Presbyteros & Diaconos quotidiano Sacrificio adesse: canon 14. Concilii Arvernensis mandans Presbyteros in præcipuis festivitibus nullo loco divina celebrare mysteria, nisi cum Episcopo suo in civitate. In Concilio Chalcedonensi Basilianus ab Episcopatu Ephesino depositus de Stephano in sedem suam intruso sermonem habens ait: *Stephanus Presbyter meus fuit. Quatuor annis Missas mecum celebrabat, mecum communicabat.* Dominus Antiochiæ Episcopus Symeonis Stylitæ vitam admiratus simul cum illo sacrificium celebravit, eoque peracto alter alteri tradidit communionem, ut referunt in historia Ecclesiastica Evagrius *libro 1. cap. 13.* & Nicephorus *libro 14. capite 51.* Ebbonem Remensem Archiepiscopum narrat Flodoardus ad Missæ celebrationem cum aliis Episcopis processisse, cum sedi suæ restitutus fuit. Joannes VIII. in fine octavæ Synodi ad Photium scribens suos Apocrifarios defendit, quod cum ipso Photio simul sacrificare noluerint. Athanasius *Apolog. 2. pro fuga sua* Ischyriæ calumniatori suo exprobrat, quod nunquam synaxim cum aliis Presbyteris fecerit. Vetus Pontificale Rothomagensis Ecclesiæ apud Menardum in notis ad Sacrament. pag. 81. *Mos, inquit, est Romana Ecclesiæ, ut in consecratione corporis & sanguinis Domini adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis & manibus consciant.* In alio antiquo Rituali sive Rationali ceremoniarum apud Morinum loco cit. reperitur hic titulus, *De diversis Sacerdotibus super unam oblatam celebrantibus.* Ordo etiam Romanus hunc ritum exprimit, qui adhuc vigeat tempore Innocentii III. Nam l. 4. de Mysteriis Missæ cap. 25. *Consueverunt, ait, Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, & cum eo pariter celebrare, cumque consummatum est sacrificium, de manu ejus communionem recipere.* Improbat audacter ac temerè hanc consuetudinem Durandus in 4. sentent. dist. 13. quæst. 3. quem multi è Scholasticis sequuti sunt rem clarissimam intricatissimis difficultatibus implicantes, quorum aliqui multa fingunt in ea incommoda & pericula, alii negant unquam fuisse ab Ecclesia Romana usurpatam, & quæ prolata sunt



sunt, priscorum Patrum testimonia aliò detorquent: ac si in Ecclesia nihil umquam factum sit, nisi quod fieri nunc vident. Illos nimirum in varia absurda præcipites egit antiqui ritus desuetudo, & ex desuetudine ignorantia. Hic ego non disputo, sed constanter assero, hunc fuisse Ecclesiæ morem per plura sæcula, qui in Ecclesia Orientali adhuc viget. Hunc convellere scholasticis subtilitatibus audax consilium est. Desit fateor ille mos, non quia acumini disputantium Ecclesia cesserit; sed quia ritus ac ceremoniæ non in æternum permanent, tollique possunt ac mutari sine fidei ac unitatis dispendio. Cur autem desierit, causa mihi videtur fuisse, primò quidem quod fundatis ordinibus Mendicantium, & longè latèque propagatis, multiplicata sunt onera Missarum, atque ideò necesse fuit, singulos Sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare. Deinde quia charitas multorum refrixit, cessavit etiam frequens accessus ad hoc sacramentum, adeò ut hodie nec ipsi quidem Ministri in plerisque Ecclesiis communicent, licet sacrificio cooperentur. Olim verò hic ritus diebus festis & solemnioribus potissimum servabatur: quia sicut populus tunc sacro adesse, & sacra communione refici consueverat; ita viri Ecclesiastici Missæ solemnè ministrabant, & quisque sui Ordinis ministerio fungebatur, ac in unum propterea conveniebant, omnesque pariter sacram synaxim peragebant, Christi que corpus & sanguinem in fine percipiebant. Hæc autem verè & propriè communio Ecclesiastica dicebatur à sanctis Patribus tantoperè commendata, qua Clerici delinquentes diversimodè pro criminum varietate privabantur, & cum quis ab ea totaliter abstentus erat, veluti redactus ad laicam conditionem inter laicos in Ecclesia locum habebat.

## CAPUT XIX.

*De Templis. Eorum usus & necessitas. Origo ab Apostolis. Veterum Scriptorum de illis testimonia. Templi & Ecclesiæ apud Antiquos discrimen. Missa aliquando extra Ecclesiam, & sine Altari peracta. Dicta quadam obiter de Cryptis subterraneis. Varia Templorum nomina. De Camiteriis. Erecta olim Temppla supra Martyrum sepulturas. Reliquiæ Martyrum sub Altari.*

I. **Q**UAMVIS Deus ubique sit, & in omni loco ad eum liceat puras & innocuas levare manus, ut Apostolus docet 1 Tim. 2. sacrificium tamen, cum sit publicus & maximus Dei cultus, necessariam habet cum altari & templo connectionem. Obeundum enim est per publicum ministrum ad hoc munus legitimè deputatum: nec decet ut tantum mysterium fortuito peragatur, bicunque Sacerdoti libitum fuerit, sed locus ritè consecratus requiritur, cuiusmodi est altare, cuius sanctitati & venerationi ut prospiceretur, & omnia profana ab eo arcerentur, additum est templum, tanquam domus Numini sacra, ad quam omnes stans horis convenirent, primò quidem ut sacrificio interessent, deinde ut alias Religionis functiones sanctius & congruentius in ea exercerent. Sicut autem extra templum Hierosolymitanum nefas erat in veteri Lege victimas immolare; ita in Evangelica certa loca ab Apostolis eorumque Successoribus delicta sunt, extra quæ illicitum foret sacrificium offerre, nisi necessitas cui parent omnes leges, dispensationi in aliquo casu locum esse suaderet. Hinc Cyrillus Alexandrinus lib. adversus Antropomorphitas cap. 12. *Donum, ait, sive oblatio, quam mysticè celebramus, in solis Orthodoxorum sanctis Ecclesiis offerri debet, neque alibi omnino. Qui secus faciunt, aperte legem violant.* In eandem sententiam loquitur Basilius lib. de Baptismo cap. 8. *Nobis periculum est malè obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maxime si Sacerdotii mysteria in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet, contempus in celebrante, offendiculum quoque generaret.* A temporibus igitur Apostolorum loca fuisse Deo dicata, quæ à quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiæ dicebantur, in quibus populus orare, verbum Dei audire, synaxim agere, & corpus Christi sumere consueverat, Paulus Apostolus ad Corinthios scribens ep. 1. cap. 11. testis locupletissimus est. *Convenientibus, inquit, vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos. Et paucis interjectis; Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Etsi enim nomen Ecclesiæ pro Fidelium congregatione frequenter sumatur; hic tamen ab Apostolo pro ipso loco, in quem illi conveniebant, usurpari evidens est. Quem locum exponens Basilius in regulis brevioribus Interrog. 310. ait: Quemadmodum ratio non permittit, ut vas ullum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari. Hoc ipsum confirmat Augustinus qu. 57. in Leviticum: Ecclesia*



*Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur: Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est ubi ait: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum parietisque prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiae congregatio continetur. Ejusdem Apostolici temporis aliud testimonium ad Ecclesiarum nostrarum originem comprobendam profert Nicephorus lib. 2. cap. 3. ex Evodio S. Petri in Antiochena Cathedra successore, afferente in domo illa, in qua Christus hoc sacrificium instituit, & in qua Spiritus sanctus advenit, tamquam in prima Christianorum Ecclesia Jacobum primum Hierosolymorum Episcopum consecratum fuisse, & septem Diaconos ordinatos. Romæ item ab Apostolis dedicatas Ecclesias eo ipso tempore, quæ fidem prædicare cœperunt, ostendit Baronius anno Christi 57. numer. 100. Extat in Bibliotheca Reginae Sueciæ Codex antiquissimus, in quo aliquot fragmenta ex diversis Martyrologiis in unum compacta sunt, simul cum fragmento Ordinis Romani de ritu Baptismi. In uno autem ex dictis fragmentis hæc leguntur, Calendis Augusti. Romæ, dedicatio primæ Ecclesiæ à Beato Petro constructæ & consecratæ. Eadem verba reperiuntur in vetustissimo Martyrologio S. Hieronymi nomine insignito, & à Luca Dacherio tom. 4. sui Spicilegii edito: itemque in alio nuper Lucae evulgato à viro eruditissimo Francisco Maria Florentino, cui alia consonant ab eodem in notis indicata. Quæ autem fuerit Ecclesia prima præ omnibus in Urbe consecrata, an ea quæ in Exquilis titulus Eudoxiæ, sive S. Petri ad Vincula postmodum dicta fuit: an titulus Pastoris, nunc S. Pudencianæ in colle Viminali; an verò alia, idem diligenter exquirat Exercit. 11. ad diem primam Augusti, in qua multa congerit de primi, secundi, & tertii sæculi Ecclesiis. Eandem veritatem confirmant antiqui Patres. Tertullianus de Idololat. cap. 7. „Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit in gemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de adversarii officina in domum Dei. Idem de Virginib. velandis lib. 13. „Certè virginitatem suam in Ecclesia abscondant, quam extra Ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur & fratres aut constanter audeant &*

*in vicis virgines, sicut audent in Ecclesiis. Et de pudicitia cap. 4. nefarios quosdam submotos ait, non modo limine, verùm omni Ecclesiæ testis. Irenæus & Origines altaris & Ecclesiæ meminerunt: ille lib. 4. cap. 20. & 34. hic homilia 11. in Numeros. Zeno Veronensis, serm. de Psal. 126. Conventus, inquit, Ecclesiarum, quos ad secretam Sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra domum Dei solita est nuncupare. Optatus Milevitanus lib. 2. ait, Donatistas inter quadraginta & quod exeurrit Basilicas non habuisse locum Romæ ubi colligerent, id est sacrificium offerrent. Eusebius denique lib. 8. Eccles. hist. cap. 2. edicta Imperatorum promulgata fuisse scribit de evertendis Christianorum Ecclesiis, ex quibus manifestè deducitur eas dudum extitisse. Facta est hæc everfio imperante Diocletiano. Sed & tempore Philippi Cæsaris quinquaginta & amplius annis ante Diocletianum Christianos Ecclesias habuisse ex eo constat, quod idem Eusebius narrat lib. 6. cap. 34. Cum enim Philippus utpotè Christianus in Vigilia Paschæ Ecclesiam ingredi vellet, ab Ecclesiæ aditu ob scelera quæ commiserat ab Episcopo exclusus, & non nisi peracta pœnitentia admissus fuit: sive id Romæ contigerit sub Fabiano Papa, ut putat Baronius an. 246. sive Antiochiæ sub S. Babyla, ut refert auctor Chronici Alexandrini ex narratione Leontii Episcopi Antiocheni; & confirmat Chrysoftomus in orat. de eod. S. Babyla contra gentes, tacito tamen nomine Imperatoris. Nec desunt testimonia ab his etiam qui foris sunt. Nam Philo Judæus libro, quem inscripsit de vita contemplativa, seu de virtutibus supplicum, vitam primorum Christianorum describens, si Eusebio credimus lib. 2. hist. cap. 17. & Hieronymo lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in singulis eorum domiciliis sacellum quoddam fuisse ait, quod *seminum* vocabant, in quo remotis arbitris sanctioris vitæ mysteria peragebant. Lucianus quoque Echnicus, qui Apostolorum temporibus vixit, res Christianorum deridens in Philopatre Critiam quemdam introducit, qui cum ab aliquo Fidelium Christianus fieri suaderetur, ab eo deductus est in locum, ubi conventus Christianorum agebatur. „Pertransivimus, inquit, ferreasque portas & area limina. Multis autem superatis scalis in domum aurato fastigio insignem ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse. Atque ipse quidem omnia illa contemplabar, quæ insularis ille adolefcens. Video autem*



non Helenen meherclè, sed viros in faciem in-  
clinatos & pallescentes. Scio in dubium revo-  
cari à quibusdam Criticis an hic Dialogus à Lu-  
ciano scriptus sit; fatentur tamen auctoris esse  
ejusdem temporis, qui Trajano Imperatori ob  
victoriam in Oriente partam hac compositione  
gratulari voluerit. Est & apud Lampridium de  
Ecclesiis Christianorum luculentum testimo-  
nium, cum enim Christiani locum quemdam,  
qui publicus fuerat, ut erigeretur in eo Ecclesia,  
occupassent, Popinarii autem dicerent eum sibi  
deberi, Lampridius ait Alexandrum Imperato-  
rem rescripsisse, melius esse ut quomodocumque  
illic Deus coleretur, quam dari Popinariis.

II. Quamvis autem ex communi usu nullum  
ponatur discrimen inter Templum & Ecclesiam,  
primis tamen sæculis Templi nomine non ute-  
bantur Christiani, sed Ecclesiæ. Tempa enim  
tunc vocabantur ingentia ædificia, in quibus ani-  
malia idolis immolabantur. Hinc B. Hierony-  
mus epist. ad Riparium ady. Vigilantium. *Mor-  
tuo cadaveri atque polluto præbebant excubias, ut  
post multa secula Dormitantiis somniaret, imò  
eructaret immundissimam crapulam, & cum Juli-  
ano persecutore Sanctorum basilicas aut destrueret,  
aut in templa converteret.* Hinc etiam Valerianus  
Imperator, teste Flavio Vopisco, ad Senatam  
scripsit: *Miror vos, Patres sancti, tamdiu de ape-  
riendis libris Sibyllinis dubitasse, perinde quasi in  
Christianorum Ecclesia, & non in templo omnium  
Deorum tractaretis.* Templi verò nomen primi-  
tivæ Ecclesiæ Patres idcirco non usurpabant, ut  
non solum à ritibus Ethnicorum, sed etiam à  
vocalibus se abhorreere indicarent. Atque idèd  
Gentiles illud idemtidem inculcabant, nulla es-  
se Christianis Tempa, sectam esse irreligiosam,  
& quæ nullum coleret Deum, ut testantur illo-  
rum temporum scriptores, Arnobius lib. 6. *contra  
Gentes*; Minutius Felix in *Octavio*, Lactantius  
lib. 6. *divin. instit.* cap. 2. Clemens Alexandri-  
nus lib. 7. *strom.* Origenes lib. 8. *contra Celsum*:  
qui omnes respondebant, nulla Christianis esse  
Tempa, qualia apud nationes erant, sublimi-  
bus elata fastigiis, quibus putarent divinitatem  
concludi: nullas habere aras adostentationem  
extructas: nullas immolare victimas, neque thus  
adolere: Deum istis non indigere, nec habitare  
in templis manufactis ut Paulus dixit *Actor.* 17.  
disputans cum Atheniensibus, impium esse Nu-  
minis Majestatem unius ædiculæ angustiis cir-  
cumscribere, cum homines latius habitant: in no-  
stra mente Templum illi dedicandum esse, in no-

stro pectore consecrandum. Sic loquitur Minu-  
tius Felix, sic Origenes, sic Lactantius. Hujus  
autem elegantissima verba hæc sunt in fine libri  
de ira Dei. „ Sit nobis Deus non in templis, sed  
in corde nostro consecratus. Destructibilia  
sunt omnia quæ manu fiunt. Mundemus hoc  
templum, quod non fumo, non pulvere, sed ma-  
lis cogitationibus sordidatur: quod non cereis  
ardentibus, sed claritate ac luce sapientiæ illu-  
minatur. Hæc ille contra Paganos, qui solam  
externam speciem attendentes, in quo verus Dei  
cultus consisteret, ignorabant. Quod si nomine  
templi non sacrilega Gentium delubra, non dæ-  
monum fana, sed loca Deo vero sacrata intelli-  
gantur, in quibus Fideles congregari solebant,  
ut Deum precarentur, sacra mysteria celebra-  
rent, & alia religionis officia obirent, nemo in-  
ficias ibit, sua semper Christianis fuisse templa,  
sive conventicula, qua voce Arnobius lib. 4.  
Ammianus Marcell. lib. 27. & alii usi sunt, quo-  
cumque tandem nomine vocarentur.

III. Sæviente persecutione, cum ab omni  
prorsus conventu Imperatorum edictis Christiani  
excluderentur, quocumque loco poterant, ad  
peragendam synaxim conveniebant. Testimo-  
nium de hoc perhibet Dionysius Alexandrinus  
apud Eusebium lib. 7. *hist.* ubi cap. 11. conventus  
sibi interdicitos asserit, & cap. 22. sic loqui-  
tur: „ Cumque ab omnibus fugaremur, atque  
opprimeremur, nihilominus tunc quoque fe-  
stas egimus dies. Quis locus, in quo varias  
ærumnas singillatim pertulimus, ager, inquam,  
solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi  
ad sacros conventus peragendos fuit. In carceribus  
sacrificium offerri consuevisse ex actis san-  
ctorum Processi & Martiniani, Clementis An-  
cyrani, aliorumque Martyrum passim didicimus:  
& ex Cypriano, qui epist. 5. hortatur clerum, ne  
glomeratim ad Martyres in carcere visitandos  
concurrant; & ut Presbyteri qui illic apud Con-  
fessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis  
per vices alterent: Legimus etiam apud Meta-  
phrasten in vita S. Luciani Presbyteri & Marty-  
ris, quod in die Theophaniæ rogatus à discipulis  
in carcere celebravit. Sed cum deesset altare, nec  
metu persecutorum posset inferri, S. Martyr di-  
xit: Mensa vobis erit hoc pectus meum, non futu-  
ra Deo minus honesta eâ quæ fit ex inanimi ma-  
teria: Templum verò sanctum vos mihi eritis  
me omni ex parte circumstantes, *Sacro igitur  
cœtu eum in orbem circumstante, ut scribit Phi-  
lostrorgius lib. 2. hist. Eccles. cap. 14. tanquam  
jam*



jam morientem, ecclesiam speciem ita simul & munitum eo praebeante, ne ea quae a piis peragebantur, viderentur; Sacrum egit, seque primum & alios mysteriorum participes effecit. Verba Philostorgii, tacito ejus nomine ut solet, descripsit Nicephorus lib. 8. cap. 31. Hunc autem Lucianum suae sectae Martyrem Ariani praedicabant, sed ab hac suspitione liberat eum Baronius anno 311. & 318. & in notis Martyrologium. Apollonius Brixienis Episcopus in Sindone caelitus demissa Missam in carcere celebravit, ut refert ex Mombritio Bollandus die 15. Februarii. Romae clam celebrandi locum praebant ampli recessus subterranei in Cryptis arenariis; à quibus tamen excludebantur, cum vehementior persecutio urgebat, ut docent literae Cornelii Papae ad Lupicinum Episcopum Viennensem. Extant adhuc, & pars maxima mirabilium Urbis sunt hujusmodi Cryptae variis cuniculis ac multiplicibus anfractibus effossae, quarum structuram, & longè latèque protensa spatia in vicis distincta, cum diversis mansionibus & cubiculis merito admirantur quotquot eas ingrediuntur. Scripsit de his duo ingentia volumina Jacobus Bosius Italicè, à Paulo Aringo in latinum translata praefixo titulo Romae Subterraneae. Eisdem Hieronymus sic describit initio libri 12. in Ezechielem. » Dum essem Romae puer, & liberalibus studiis erudire, solebam cum caeteris ejusdem aetatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi quae in terrarum profunda defossae ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepulcorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: *Descendant in infernum viventes: & raro desuper lumen admittam horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen dimissi luminis putes: rursusque pedetentim acceditur, & caeca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur;*

*Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.*

Quod autem Hieronymus soluta oratione, id ligata Prudentius expressit *Hym. 11. de Coronis.*

*Haud procul extremo culta ad pomeria villo  
Mersa latebrosi crypta latet ovis.  
Hujus in occultum gradibus via prona reflexio  
Ire per anfractus luce latente docet.*

*Primas namque fores summo tenus intrat hiatus,  
Illustratque dies limina vestibuli.  
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est  
Nox obscura loci per specus ambiguum,  
Occurrunt celsis immissa foramina rectis,  
Quae jacent civos antra super radios.  
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus  
Arcta sub umbrosis arva porcibus,  
Attamen excisi subter cava viscera montis  
Crebra terebrato fornice lux penetrat.  
Sic datur absentis per subterranea solis  
Cernere fulgorem, luminibusque frui.*

In his cryptis sepultum fuisse S. Hippolyti corpus ait Prudentius, inde enim effossa arena sepeliendis Martyribus ampli recessus relictus sunt. Nullibi verò frequentius quam in hujusmodi subterraneis caemeteriis five areis, ut Latini vocabant, non solum Romae, sed & alibi passim fideles congregabantur. Testes sunt antiqui Patres. Tertullianus ad Scapulam cap. 3. *Sub Hilariano Praefide, cum de areis sepulcrarum nostrarum adclamaissent, Aerae non sint, aerae ipsorum non fuerunt.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. *hystor. cap. 11. Aemilianum praefectum dixisse ait, Nullatenus licebit vobis conventus agere, aut ea quae vocantur caemeteria adire. In gestis purgationis Caeciliani, Cives in aera Martyrum fuerunt inclusi. Et in gestis purgationis Felicis, Tollat aliquis de vestris in aera, ubi orationes facitis.* Pontius in passione S. Cypriani loquens de edicto Valeriani adversus Christianos, *Iustum est ut nulla conciliabula faciant, neque caemeteria ingrediantur.* S. Stephanus in ejusdem Valeriani persecutione Missam in crypta celebrans supervenientibus militibus ante altare decollatus est, ut acta ejus testantur, & ex his Romanum Martyrologium die 2. Augusti. Eusebius iterum lib. 9. cap. 2. *Maximinus dum ad subruendam pacem nihil non molitur, primum quidem nostros à conventibus, qui in caemeteriis fieri solebant, nescio quo pretextu arceret aggressus est. Hæc tunc erant Christianorum Ecclesiae. Ibi divina peragebant mysteria, ibi stationes celebrabant, ibi populum instruebant, ibi baptismum & reliqua Sacramenta administrabant. Nec solum occasione persecutionis, sed reddita etiam Ecclesiae pace, si qua pietatis five necessitatis ratio urgeret, extra templum Deo consecratum Missas agere sancti & prisca Patres non dubitarunt. Narrat de se ipso Theodoretus *hyst. Religiosa cap. 20. quod cum virum sanctum & inclusum nomine Marim videret, & ille mystici sacrificii videndi**



diuturno desiderio teneretur, rogavit ut illic divini doni fieret oblatio. „Ego verò, inquit, libenter obtemperavi, & sacra vasa adferri iussi, nec enim procul aberat locus, diaconorumque manibus utens pro altari, mysticum & divinum, ac salutare sacrificium obtuli. S. Paulinus Episcopus Nolanus, ut Uranius refert in ejus vita, hora sibi mortis imminente iussit sibi ante lectulum sacra mysteria exhiberi, ut una cum Episcopis, qui praesentes aderant, oblato sacrificio animam Deo commendaret. S. Vulfrannum Episcopum Senonensem, cum in Frisiam navigaret, navi manente immobili, Missam in mari celebrasse scribit Jonas Monachus Fontanellen. in ejus vita apud Bollandum die 20 Martii. Plura suppeditant hujusmodi exempla veterum Patrum monumenta, ex quibus nonnulla supra attulimus Cap. XIV.

IV. Sed his omissis revertor ad templa, quae ubi feliciora illuxerunt tempora, ad honorem veri Dei, tum à Constantino Imperatore, tum ab Helena ejus matre, tum ab aliis eorum exemplo ubique gentium extructa sunt, ut Eusebius in historia & in vita Constantini, Nicephorus lib. 8. cap. 30. & alii passim ecclesiastici Scriptores recensent. Tunc magnifica illis nomina à sanctis Patribus tributa sunt. Dicebantur enim Evangelica auctoritate *Domus Dei*, & *Domus orationis*, tamquam locus ad colendum & orandum Deum specialiter deputatus. A Græcis *Kyriaca*, à Latinis *Dominica* dicta sunt: cujus nomenclaturæ rationem reddit Eusebius orat. de laudibus Constantini cap. 17. „In urbibus, inquit, ac pagis, in agris ac desertis Barbarorum locis sana ac delubra in honorem unius omnium Regis ac Domini dedicavit, unde etiam Domini vocabulo honorata sunt, non ab hominibus, sed ab ipso omnium Domino cognomentum sortita. Ab eo quippe *Dominica* appellantur. Antiochiæ nobilissimum Templum fuisse, quod *Dominicum aureum* vocabatur, tradit Hieronymus in Chronico. Cyprianus lib. de opere & elemos. matronam divitem reprehendit, quæ in *Dominicum* sine sacrificio ibat. Factas cædes in *Dominico* & altare *Dominico* sublaturum conqueruntur Marcellinus & Faustinus Presbyteri Luciferiani partis schismaticæ adversus Damasum in libello precum ad Imperatores. Regula S. Pachomii cap. 54. *Si necessitas impulerit, ut Monachus foris maneat, vel in Dominico manebit vel in Monasterio ejusdem fidei.* Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. Memorias appellat dicens, *Nos Martyribus nostris non*

*templa sicut Diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus.* A Græcis *Martyria* nuncupantur, quæ in honorem Martyrum erecta sunt. Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 48. scribit Constantinopolim maximis ab eo *Martyriis* ornatum fuisse. In actis Concilii Chalcedonenfis sæpe memoratur *Martyrium sanctissimæ & pulchrè virtricis Martyris Euphemie*, in quo illud celebratum est. Marcus Diaconus in vita S. Porphyrii, *Cum ei occurrisset in gradibus Martyrii.* Et infra. *Invimus in Martyrium gloriosi Martyris Timothei.* Agit de hac voce Baronius in notis ad Martyrologium die 6. Julii. In eodem Martyrologio locus, in quo plura Martyrum corpora sepulta sunt, *Concilia Martyrum* nuncupatur die 23. Junii. Synodus Laodicensis can. 9. statuit, ne fideles orationis causa eant in cœmeteria, aut quæ dicuntur *Martyria* Hæreticorum. Sic *Apostolica* dicebantur, quæ Apostolorum; & *Prophæta*, quæ Prophetarum memoriæ dicata erant. Sozomenus lib. 1. cap. 17. *Rufinus consularis in suburbio Chalcedonis magnam Ecclesiam in honorem Petri & Pauli extruxit, & Apostolium ab ipsis appellavit.* Theodorus Lector lib. 1. *Reliquiæ S. Samuelis in ejus Prophæta sunt posita.* *Eudæria* quoque & *Proseuderia* à Græcis, à Latinis *Oratoria* omnes ecclesiæ sæpius vocantur: quæ verò ampliores & augustiores sunt, usus obtinuit, ut *Basilicæ* nominentur: quamvis nonnulli quascumque ecclesias *Basilicas* vocent. Occurrit passim hoc nomen apud Hieronymum, Augustinum, Paulinum, & alios; quod à gentilibus, ut alia multa, acceptum est. Erant enim *Basilicæ* Regum habitacula vel publica ædificia, in quibus judicia exerceri, atque à mercatoribus & numulariis negotia tractari solebant, quorum structuram describit Vitruvius lib. 5. demum ea vox ecclesiis Christianorum tributa est, vel propter ædificii magnificentiam: vel quia ibi, ut ait Isidorus lib. 15. *Origin. cap. 4.* Regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur: vel quia profanæ *Basilicæ* in ecclesias Christi conversæ sunt, ad quod alludere videtur Aufonius in gratiarum actione ad Gratianum Augustum pro suo consularu dicens, *Basilica olim negotiis plena, nunc votis pro tua salute susceptis. Tituli* denique dicuntur, ut apud Anastasium in Marcello Papa, *Hic viginti quinque titulos in Urbe Roma constituit propter Baptisum & Pœnitentiam, & propter Martyrum sepulturas.* Prudentius hym. 12. de Coronis.



*Parte alia titulum Pauli via servat Hostiensis.*

Quæ autem fuerit origo Titulorum; qua de causa, siue qua occasione erecti fuerint: an idem initio fuerint titulus & ecclesia, ut plerique sentiant; an aliquod discrimen intercesserit, ut mavult Florentinius exercit. 11. in vetustius Martyrologium, nimis operosum foret hinc diligentius examinare. Plura de his curiosus lector inveniet apud eundem Florentinium ibidem, & apud illos qui de titulis & de ecclesiis Urbis scripserunt.

V. Mos olim Christianorum fuit, ut, cum ab Ethnicis fidei causa vexabantur, in areis & cœmeteriis, in quibus Martyrum corpora quiescebant, ad synaxim peragendam convenirent, ut supra ostendimus: postquam verò Dei nutu extinctis tyrannis & profligato Ethnicismo, Romanum imperium crucis gloriam agnovit; cum jam liceret palam & ubique Christo Deo erigere templa, in iis præcipuè locis excitari cœperunt, in quibus paulò ante congregari, & clam mysteria celebrare consueverant: atque inde originem traxisse mihi videtur celeberrimus & inviolabilis Ecclesiæ ritus, ut sine Martyrum Reliquiis nullum templum nullumve altare ædificetur. Cœpit hic primum in Ecclesia Romana observari, & ab ea ad alias dimanavit. De Felice I. summo Pontifice sic scribit Anastasius: *Hic constituit supra sepulcra aut memorias Martyrum Missas celebrari; quia fortassis de hoc legem edidit, ne aliter fieri posset.* Prudentius postquam locum descripsit, in quo repositum fuit S. Martyris Hippoliti corpus, ita canit:

*Illæ Sacramenti donatrix mensa, eademque  
Custos fida sui Martyris apposita,  
Servat ad æterni spem iudicis ossa sepulchro,  
Pascit item sanctis Tybricolæ dapibus.*

Concinit Prudentio Paulinus Natali 9. S. Felicis.

*Spectant de superis altaria tota fenestris,  
Sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem.  
Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa  
Depositi, placitum Christo spirantis odorem  
Pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.*

Idem initio epistolæ 11. ad Severum Reliquias ad Basilicam dedicandam necessarias esse asserit, eique mittit ad hunc effectum particulam ligni sanctæ Crucis. Ambrosius epistolæ 54. ad Marcellinam sororem, „Cum Basilicam, inquit, dedi-

„re cœperunt dicentes, sicut in Romana, sic Ba-  
„silicam dedices. Respondi, Faciam si Marty-  
„rum Reliquias invenero. Invenit autem sancto-  
„rum Gervasii & Protasii corpora, & Basilicam  
Romano more dedicavit. Idem initio libri de  
*hortatione ad Virginitatem* de Reliquiis Sancto-  
rum Vitalis & Agricolæ sermonem habens ait,  
*Munera salutis accipite, quæ nunc sub sacris alta-  
ribus reconduntur.* Hieronymus adversus Vigi-  
lantium, qui ausus est Martyrum cultum impiis  
scriptis convellere, „Malè ergo facit Romanus  
„Episcopus, qui super mortuorum hominum  
„Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda,  
„secundum te vilem pulvisculum, offert Domi-  
„no sacrificia, & tumultos eorum Christi arbitra-  
„tur altaria. Augustinus lib. 20. contra Faustum  
Manichæum cap. 21. „Populus Christianus  
„memorias Martyrum religiosa solemnitate con-  
„celebrat, & ad excitandam imitationem, &  
„ut meritis eorum consocietur, atque orationi-  
„bus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum,  
„sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quam-  
„vis in memoriis Martyrum constituamus alta-  
ria. Et ferm. 113. de diversis, qui est de S. Cy-  
priano, eleganter ostendit templum ibi constru-  
ctum, in quo sanguis Christi bibitur, ubi ille  
suum fudit. Gregorius Magnus lib. 5. epistolæ 45.  
Leontio Arminensi facultatem tribuit Ecclesiam  
dedicandi, in qua, inquit, *Reliquiarum sanctua-  
rium volumus collocari.* Et infra epistolæ 50. Epi-  
scopo Santonensi Reliquias mittit pro consecran-  
dis altaribus. Agit de eadem re lib. 7. Indict. 2.  
epistolæ 11. 12. 73. 74. 85. lib. 9. epistolæ 26. lib. 10. epistolæ  
12. & lib. 1. Dialog. cap. 10. Gregorius Turo-  
nen. in vita S. Senoch Abbatis, „erecto altari,  
„& loculo in eo ad recipiendas Sanctorum Reli-  
„quias præparato, ad benedicendum invitat E-  
„piscopum. Apud Sozomenum lib. 5. cap. 8.  
Zeno Episcopus Gazæ ecclesiam ædificavit, al-  
tare in ea erexit, ibique reposuit reliquias Mar-  
tyrum. Theophanes in Justiniano facta refert  
apud Constantinopolim Encæniam Apostolorum,  
& recondita ipsa Andreae & Lucae Apostolo-  
rum, quæ solemnè pompa à Menna Episcopo in  
templum delata sunt. Cum verò hic mos ab Ico-  
nomachis convelli & abrogari cœpisset, septima  
Synodus can. 7. statuit, ut, quæcunque templa si-  
ne Martyrum Reliquiis consecrata erant, in iis  
Reliquiæ cum precibus consuetis ponerentur:  
& si quis templum sine Reliquiis consecraret,  
deponeretur, tanquam transgressor ecclesiastica-  
rum traditionum. Hujus Christianæ consuetudi-  
nis



nis testis est vel invitus vir impius & Christiano nomini infensissimus Eunapius Sardianus, qui in *Edesio Fani Serapidis ruinam deplorans*, ibi Monachos introductos, & Martyrum Reliquias collocatas rabiosissimè exaggerat. Quod si aliqua facella sive Oratoria in villis erigebantur, Concilium Epaunense *can. 25.* prohibuit, ne Reliquiæ Sanctorum in illis collocarentur, nisi Clericos vicinæ Parochiæ adesse contingeret, qui sacris cineribus pfallendi frequentia famularentur. Lego etiam apud Theodoretum & Sozomenum, erecta quandoque templa super tumulos Confessorum. Ille enim in *hist. religiosa cap. 24.* loculo Zebinæ Monachi maximum templum inædificatum scribit. Hic *lib. 8. Eccl. hist. cap. 19.* de S. Nilamnone Monacho agens, qui mortem à Deo impetraverat, ne onus Episcopale subiret, ait: *Templum super ejus sepulchrum indigenæ construxerunt.* Antiquissima tamen & ubique recepta consuetudo fert, ut Martyrum Reliquiæ in Altarium consecratione adhibeantur, quorum animas sub altari Dei Joannes in cælis vidit *cap. 6. Apocalypsis.* Hæc autem Martyrum veneratio ex eo dogmate fidei orta est, qua Sanctorum communionem credimus & fatemur. Fideles etenim, ut hoc factis profiterentur, in iis locis ad orationem & ad divina mysteria participanda conveniebant, in quibus Sanctorum ipsana posita erant, ut ea ratione, quam status defunctorum permittit, cum illis communicarent. Per illa siquidem representatur Ecclesia triumphans, quæ sic aliquo modo cum militanti communicat, & sacrificio nostro interest. Nam licet ipsa ipsana & ossa Sanctorum absente anima sensu careant, respectum nihilominus dicunt ad animam quæ in cælis est, & ipsis inest semen quoddam resurrectionis, & æternitatis. Hac eadem de causa veteris Ecclesiæ Patres Episcopos Orthodoxos sub altari sepelire consueverunt, ut cum ipsis sacrificia & ordinationes fierent: quia ad servandam fidei unitatem, & ad legitimam successionem indicandam communionem viventis Episcopi cum Antecessore defuncto necessariam existimabant. Apparet hujus moris vestigium in collatione Catholicorum cum Donatistis habita Carthagine tempore Innocentii I. *cognitione prima cap. 204.* nam ibi Donatus Episcopus Sitifensis Orthodoxus dixit: *supra corpus Episcopi Catholici Presbyterum ordinavi, & Deo volente ordinabitur illic Episcopus.*

## CAPUT XX.

*Altarium usus & origo. Ligneane fuerint, an lapidea. De Oratoris privati. Antimensia apud Græcos quid sint. De Ecclesiarum consecratione, ejusque ritus antiquitate. Verus Templorum structura. Ad quid fontes vel putei in atrio. Sua singulis loca tributa. Discreta mulieres à viris. De Sanctuario seu Presbyterio, & de sede Episcopali.*

I. **A**Nnexa templis sunt altaria, quæ semper ad usum sacrificii extitisse in typum, & testimonium illorum, in quibus sacrificium Missæ ex Christi institutione offerendum erat, demonstrat Demochares in prolixo opere de Missa adversus Misoliturgos *Tom. 1. cap. 15.* Ea primum ab Adamo erecta fuisse non dubitamus: nam primus omnium sacrificium obtulisse creditur, suosque filios docuisse frugum & animalium primitias offerre Deo; cujus verò structuræ altaria illa fuerint, an sub dio, an in loco clauso & Deo specialiter consecrato, ut putat Jacobus Boulduc *lib. 1. de Ecclesia ante legem cap. 1.* cum de his Scriptura fileat, non est facile definire. His igitur omissis, quæ ad nostrum institutum non pertinent, de altaribus novi testamenti agendum est, in quibus corporis & sanguinis Christi sacrificium incruentum immolatur. *Habemus altare,* inquit Apostolus ad Hebr. *cap. 13. de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt:* altare scilicet, in quo conficitur & distribuitur Eucharistia, ut expliçant catholici Doctores. Tertullianus *lib. de orat. cap. 14.* *Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris?* Et *lib. 1. ad uxorem cap. 7.* *Aram Dei mundam proponi oportet.* Cyprianus *epist. 66.* *Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare.* Optatus Milevitanus, quem Sectarii reprehendunt, quod tanti faciat altaria: *Quid est, inquit, altare, nisi sedes Domini nostri?* Et infra. *Altaria in quibus obtulerunt olim Cyprianus, Lucianus, & ceteri Martyres confregisti, unde à multis pignus salutis perperuæ, tutela fidei spes resurrectionis æternæ accepta sunt.* Tanta erat Donatistarum rabies adversus Catholicos, tam immane odium, ut altaria frange-



frangerent tanquam polluta, in quibus celebraverant. Sacrificia enim Cæciliani, & eorum qui cum ipso communicabant, impura esse & Deo exosa prædicabant: quorum insaniam post multa sæcula Græci schismatici imitati sunt, altaria veluti inquinata lavantes, in quibus Latini sacrum obtulerant. Primis Ecclesiæ sæculis an lignea fuerint, vel lapidea, non liquet. Utraque crederim tempore persecutionis usitata, prout rerum locorumque opportunitas ferebat. Usus autem ligneorum magis expeditus erat, quia facilius de loco in locum transferri poterant. Plerique Scriptores asserunt à S. Sylvestro constitutum, ut altaria lapidea essent; sed hujus decreti nulla mentio apud Antiquos reperitur. Concilium Epaunense anno 509. celebratum statuit cap. 26. ut altaria, nisi sint lapidea, infusione Chrisimatis non sacerentur. Altaris quoque lapidei tanquam communiter tunc usitati meminit Gregorius Nyssenus, qui eodem sæculo quo Sylvester claruit, *Orat. in baptismum Christi* his verbis: *Nam & Altare hoc sanctum cui adfirmamus lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur: postquam vero Dei cultui consecratum atque dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta est, altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus promiscue tangitur, sed à solis Sacerdotibus, usque venerantibus contrahatur.* Hæc de altari lapideo Nyssenus, ligneum vero eo ipso seculo Athanasius commemorat ad *Solitarios* dicens, *Cum rarissemus subsellia & Cathedram & mensam, erat enim lignea, & vela Ecclesiæ.* Ex quibus intelligimus, promiscuum tunc usum in Oriente lignei & lapidei viguisse. Etiam in Africa erant tempore lignea, ut ex Optato Milevitano manifestum est lib. 6. Refert enim facta à Schismaticis altaria in iis locis, in quibus ligna abundabant: rasa autem, ubi lignorum inopia erat, ne forte novis erigendis ligna deessent. Erant & altaria argentea, nam in libro Pontificali legimus, Constantinum Magnum fecisse in Basilica Constantiniana altaria septem ex argento purissimo, pensans singulum libras 260. Et Sixtus III. obtulisse dicitur Basilicæ sanctæ Mariæ altare argenteum purissimum pensans libras 300. Postea sancivit Ecclesia, ut nemini liceat celebrare, nisi in altari lapideo consecrato; sed quis hoc primum certa lege firmaverit, Sylvesterne an alius, adhuc incertum est. Erant autem olim diversæ altarium structuræ: nam aliquando uni

tantum columnæ mensa lapidea superjacebat, quale describitur lib. 20. *historiæ Miscellæ*, altare Deiparæ Virginis in Blackernis, qualia sunt etiam hodie altaria quædam subterranea Romæ in Ecclesia S. Cæcilie. Aliquando quatuor columnis eadem mensa suffulta erat, & de his altari-bus loquitur Synesius in fine *Cataltasis*, *Sacratas columnas amplectar, quæ puram & incontaminatam à terra mensam sustinent.* Interdum duæ solæ columnæ ex utroque latere ipsum altare sustinebant, suntque adhuc Romæ in cryptis & cœmeteriis quædam hujusmodi altaria duabus vel pluribus innixa columnis, quibus Christiani tempore persecutionis ibidem latentes utebantur. Denique nonnulla quadro superposita ædificio tumuli formam referebant, tanquam Martyrum sepulcra; quæ propriè altaria quasi altæ aræ dicebantur.

II. Et hæc quidem altaria fixa & immobilia loco adherent, in quo construuntur: sunt autem & alia portatilia & motoria; quæ Episcopi iter agentes secum olim ferebant, ut in his possent extra Ecclesiam in locis ab ea remotis celebrare. Horum meminit Ven. Beda lib. 5. *hist. cap. 11.* & Hincmarus Remensis in *Capitulis* editis anno XII. sui Episcopatus, hoc de illis sancivit: *Nemo Presbyterorum in Altari ab Episcopo non consecrato cantare præsumat. Quapropter si necessitas poposcerit, donec Ecclesia, vel altaria consecrentur, & in Capellis etiam, quæ consecrationem non merentur, tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honestissimo, secundum suam possibilitatem, honestè affectatam habeat, & nobis ad consecrandum afferat, quam secum cum expedierit deferat, in qua sacra mysteria secundum ritum Ecclesiasticum agere valeat.* Ex hoc decreto palam fit, quinam veteri ritu altaris portatilis usus sit, nimirum cum in altari-bus fixis nondum consecratis, vel in Oratoriis privatis, quæ consecrari nec solent nec debent, celebrandum est. Ipsa verò privata Oratoria in domibus Principum & nobilium virorum permittuntur, ut notissimum est: & de iis canonicæ sanctiones insertæ sunt *Capitularibus Caroli Magni lib. 6. cap. 101. & 205. & lib. 7. cap. 329.* prohibetur, ne Missæ celebrentur in locis non consecratis & incongruentibus, nisi causa hostilitatis & longinquitineris; & id in altari-bus ab Episcopo consecratis. Legitur idem statutum in *Concilio Parisiensi* sub Ludovico Imperatore lib. 1. *cap. 47.* & in *Capitulari Theodulfi Aurelianensis cap. 11.* Græci altaria portatilia non habent, sed eorum



vice utuntur Antimensis, cuius nominis ratio hæc est, quod ea adhibeant loco mensæ sive altaris. Extat horum consecratio in Euchologio Græcorum pag. 648. & ibi in notis Jacobus Goar longam & insulsam affert Joannis Citri Episcopi disputationem cœcutientis in hujus nominis assignanda etymologia. Quid fiat, explicat idem Goar ex Scriptoribus Græcis. Sunt videlicet quidam panni altarium ritu & vice consecrati, quibus à multis sæculis utitur Ecclesia Orientalis, cum Liturgiam celebrare contingit in altari non consecrato. Theodorus Balsamon in expositione can. 31. Concilii Trullani. *Ideo, inquit, reperta sunt Antimensia, & sunt à Pontificibus, quo tempore celebrant dedicationem Ecclesie, ut ponantur in sacris Mensis, quando permitti Antistitis oblatio Liturgie fit in Oratorio.* Et Manuel Charitopulus lib. 3. *juris Orientalis*, Antimensia non in omnibus altaribus poni docet, sed in his tantum, de quibus nescitur, an sint consecrata.

III. Templorum autem consecratio è veteri testamento ad novum, ab Apostolis ad successores emanavit; arque hunc ritum servavit Ecclesia totius Orientis & Occidentis consensu. Sunt qui Evaristo Papæ ejus originem adscribunt, sed multò certius est Apostolicum institutum esse, nisi dicamus ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab Antecessoribus acceperat. Aut fortè addidit ad veteres ceremonias, ut sine Missæ sacrificio Basilicæ non consecrarentur, ut ex illo referunt Canonum collectores. Alii ex adverso scribunt ante imperium Constantini Magni nullas fuisse Ecclesiarum dedicationes propter metum persecutionis; in quorum sententiam facilè ibo, si de publicis & solemnibus agant: si verò de privatis & clam peractis sermo sit, nullatenus illis consentire possum, nam veterum patrum testimonio jam supra evici, semper Christianos suas Ecclesias habuisse, quas ab Episcopis, Mosaicæ legis exemplo, & Apostolica institutione edoctis divino cultui certis ceremoniis consecratis, nemo certè negabit, cui perspecta sit in rebus etiam minoris momenti illorum temporum disciplina. S. Cæciliam inducias à Deo petiisse legimus, ut domus sua in Ecclesiam consecraretur, integro sæculo ante Sylvestrum. De aliis Ecclesiis Apostolicis temporibus Romæ dedicatis, diximus supra. Accedit huic assertioni robur ex eo quod scribit lib. 10. historiarum Eusebius Cæsariensis: describens enim lætum & tranquillum statum Ecclesie, postquam Constantinus Christianæ Religionis adscriptus fuit, emi-

casæ ait in omnium vultu divinam quandam hilaritatem, cum templa viderent paulò ante destructa rursus à solo in immensam altitudinem erigi, & longè majori cultu ac splendore, quàm illa, quæ prius demolita fuerant, nitescere. Et initio cap. 3. ait: *Votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebat, dedicationum scilicet festivarum per singulas urbes, & Oratoriorum recentium structurarum consecrationes.* Et post pauca. *Jam verò Antistitum absolutissimæ ceremonie, & accurata sacrificia Sacerdotum, & divini quidam augustique Ecclesie ritus hinc psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium, illinc divina & arcana obeuntium ministeria.* quibus verbis Eusebius lætitiæ Christianorum describit, consecrationes & sacrificia, quæ prius occultè fiebant, jam publicè peragi spectantium, cum maxima majestæte & solemnitate. Tantæ verò religionis hæc consecratio fuit, ut impius ac penè sacrilegus haberetur, si quis in ecclesia nondum consecrata synaxim fecisset. Nihil clarius ad hoc probandum quàm S. Athanasii Apologia ad Constantium, cuius potissima pars in eo versatur, ut se purget apud Imperatorem, quod in ecclesia nondum absoluta & consecrata sacrificium celebrasset. Cur autem oleum in altaris consecratione adhibeatur, edisserit grandiloquo sermone Dionysius in fine cap. 4. *Ecclesiasticæ Hierarchie*, ex quo hujus moris antiquitas demonstratur: Finis non erit, si in his immorari, & calamo indulgere voluero. Sisto igitur, & ad veterem templorum structuram transeo, cuius notitia necessaria est, ut veteris Ecclesie ritus facilè percipi possint.

IV. Christianorum templa sic olim erant disposita, ut veteris Templi Hierosolymitani, quantum fieri poterat, similitudinem quandam præ se ferrent, & ad illius formam proximè accederent. Ea constabant variis membris & ædificiis, quæ si vellem singillatim describere, nimis in longum hic liber protraheretur. Multæ enim occurrunt in eorum explicatione difficultates, quæ Eruditorum torquent ingenia, nec facilè expediti possunt. Prolixis igitur ac fere inutilibus disputationibus omissis, ea breviter attingam, quæ ad propositum mihi argumentum spectant. Quæ fuerit ecclesiarum forma ante Constantinum, incertum est; nam Eusebius, qui eas jussu Diocletiani solo æquatas scripsit, earum formam non descripsit. Credibile tamen est, piissimum Principem amplioribus quidem spatiis eas instaurasse, sed ex iis quæ destructæ fuerant, ædificiū typum sumpsisse, qui in veterum Scriptorum lucubra-



cubrationibus usque in hodiernum diem perstat. Eusebius *lib. 3. de vita Constantini cap. 34. & sequentibus*, Templum Hierosolymis ab eo constructum graphicè pingit. Fufius autem & accuratius *lib. 10. historiarum cap. 4.* aliud templum cum omnibus suis ædificiis describit, quod in urbe Tyro magnificè erexit illius civitatis Episcopus Paulinus, cui idem Eusebius hoc mirabile ecclesiasticæ historiæ opus dedicavit, ut ex initio huius libri decimi apparet. Gregorius quoque Nazianzenus Ecclesiam, quam pater Nazianzi extruxerat, eleganter expressit oratione quam in funere ipsius patris recitavit. Paulinus item Nolanus exactam Basilicæ delineationem nobis reliquit. *ep. 12. ad Severum, & Natali 9. ac 10. S. Felicis.* Ex his & aliis Antiquorum monumentis apertè colligitur, Græcorum & Latinorum templa ejusdem olim schematis fuisse: & primò quidem, quod attinet ad situm, ita erant disposita, ut ad ortum solis æquinoctialem verterentur. Tertullianus testis est in *Apologetico cap. 16. Indo suspicio quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari.* Et *adv. Valentinianos cap. 3.* alludens ad Christianorum ecclesias, ut ipsimet Sæctarii agnoscunt, ait: *Nostra columba domus simplex, editis semper & apertis & ad lucem. Amat figuram Spiritus Sancti Orientem.* Auctor libri *Apostol. Constit. lib. 2. cap. 61. Ecclesia sit longa ad instar navis ad Orientem conversa.* Eusebius templum Paulini testatur sese ad radios Solis orientis aperuisse. *Isidorus lib. 15. Origin. cap. 4. Antiqui, quando templum construerebant, Orientem spectabant æquinoctialem, ut qui deprecaretur reftum aspiceret Orientem.* Sed de hac re ejusque causis fufius egi in *Tract. de divina Psalmodia cap. 6. §. 2.* Hic autem mos adeò exactè à Monachis nostris olim servabatur, ut non solum majus altare, sed & reliqua omnia ad Orientem versa sint. Paulinus tamen Nolanus *epist. 12. asserit, se in Basilica quam ædificavit hunc morem neglexisse.* *Prospectus, inquit, Basilicæ, non ut usitator mos est, Orientem spectat, sed ad Domini mei B. Felicis Basilicam pertinet, memoriam ejus aspiciens, quod verò non omnia altaria, quæ in eadem ecclesia sunt, ad ortum respiciant, sic excusat Walfridus Strabo cap. 4. Cognoscimus non errasse illos vel errare, qui templis vel noviter Deo constructis, vel ab idolorum squalore mundatis propter aliquam locorum opportunitatem in diversas plagas altaria statuerunt, quia non est locus ubi non sit Deus. Verissima enim relatione didicimus in Ecclesia, quam apud Eliam Constantinus Imperator*

*cum Matre Helena super sepulchrum Domini miræ magnitudinis in rotunditate constituit: itemque Romæ in Templo, quod ab antiquis Pantheon dictum à B. Bonifacio Papa, permittente Phoca Imperatore, in honorem omnium Sanctorum consecratum est: in ecclesia quoque B. Petri principis Apostolorum, altaria non tantum ad Orientem, sed etiam in alias partes esse distributa. Hæc cum secundum voluntatem vel necessitatem fuerint ita disposita, improbare non audemus. Sed tamen usus frequentior & rationi vicinior habet in orientem orantes converti, & pluralitatem maximam Ecclesiarum eo tenore constitui. Narrat Præcopius *lib. 1. de bello Persico cap. 17. Dianæ & Iphigeniæ templa in urbe Comana Deo à Christianis consecrata fuisse, nihil immutata structura: in quibus, aliisque similibus necessarium fuit ad veterem situm altaris constructionem accommodare.**

V. Partes verò seu membra præcipua cujusque templi quædam fuerint, præcitati auctores docuerunt. Prima pars Atrium seu vestibulum dicebatur, spatium scilicet clausum, amplum, & quadratum, porticus habens columnis sustentata vel in omnibus lateribus, vel in tribus aut duobus, sive in uno dumtaxat ante aditum Basilicæ, & desuper extructas cellas. Medium erat sub dio positum patenti planitie, & ante fores aquæ salientes, seu putei & canthari ac conchæ, ne Christiani illotis manibus templum adirent. Eusebius in descriptione templi à Paulino extructi: *Hic, ait, sacrarium expiationum signa posuit, fontes scilicet ex adverso Ecclesie structos, qui interiori sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent. Eidem lotioni positum fontem in atrio Basilicæ Vaticanæ Paulinus Nolanus commemorat *epist. 33. ad Alethium, ubi cantharum ministra manibus & oribus nostris fluentia ructantem fastigiatus solido ære tholus ornat, & inumbra, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens. Idem *epist. 12. ad Severum,***

*Sancta nitens famulis interluit atria lymphis  
Cantharus, mirantum que manus lavat amne  
ministro.*

Ita Leo Magnus fontem cum cantharo ante Basilicam S. Pauli condidit addito hoc epigrammate,

*Vnda lavat carnis maculas, sed crimina purgat,  
Purificat que animas mundior amne fides.  
Quisque suis meritis veneranda sacraria Pauli*



*Ingrederis, supplex abluē fonte manus.  
Perdiderat laticum longæva incuria cursus,  
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.  
Provida Pastoris per totum cura Leonis  
Hæc ovibus Christi largæ fluentia dedit.*

Meminit etiam aquæ lustralis in vestibulo templi Synesius Episcopus *epist. 121.* & ubi fontes, aut putei haberi non poterant, fodiebantur cisternæ, ut Paulinus testis est *Natali 9. S. Felici* in descriptione templi à se constructi.

*Forfitan hæc inter cupidus spectacula quæras,  
Vnde replenda fit hæc tot fontibus arca dives,  
Cum procul urbs, & ductus aquæ prope nullus ab  
urbe*

*Exiguam huc tenui demittat limite guttam.  
Respondebo: nihil propria nos fidere dextra,  
Nil ope terrena confidere: cuncta potenti  
Deposuisse Deo, & fontes præsumere cælo.  
Denique cisternas adstruximus undique testis,  
Capturi fundente Deo de nubibus amnes,  
Vnde fluant pariter plenis cava marmora labris.*

Hodie in atrii Basilicarum conchæ & labra ponuntur, & aquâ sale conspersâ, ac sacerdotali benedictione sanctificatâ replentur, qua fideles frontem aspergunt, cum templum ingrediuntur. Hujus autem aquæ usum ab Apostolica traditione emanatum, & Alexandri I. decreto stabilitum docet Baronius anno 132. Porro in porticu ante fores ecclesiæ stabant Pœnitentes primi ordinis, de quibus supra actum est *Cap. XVII.* Erat & ibidem locus egenis stipem mendicantibus attributus: licet enim illis, sicut & cæteris fidelibus, precum causâ templi fores paterent, non tamen intus ab orantibus eleemosynam petere permittebantur, ne sacra agentibus, Deumque precantibus molesti essent. Propterea, ait Chrysostomus *hom. 28. ad Populum Antioch. ante Ecclesiæ & Martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, ut nos ex hujusmodi spectaculo multum capiamus utilitatis.* Et Gregorius Nazianz. *orat. de amore Pauperum, Petitionum gemitus internis templi cantibus ex adverso respondet, atque adversus mysticas voces miserabilis luctus excitatur.*

VI. Secunda pars ipsa aula Basilicæ erat, ad quam patebat aditus per tres portas, quarum media magnitudine & ornamentis alias superabat. Proximus januæ intra Ecclesiam occurrit Narthex, locus in quo primum viciniore portæ infideles, tum Catechumeni, & Pœnitentes se-

cundi ordinis commorabantur. Post Narthecem sequitur Naon sive ipsum templum cancellis vel tabulatis à Narthecē separatam, in quo stabant inferiore partem occupantes Pœnitentes tertii generis: post quos manebant Fideles servatâ sexus & ordinis distinctione, nam viri à mulieribus, virgines à nuptis, Monachi à Secularibus separati erant. Pœnitentes quarti gradus orabantur cum fidelibus, à Sacramentorum participatione abstinentes, donec plenariam absolutionem consequerentur. His Eligius Noviomensis in sinistra parte templi stationem assignat *hom. 8. ad Pœnitentes: Cur ergo in sinistra parte ecclesiæ positi estis? Non sine causa usus Ecclesiæ hoc obtinuit, sed quia Dominus in iudicio oves, hoc est justos, à dextris; hædos vero, id est peccatores, à sinistris ponet.* Mulieres autem à viris vetustissima consuetudine segregatas clarissimè ostendunt Philo *de vita supplicum, Constitutiones Apostolicæ lib. 2. cap. 61.* Augustinus *de Civit. Dei lib. 22. cap. 8.* Cyrillus Hierosolymit. *in Præfatione Catecheseon, Ordo Romanus, & alii quos in re nemini ignota inutile est recensere.* Virgines quoque seorsum à nuptis stetitisse Origenes docet *tract. 26. in Matthæum: Venit, inquit, ad nos traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, ubi virginibus quidem consistere licet & orare Deum; exparte autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere.* Consentit Ambrosius *ad Virginem lapsam cap. 6. Quomodo tibi actu illo ignominioso non veniebat in mentem habitus virginis? Et paulo post. Nomen vel illum locum tabulis separatam, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiose matronæ & nobiles certatim currebant tua oscula petentes quasi sanctioris & dignioris? Alicubi invenio datum locum mulieribus in sublimi specula propè testudinem clathris interpositis, ut à virorum consortio, & colloquio subducerentur.* Narrat Amphilocheus præcepisse Basilium, ut vel a speculis suspenderentur, & si quæ mulier deprehensa esset caput emittere ad respiciendum, dum sacra agebantur, extra communionem fieret. Dicitur quoque idem Basilium apud Amphilocheum, sive Chrysostomus, ut alii scribunt, Diaconum sibi ministrantem ab altari submovisse, eo quod mulierem sursum in tabulato manentem procaciter inspexisset. Favet Gregorius Nazianzenus *in somnio de templo Anastasii* his verbis de seipso concionante:

*Denique virginis cæcus, matronæ & honestæ,  
Et cæcis aures ad mea verba dabant.*

Nec



Nec solum dum starent in Ecclesia, sed etiam dum irent, hæc virorum & mulierum distinctio servabatur. *Confluunt populi ad Ecclesias, ait Augustinus lib. 2. de Civit. Dei cap. 28. casta celebratè, honesta utriusque sexus discretione.* Erat enim in illis, ut sapienter scribit Tertullianus de præscript. cap. 43. *gravitas honesta, apparitio devota, & processio modesta.*

VII. Tercia pars Sanctuarium, sive Sacrarium, vel Presbyterium complectebatur, quod erat sub aspide cancellis vel parietibus conclusum. In eo altare majus eminebat, & aliud minus, quod Græci *Prothesim* vocant, in quo dona præparantur. Erant & Clericorum ac Presbyterorum subsellia pro cuiusque gradu & dignitate, & in loco editiori sedes Episcopalis, quam Prudentius *Hymno de S. Hippolyto* sublime tribunal vocat, & Nazianzenus in *sepe citato somnio* sublimem thronum. Ideo autem altior erat, ut ex ea posset Antistes populum monere, circumspicere, & custodire. *Nunquid aliud, ait Ambrosius lib. de dignit. Sacerdotali cap. 6. interpretatur Episcopus, nisi super inspector? Maxime cum in solo in Ecclesia editiore sedeat.* Hunc ipsum thronum in altissimo loco positum à Paulino Tyrio asserit Eusebius, cum magnificentum ejus templum describit. Id verò ex Apostolica institutione habet Ecclesia, nam idem Eusebius *lib. 7. hist. cap. 19.* thronum seu cathedram Jacobi Apostoli primi Hierosolymorum Episcopi adhuc suis temporibus extantem à fidelibus coli summa veneratione testatur. quod si Patres Concilii Antiocheni apud Eusebium *lib. 7. cap. 30.* Paulum Samolatenum reprehenderunt, quod altum sibi thronum in Ecclesia statuisset: Si Severus Sulpitius *Dialogo 2. celsa sede residentes Episcopos arguit: illos tantum hæc objurgatio castigat, qui modum excedentes ac veluti in folio regali sedentes tyrannicam sibi in Clerum dominationem usurpabant.* In ipsum autem Presbyterium nefas olim fuit secularibus ingredi, ut Germanus Constantinopolitanus docet, hanc sacratiorem templi partem latissime explicans, in *Theoria rerum Ecclesiasticarum.* Vetuit hoc Concilium Turonense *II. can. 4.* statuens, ut pars illa, quæ à Cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium Clericorum pateat. Ad orandum verò & communicandum Laicis & Fœminis, sicut mos est, pateant Sancta Sanctorum. quem canonem Capitulari suo inseruit Carolus Magnus *lib. 7. cap. 203.* Hoc idem sancivit Syno-

cus Romana sub Eugenio II. *c. 33. Ut nulli Laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes, reliquæ Clerici consistunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur consistere, ut libere ac honorifice possint sacra officia exercere.* Repetit hoc Decretum in sua Synodo Leo IV. & addit, ne secularis intra sacros Cancellos tentent accedere, nisi Episcopo permittente. At Ambrosius Mediolanensis ne Theodosio quidem Imperatori hoc permittere voluit, ut narrat Theodoretus *lib. 5. cap. 17.* Sozomenus *lib. 7. cap. 24.* & Nicephorus *lib. 12. cap. 41.* Synodus Trullana *can. 69.* nemini licere edixit intra septa altaris ingredi, excepto Imperatore, cum dona sua offerre vellet. Solius igitur oblationis causâ id permittitur Imperatori, sed crescente licentia & disciplina corruente, etiam thronum in sacrario Imperator sibi erexit Patriarchali sublimiorem. In Gallia negatum Laicis oblationes ferre ad altare, sed Sacerdos vel Ministri extra septa egrediebantur, ut eas ab illis acciperent: aliquando tamen id solis fœminis vetitum, non autem viris, ut docet Lupus in notis ad citatum canonem Trullanum. Plura de templis eorumque structura & ædificiis scire cupienti, abundè satisficient, Leo Alatus in tractatu *de Narthece veteris ecclesie, & de templis recentiorum Græcorum,* itemque in dissertatione *de Solea veteris Ecclesie edita inter ejus Symmilita,* de qua etiam diffusè agit vir eruditissimus Petrus Possinus in *Glossario tom. 1. Georgii Pachymæris: Julius Cæsar Bulegerus Opusc. de templo; Jacobus Goar in notis ad Euchologium pag. 13. & sequentibus: Joannes Dartis in Comment. Decreti de consecr. dist. 1. tract. de Ecclesiis, earumque origine & forma.* Legendus quoque Procopius de ædificiis Justiniani, qui *lib. 1.* templum S. Sophiæ & S. Michaelis in Anaplo describit, & *lib. 5.* templum Deiparæ Hierosolymis magnificentissime constructum. Structuram verò S. Sophiæ fusiùs exprimit Georgius Codinus *lib. de originibus Constantinopolitanis;* cujus etiam extat elegans descriptio versibus exametris in Codice Græco-M. S. Palatino Bibliothecæ Vaticanæ, quam nuper edidit, ac eruditissimis commentariis illustravit Carolus du Fresne. Nobis ad alia properantibus ista sufficiunt.



## C A P U T XXI.

*Sacrificium non nisi à Sacerdote jejuniò celebrandum. Aliquando tamen sumpto cibo oblatum. Sublatus hic abusus à Conciliis cum duplici exceptione. De Missis matutinis & vespertinis. Quae fuerint Missae nocturnae. Diversae olim horae Missarum solemnibus assignatae pro dierum diversitate. Cur diebus jejuniorum dilatata quandoque Missa usque ad vespeream. Quae nunc horae Missae solenni & privatae tributa sint.*

I. **Q**UAMVIS Christus de hoc mundo discessurus ad Patrem post esum Agni & communem cum discipulis coenam, adimpletis legalibus ceremoniis, ac sine imposto antiquis sacrificiis, novum sui corporis & sanguinis Sacramentum instituerit; Ecclesia tamen ejusdem magisterio edocta praecipit, ut hoc mysterium non nisi à Sacerdotibus jejuniis celebraretur; nec à fidelibus, nisi sint jejunii, perciperetur. Optime Gregorius Nazianzenus orat. 40. docens non omnem Christi actionem à nobis imitandam esse, *Ille, inquit, Paschalis mysterium discipulis in coenaculo tradidit, & post coenam: nos in templis & ante coenam.* Jejunii scilicet, ut explicat Nicetas in Commentario. Cui Consonans Augustinus epist. 118. ait: *Liquid apparet, quando primum acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod à jejuniis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut canati Fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit & emendat; mensis suis ista miscere. Namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit artius infigere cordibus & memoriae discipulorum, à quibus ad Passionem digressurus erat. Et ideo non praecipit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos ecclesiam dispositorus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod cum morem nemo variasset. Eiusdem consuetudinis testis est Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 5. *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur.* Cyprianus*

idipsum confirmat epist. 63. *Christum offerre oportebat circa vespeream dici, ut hora ipsa sacrificii veteris Testamenti ostenderet occasum, & vespeream mundi. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus.* Consentunt passim antiqui Patres: Basiliius hom. 1. de jejuniis. *Neque enim fieri potest, ut absque jejuniis quisquam sacris operari audeat.* Chrysostomus hom. 27. in epist. 1. ad Cor. *Tu prius quam communices jejunas, ut quomocumque communionem dignus appareas.* Idem serm. 9. ad Pog. Antioch. hortatur non jejunos, qui quadam moti superstitione ad ecclesiam non accedebant, ut cum ceteris convenirent, non Domini corporis, sed divinatorum eloquiorum participes futuri. Et epist. 125. scribens ab exilio Cyriaco Episcopo adversus suos calumniatores, *Dixerint, inquit, quod ad communionem non jejunos receperim. Et si quidem hoc feci, expungatur nomen meum ex libris Episcoporum, & non scribatur in libro fidei Orthodoxae, quoniam ecce & si quid tale admisi, abjiciat me etiam Christus e regno suo.* Paschasius Radbertus lib. de sanguine & corpore Domini cap. 20. *Sacramentum fuit, quod Dominus post Coenam Apostolis hoc tradidit. Sic enim illud oportebat impleri circa finem diei ad vespeream, ut hora ipsa sacrificii ostenderet jam finem saeculi advenisse. Porro Apostoli ideo jejuni jam non erant, quia necesse fuit, ut Pascha illud typicum prius completeretur, deinde ad verum Paschae Sacramentum transiret. Ceterum universaliter in Ecclesia omnes cum summa religione jejuniis communicare consueverunt.*

II. Et haec quidem vetus institutio fuit, sed non semper, nec ab omnibus custodita. Mos enim quidam praevaluerat in Africa, qui vivente Augustino adhuc vigeat, ipso testante epist. 118. ut in die anniversaria, qua coena Domini recolitur, Sacramenta altaris vespere sumpto cibo celebrarentur. De qua re in codice canonum Ecclesiae Africanae extat can. 41. Ex Concilio Carthaginensi celebrato anno Domini 397. his verbis: *Vt Sacramenta altaris non nisi à jejuniis hominibus celebrarentur, excepto uno die anniversario, quo coena Dominica celebratur.* Hunc autem morem synodus Trullana abrogavit can. 29. dicens sanctos Patres tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones ecclesiae utiles ea dispensatione usos fuisse: ceterum oportere deinceps Apostolicas & paternas traditiones sequi. Idem sancitum antea fuisse à synodo Laodicensi c. 50. notant plerique; verum citatus canon adversus illos editus est, qui feria quinta praedicta jejuniis solvebant. Refert Socrates lib. 5. hist. eccl. cap. 21. abusus celebrandi sumpto cibo in Aegyptum latius irrepisse.



psisse. *Egyptii*, inquit, qui *Alexandrinis* finitimi sunt, & illi qui *Thebaidem* incolunt, sabbato synaxin exequuntur, illi quidem, sed non ut mos fere, Christianorum mysteria participant. Nam ubi epulati sunt, & variis cibariis saturarunt, sub vesperum oblatione facta mysteriis communicant. Idem narrat *Sozomenus lib. 7. cap. 19.* & *Nicephorus lib. 12. cap. 34.* Ab eodem abusu Galliam non fuisse immunem indicat *can. 9.* secundæ synodi *Matisconensis* decernens, ut nullus Presbyter confertur cibo, aut crapulatus vino sacrificia contradere, aut Missas privatis festisque diebus concelebrare presumat. Injustum est enim, ut spirituali alimento corporale preponatur. Sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris. Jam enim de tali causa & in conciliis Africanis definitum est. Confirmat deinde citatum canonem concilii *Carthaginensis* cum exceptione diei cœnæ *Dominicæ*. In *Hispania* vero hanc ipsam corruptelam hæretici *Priscillianistæ* introduxerunt, quæ in concilio *Bracarensi* primo *cap. 16.* & in secundo *can. 10.* describitur & damnatur. Quod si illo die, ut rectè *Strabo* argumentatur *cap. 19.* post prandium communicare non licet, cui & exemplum *Domini* & quorundam assensus suffragari videbatur; multò minùs aliis temporibus licet, quibus horum neutrum cognoscitur attributum. Alius item mos apud quosdam Sacerdotes invaluerat, ut in exequiis defunctorum non jejuni & vespere celebrarent, quia nimirum sepulturæ non solebant inferri, nisi prius sacrum pro ipsis præsentè cadavere ageretur. Id venit citato canone *Synodus Carthaginensis* decernens solis orationibus defunctorum sive *Episcoporum*, sive cæterorum commendationem pomeridiano tempore fieri; si sacerdotes jam præsi inveniuntur. Idem statuit *Bracarense II. can. 10.* Patres verò *Concilii Nannentensis* sive *Agathensis*, ut refert *Gratianus c. Presbyter, dist. 91.* præceperunt Sacerdotem manere jejunum usq; ad statutam horam, ut necessitatibus defunctorum succurrere posset. Eadem jejunii lex ministris quoque altaris indicta fuit à *Conc. Antiodorensi a. 578. c. 19.* Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono post acceptum cibum vel poculum Missas tractare, aut in ecclesia dum Missæ dicuntur, stare. Cujus canonis ratio est, quia per id tempus nefas erat quemquam de clero sacrificio inservire vel aditare, nisi simul cum sacerdote communicaret. A regula autem non communicandi violato jejunio duo casus excipiuntur. Primus est, cum imminente mortis periculo lumen di Viatici necessitas urget. Alter, si sacerdos cele-

brans repentina correptus infirmitate deficiat, tunc enim si mysteria consecrata sunt, alius Sacerdos etiam non jejunus inchoatum sacrificium perficere debet. Primum casum comprobat praxis Ecclesiæ ubique recepta: de secundo sic sancivit *Concilium VII. Toletanum c. 2.* Censuimus convenire, ut cum à Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo ceptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii capri. Et post pauca. Notamen quod naturæ languoris causâ consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum potumque quamlibet minimum sumptum Missas facere; nullus absque potentis proveniunt molestie minister, vel Sacerdos, cum cæperit, imperfecta officia presumat omnino relinquere. Si quis hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit. *Concilium* postea *Toletanum XI. c. 14.* ad præcavendos hujusmodi casus instituit, ut ubi temporis, vel loci, sive Cleri copia suffragatur, habeat semper sacrificans vicini solaminis adiutorem, qui ejus vices exequatur.

III. Verus igitur & Apostolica traditio est, ne quis audeat ad divina mysteria non jejunus accedere. Contrarium abusum concilia & Patres tanquam summum crimen ab Ecclesia sustulerunt, gravissimâ anathematis, & depositionis interposita poena. quod si legentibus antiquos Patres occurrant nonnunquam Missæ vespertinæ sive nocturnæ, nihil ex his inferre licet, quo præscripta sacrificantibus jejunii lex convelli queat. Certum est enim, quod primis Ecclesiæ sæculis aliquando bis in die Synaxes factæ sunt, exemplo forsitan *Synagogæ*, quæ matutinum & vespertinum sacrificium offerebat: quamvis enim ea lex abrogata esset, non est tamen improbable, quod ad novum testamentum in Ecclesiæ primordiis translata aliquandiu fuerit; legalia siquidem paulatim extincta sunt, nec statim veterum rituum oblivisci potuerunt, qui erant ex Circumcisione fideles. Erant & aliæ Missæ vespere, & noctu peractæ, quarum usus, ut mox videbimus, per aliquot sæcula in Ecclesia permansit. Sed hinc deduci nullo modo potest, quod tunc Sacerdotes non jejunii offerrent: & si aliqui sumpto cibo sacrificabant, hoc ad abusus pertinet, qui sensim irrepserant, vel ex ignorantia Ecclesiasticæ legis & Apostolicæ traditionis, vel ex pravitate hæreticorum, qui præscriptos canones dedita opera violabant, vel ætatis ille mos ad solum diem *Dominicæ*



minicæ coenæ, aut respicit tempus persecutionis, quo necessitas legem vincebat. Tertullianus *de corona militis cap. 3.* utrumque sacrificium matutinum & vespertinum commemorat his verbis. *Eucharistiæ sacramentum est in tempore vitæ & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu prestantium sumimus.* Ac si diceret, *Tempore vitæ, id est coenæ,* qua hora Christus hoc mysterium instituit, Eucharistiam sumimus; atque etiam *antelucanis cætibus,* & consequenter ante omnem cibum. Clarius Cyprianus *ep. 63. ad Cæciliam* de utroque sacrificio agit, redarguens Aquarianorum errorem, qui semel mane, semel vespere solebant offerre; sed in sacrificiis matutinis solam aquam, ne vinum redolerent: in vespertinis, quia post coenam, vinum mixtum aqua offerrebant. Utrumque autem morem reprobat tanquam absurdum, & Divinæ atque Apostolicæ traditioni contrarium. Similiter Augustinus *epist. 118.* respondens Januarii inquisitionibus, morem hunc bis offerendi mane & vespere viguisse docet in Africa in solo die anniversario Dominicæ coenæ: *Quæris, inquit, quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat, an offerendum sit mane, & rursum post coenam: an jejunandum & post coenam tantummodo offerendum: an etiam jejunandum & post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum.* Respondet autem, quod si divina Scriptura, quid sit faciendum, præscribit, ita procul dubio faciendum ut legimus: & si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insanix esse. Tum ait casum propositum nec definitum in Scriptura, nec universalis Ecclesiæ consuetudine firmatum; sed ex eorum genere esse, quæ per loca & regiones variantur. Quamvis enim Ecclesiæ more receptum esset, quod mysteria semper à jejuniis celebrarentur, nonnullos tamen probabilis quædam ratio delectavit, ut eo die quo coena Domini recolitur, post cibum offerri & accipi deceat corpus & sanguinem Christi, ranquam in insigniorem commemorationem mysterii ab ipso post legalem coenam instituti; quibus contradicere sanctus Pater non audet. Cur verò ipsa die mane & vespere oblatio fieret, ex eo putat institutam, quod quidam eadem die corpus lavabant & prandebant, & propter illos mane offerrebatur, vespere autem propter jejunantes. Missas quoque matutinas, & vespertinas reperimus in Concilio Agathensi *c. 30.* & in tertio

Aurelianensi *c. 28.* eo sensu quo nocturnam Missam apud Cassianum, usurpato nomine Missæ non pro Liturgia, sed pro populi dimissione, quacumque hora & ad quamcumque ecclesiasticam functionem convenit, ut supra *Cap. II.* explicavimus. In quibusdam ecclesiis usus Missæ vespertinæ permanerat in vigiliis aliquarum festivitatum, solebant enim Missam nocturnam Nativitatis Domini, & matutinam quam nonnullæ ecclesiæ in diei Resurrectionis aurora celebrabant, in vigiliis earundem festivitatum vespere solemniter agere. Has autem & alias quascumque ejusdem generis sustulit Pius V. constitutione quarta revocatis omnibus privilegiis, & apposita poena suspensionis.

IV. Missas nocturnas plures olim fuisse veterum monumenta declarant: at ex his ea sola permansit, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur. Tribuitur ejus institutio Telesphoro Romano Pontifici, qui martyrio coronatus est anno 154. cujus decretum refert Gratianus *c. Nativitate sancta, de consecr. dist. 1.* Sed epistola decretalis Telesphori, è qua canonem Gratianus excerptit, suppositicia est, nam præter alia argumenta id evidenter ex eo concluditur, quod pervigilium, & pernoctatio, imò & ipsa festivitas Nativitatis multis annis post Telesphorum stata die coli coeperunt, nempe sub Julio I. ut Florentinus in notis ad suum Martyrologium diffusè probat *Exercit. 2.* Missæ autem nocturnæ hujus diei, sicut & aliarum quæ diluculo, & hora tertia dicuntur, meminit Gregorius M. *in lib. Sacramentorum & hom. 8. in Evangelia.* quod verò Abnalhassatus Cophita *cap. 15. consuet. Aegyptiacarum,* citatus ab Abrahamo Ecchellensi *in præfatione concilii Nicæni quam ex Arabico in Latinum transfudit, pag. 62.* à Patribus ejusdem Concilii sancitum fuisse ait, ut in die Nativitatis & Epiphaniæ Missa nocturna ageretur, aliis examinandum relinquo. Hæc forsitan fuit Cophitorum traditio, postquam festum Nativitatis, quod die sexta Januarii simul cum Epiphania in plerisque regionibus agebatur, ab ipsa sejunctum est. Est & alia quædam Missa nocturna, nisi quis velit eam potiùs matutinam nuncupare, in quibusdam Provinciis, præsertim in Polonia, & Germania hodie usitata, tribus vel quatuor horis ante lucem, quæ ab initio Introitus Missæ *Rorate* nuncupatur, & in adventu Domini ad honorem B. Virginis cum ingenti solemnitate cantatur. Reliquæ Missæ nocturnæ abierunt in desuetudinem, quarum præcipua erat Missa Sabbati sancti pertinens ad diei sequentis noctem,



tem, in qua Christus creditur resurrexiffe. Hieronymus in *Matth. cap. 25.* traditionem Apostolicam fuisse ait, ut in die Vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat. Eiusdem moris testis est Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 4. *Quis solemnibus Paschæ abnotantem securus sustinebit? Antiqui*, ait Hugo Victorinus lib. 3. de specialibus Missæ observat. cap. 21. *jam ferè transacto die Sabbati Officium hoc celebrarunt: Sed modernorum debilitas ad epulas festinam tempus prævenit destinatum.* Puto autem quod ritus paulò ante Hugonem alicubi cœperit immutari. Ipse enim obisse dicitur anno 1140. At Concilium Claromontanum anno 1095. can. 26. statuit ut in Sabbato Sancto jejunium circa noctem protrahatur: & Guil. Durandus, vivebat anno 1280. lib. 6. *Rationalis cap. 76.* veterem ritum in quibusdam Ecclesiis usque ad sua tempora permanisse asseverat: idemque de suo tempore, post annum scilicet 1400. asserit Thomas Valdensis cap. 25. *Tom. 3. Doctrinalis.* Theodorus Balsamon in can. 90. *Trullanum* scribit Christianos religiosiores toto illo Sabbato in ecclesia manere solitos, & sexta noctis hora, id est media nocte divinis Sacramentis communicare, & hora septima ejusdem noctis Psalmodias matutinas audire. Idem statuit Ordo Romanus, non dimittendum scilicet populum ante mediam noctem, & in ipsa nocte matutina luce erumpente redeundum esse in ecclesiam ad nocturnas vigiliis Paschæ celebrandas. In Monasteriis verò signa pulsari jubet, cum prima stella in cœlo visa fuerit, & tunc cantari Litaniam, ac postea ad Missam procedi. Quod autem præcipit Ordo Romanus, Ecclesia quoque Gallicana servabat, teste Amalario lib. 4. cap. 20. *In Sabbato Sancto*, inquit, *expectant omnes jejuni usque ad noctem, quando Missa celebratur Resurrectionis Domini.* Et infra cap. 40. *In nocte sancta Resurrectionis Domini Missam celebramus propter eandem Resurrectionem, quæ in ea completa est.* Nunc circa meridiem hanc Missam canimus, sed quamvis hora anticipetur, non sunt tamen mutata orationes, in quibus noctis mentio fit. Dicimus enim in collecta, *Deus qui hanc sacratissimam noctem gloria Domini Resurrectionis illustras.* Et in præfatione; *In hac potissimum nocte: & infra actionem, Communicantes & noctem sacratissimam celebrantes.* Quater item in anno, in Sabbatis nimirum quatuor temporum Missa noctu celebrari consuevit, sicut Leo primus testatur epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum; *Quod à Patribus nostris propensiore cura*

*novimus esse servatum à vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotibus vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati lucefcit, exordia debiganur.* Quod ejusdem observantia erit, si mane ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio, celebretur. Ideò ut notat Micrologus cap. 29. *quatuor dominicæ quæ hujusmodi jejunia proximè subsequuntur, in libris Sacramentorum vacantes prætitulantur, eo quod propriis careant officiiis.* Hæ autem Dominicæ antiquitus ab officio vacabant, quia celebratio Ordinationum juxta decreta sanctorum Patrum tam serò fiebat in Sabbato, ut potius Dominicæ, quam Sabbato adscriberetur. Hinc etiam præcepit Ordo Romanus, ne sabbato quatuor Temporum in Quadragesima oratio super populum diceretur, quæ reverà carent antiqua Missalia, quia ad illam & capita & genua fledebant fideles, quod die Dominico nefas erat. Concilium Claromontanum c. 24. de his Sabbatis ita sancivit: *ut protrahatur jejunium usque ad vespertas; & si fieri potest usque in crastinum, ut magis appareat in die Dominico ordines fieri.* Alia Missa nocturna acta olim est in vigilia Pentecostes, in ipsa scilicet nocte quæ lucefcit in Dominica, ut notat Menardus ad lib. Sacrament. pag. 161. At ordo Romanus statuit sic officium in hac vigilia disponi, ut hora octava diei ingrediantur ad vigiliis vel Missarum solemniam, & hora nona expleta omnia consummentur. Certum est, etiam noctu ad Missas convenisse fideles, cum Tyrannorum persecutio vexabat Ecclesiam, de qua re notissima est Tertulliani sententia lib. de fuga in persecut. *Si colligere interdium non potes, habet noctem.* Et ad uxorem l. cit. *Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit à latere suo adimmi libenter feret?* Eidem suffragatur Prudentius in hymno de S. Laurentio.

Hunc esse vestris Orgiis  
Moremque & artem proditum est,  
Libent ut Auro Antistiter.  
Argentis scyphis ferunt  
Fumare sacrum Sanguinem,  
Auroque nocturnis Sacris  
Adflare fixos cereos.

Subscribit Augustinus epist. 86. ad Casulanum, in qua differens de his, quæ Lucas in Actibus Apostolorum narrat Paulo accidisse cum esset Troade, ait: *Post peractum diem Sabbati noctis intro fuerant congregati, quæ utique nox jam ad diem*

H h h

Domi-



*Dominicum, hoc est ad unam Sabbati pertinebat; & ita eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in sacramento Corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post sacramenta celebrata rursus usque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multum festinabat, ut luceſcente proficeretur Dominico die. Huc etiam pertinent coetus antelucani, propter quos natio Christianorum latebrosa & lucifugax dicebatur, de quibus Plinius lib. 10. ep. 97. ad Trajanum scribit, quod soliti essent statò die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. In his autem conventibus sacramentorum celebrationem non defuisse ex moribus illius sæculi manifestum est.*

V. Reddita postmodum Ecclesiæ pace certa hora rei divinæ celebrationi tributa est, diversa tamen pro dierum Temporumque diversitate. Scribit Anastasius in vita Telephori, ipsum constituisse, ne quis præsumeret ante cursum horæ tertiæ Missas celebrare, quod decretum referunt Amalarius lib. 3. cap. 42. & Strabo c. 23. Sed hos decepit Pseudo-Isidorus, qui primorum Pontificum Epistolas decretales aſu temerario finxit, totique Ecclesiæ tanquam legitimas merces obtulit. Quid enim magis alienum à conditione illius sæculi, quo Christiani furentium Imperatorum gladios declinantes summo studio latitabant, quàm hujus legis editio, quæ nullo modo poterat observari? Nocturnæ & in occultissimis locis convenisse fideles ad Synaxin supra citatus Tertullianus nos docet, qui aliquot annis post Telephorum florere coepit imperante Severo; nec aliter sanè poterant, ut & dignitati Sacrificii, & propriæ vitæ securitati prospicerent. Probabilis igitur sententia est, magisque congrua, quam refert Baronius anno 382. hanc tertiæ horæ præfixionem à S. Damaso sancitam fuisse ex præscripto, ut ajunt, canonis Nicœni, qui tamen non extat. Hanc autem horam quolibet die festo servatam semper fuisse veterum Patrum pervincit auctoritas, quamvis Concilium Aurelianense tertium c. 14. refragari videatur, id servari præcipiens in præcipuis dumtaxat solemnitatibus, ob aliquam fortassis illarum partium specialem rationem, vel consuetudinem, quæ tunc temporis vigeat. Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 17. Cuius peccato vigiliarum quas alternante mulcedine Monachi, Clericique Psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, non procul tamen, ut pote ad tertiam præstò futuri, cum sacerdotibus res divina faciendâ. Gregorius Turonensis

in vita S. Nicetii: Hora tertia, inquit, cum Populus ad Missarum solemniam conveniret. Gregorius Magnus hom. 37. in Evang. de Cassio Narnienſi Episcopo sermonem habens ait, Oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat. Narrat Joannes Moschus in prato spiritali cap. 27. cujusdam villæ habitatores Presbyterum suum apud Episcopum accusasse, quod die Dominico nunc hora tertia, nunc hora nona Missam celebraret, non servans solemnem ac legitimum ordinem sanctæ oblationis. Theodulphus Aurelianenſis, in ep. ad Clerum suum cap. 45. quod à Gratiano de consecrat. dist. 1. c. 52. sub Augustini nomine perperam citatur, statuit, ut Missæ peculiare die Dominico non ita publicè fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur. In diebus autem jejuniorum extra quadragesimam horam diei nonam sacrificio offerendo destinarent Antiqui. Testatur id Epiphanius sub finem lib. 3. adversus hæreses differens de moribus primitivæ Ecclesiæ, ubi ait feria quarta & sexta per totum annum celebratam Liturgiam hora nona, quia nimirum fideles illis diebus jejunare solebant. Ambrosius in Psalm. 118. in explicatione versic. 62. Inditum est jejunium, cave negligas. Es si te famas quotidianum cogit ad prandium, tamen celesti magis te servato convivio. Non epule parate extorqueant, ut celestibus sis vacuus sacramentis. Differ aliquantulum; non longe est finis diei: imò plerique sunt ejusmodi dies, ut statim meridians horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Ubi observandum quod ait pleurosque esse, non omnes dies jejunii, in quibus post meridiem itur in Ecclesiam, canuntur hymni, & circa horam nonam sit oblatio: quadragesimalis enim jejunii alia ratio est, ut infra ostendemus, Concinit Prudentius hymn, post jejunium, qui est 8. quotidianorum.

*Nona submissum rotat hora solem,  
Partibus vix dum tribus evolutis,  
Quarta de vexo superest in axe  
Partio lucis.*

*Non brevis voti dape vindicat e  
Solvimus festum, fruimurque mensis  
Assatim plenis, quibus imbuatur  
Prona voluptas.*

Idem hymno 6. de Coronis,

*Jejunamus an, recuso potum,  
Nondum nona diem resignat hora.*

Hæc



Hæc Prudentius docens, fideles solitos jejuna-  
reusque ad nonam. Ordo Romanus de jejunio  
Pentecostes sic decernit: *Jejunium faciant IV. &  
VI. feria, & in sabbato usque ad horam nonam.*  
Deinde præscribit quæ Lectiones ad Missam legi  
debeant. Concilium Moguntinum apud Ivonem  
Carnotensem p. 4. cap. 35. loquens de jejunio  
Quatuor Temporum, *Quarta, inquit, & sexta  
feria, & sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora  
nona cum Litanis ad Missarum solemniam.*

VI. At in jejuniis quadragesimalibus Missa  
tardius agi solebat, & hæc *Statio sera* dicitur à  
Tertulliano lib. de jejuniis, qui ad vespeream jeju-  
nans pinguorem orationem Deo immolat. Fideles  
enim ad vespeream hoc jejunium solvebant audito  
Sacro. Clarè explicat hunc ritum præcitatus  
Theodulphus cap. 39. *Solent plures, qui se jeju-  
nare putant, loquuntur autem de quadragesimali  
observatione, mox ut signum audiunt ad nonam  
manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt,  
si ante manducaverint, quam vespertinum celebra-  
tur officium. Concurrendum est enim ad Missas, &  
auditis Missarum solemnibus sive vespertinis officiis,  
largitis prius elemosinis ad cibum accedendum est.*  
Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad  
Missam venire non valeat, æstimata vespertina ho-  
ra, & completa oratione sua, jejuniumolvere de-  
bet. Refert hoc capitulum Gratianus de consecr.  
dist. 1. c. solent, ex Concilio Cabilonensi; at vir  
eruditissimus Lucas Dacheryus Amalario tribuit  
ex M. S. Cod. Abbatie Corbeiensis Tomo 7. sui  
Spicilegii pag. 173. Cujuscumque autem sit, pris-  
cum morem celebrandi hora vespertina in diebus  
jejunii quadragesimalis apertissime confirmat.  
Idem ritus servabatur olim in vigilia Nativitatis  
Domini, ut ex Ordine Romano palam sit. In vi-  
gilia, inquit, Nativitatis Domini hora nona ca-  
nant Missam ad sanctam Mariam, qua  
expleta canunt vespertinalem synaxim, dehinc va-  
dunt ad cibum. Paulinus quoque Nat. 7 S. Felicis  
eundem ritum vigiisse canit in ipsius pervigilio.

*Noctis cum morem, ut jejunare solems  
Ante diem, & sero libans vespere sacris  
Quisque suas remeare domos. Tunc ergo solutis  
Cæcibus à templo Domini, postquam data fessis  
Corporibus requies, sumpta dapæ, capimus hymnis  
Exultare Deo, & psalmis producere noctem.*

Unde colligitur, etiam in aliis jejuniis extra  
quadragesimam dilatum quandoque sacrum us-  
que ad vespeream. Hujus autem moris hæc ratio  
assignari solet, quia rigor poenitentiae & jejunii

mœstitia gaudium illud & animi exultationem  
excludebat, quam fideles ex sacrificio & Eucha-  
ristiæ communionem percipiebant, quæ salutis no-  
stræ pignus est, & resurrectionis fiducia. Ita docet  
Joannes Zonaras in c. 52. Concilii Trullani, nimi-  
rum jejunii tempus expiandis intimo dolore cri-  
minibus institutum fuisse, sacrificium verò festi-  
vam habere solemnitatem & lætiam; quæ simul  
stare non possunt: neque in sola ciborum absti-  
nentia consistebat jejunium, sed omnes ad Eccle-  
siam diluculo confluebant inculto habitu ac cine-  
re conspersi, cumque luctu & lachrymis tabesce-  
rent, dare locum Eucharistiæ mutuoque comple-  
xu & osculo signa præbere hilaritatis, inter cor-  
poris squalorem & animi tristitiam, incongruum  
existimabant: nam sacrificii alacritas jejunii mœ-  
rorem turbasset, & jejunii luctus sacrificii jucun-  
ditatem ademisset. Idem de baptismo asserit Ter-  
tullianus in fine libri, quem de illo conscripsit;  
cum enim dixisset, Christum post baptismum  
quadraginta diebus jejuniis functum, subdit:  
*Ergo & nos, dicit aliquis, à lavacro potius jejunare  
oportet. Et quis enim prohibet, nisi necessitas gau-  
dii, & gratulatio salutis? Quod si gaudii neces-  
sitas causa erat, ne recens baptizati jejunarent; tan-  
tò magis æquum fuit, ut fideles ab omni jejunio,  
eique annexo mœrore eximeret Eucharistia,  
quæ totius hilaritatis fons est, & omnium gau-  
diorum plenitudo. Idèd Missa ad illud tempus  
differri solebat, quo jejunium solvi poterat, ut sa-  
cræ mensæ participes effecti, & modesta refe-  
ctione refocillati animo & corpore lætarentur.*  
Eandem ob causam festivitates Martyrum in  
quadragesima peragi synodus Laodicea c. 51.  
prohibuit, quia veteris Ecclesiæ ritu festum age-  
re & non jejunare connexa invicem erant, ac  
propterea Orientalis Ecclesia, quæ solam festi-  
vitatem Annunciationis in Quadragesima cele-  
brat, ea die non jejunat: & patres decimi concilii  
Toletani festum ipsum Annunciationis ad diem  
XVIII. Decembris transtulerunt, qua adhuc in  
Hispania solemniter agitur sub nomine Expecta-  
tionis partus B. Virginis, ea ratione permoti,  
quod minimè deceret tantam solemnitatem in  
quadragesima celebrari, sicut, inquit, aucto-  
ritate regulari cautum est. Et ne viderentur id si-  
ne exemplo instituisse, addunt; In multis namque  
Ecclesiis à nobis & spatio remotis & terris hic mos  
agnoscitur retineri. Et quis scit, an hac de causa  
festum S. Patris Benedicti ad diem 11. Julii à  
Majoribus nostris translatum primitus fuerit;  
sed postea in Italia abrogatum ob excitatam inter



Cassinenſes & Floriacenſes Monachos controverſiam de translatione Reliquiarum ejuſdem Sancti in Galliam? ſed hæc mea & mera ſuſpicio eſt, in qua hic immorari extram opus foret. Eodem zelo diſciplinæ Eccleſiaſticæ imbuti, qui canones poenitentiales ediderunt, diem Dominicum alioſque feſtivos eximunt à jejunio. Concilium Turonenſe II. c. 17. prandium Monachis concedit, quando Miſſæ id eſt feſtivities Sanctorum ſunt. Sed regredior ad quadageſimam, à qua digreſſus ſum. In ea Latini circa finem diei, imminente, ut dixi, jejunii ſolvendi hora, quotidie ſacrificium offerre conſueverunt: Græci verò Miſſa utuntur Præſanctificatorum, de cujus inſtitutione & ritu egi ſuprà Cap. XV. Irrito conatu Romanam Eccleſiam calumniatur Nicetas Pectoratus Hieromonachus Studita, ac ſi antiquos canones & jejunii legem tranſgrediat, quod in quadageſima celebrans, idque hora tertia, ut falſo ſupponit. Nam tempore Nicetæ annæo circiter 1050. adhuc vigeſat mos veſpere celebrandi, nec ullus extat legitimus canon, quo ſacrificium iis diebus prohibeatur. Trullanum ſiquidem, à quo Miſſa præſanctificatorum præcipitur, ab Eccleſia reprobatur fuit: & Laodicenum, ad quod ejus originem nonnulli referunt, non fuit univerſale. Pluribus invehitur adverſus Nicetam Umberto Silvæ Candidæ Epicoſopus, ſed nimis acriter, nec ſemper appoſitè. Porro Nicetas violari jejunii Latinos ante horam nonam celebrantes accuſat, quia Græci falſà quãdam perſuaſione, ne dicam ſuperſtitione decepti, Euchariſtiæ perceptione violari jejunium putabant: quo etiam errore quõſdam in Africa imbutos fuiſſe indicat Tertullianus in fine libri de oratione: *Stationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit an maris Deo obligat? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii & executio officii.* Cujus ſententiæ hic ſenſus eſt. Licet ſumptio Euchariſtiæ jejunio non obſit, ſi tamen hic te ſcrupulus angit, potes & jejunium ſervare, & ſacrificio intereſſe, accepto corpore Domini & non manducato, ſed reſervato. Tunc enim Euchariſtia manu accipi conſueverat, & domum deferri, ac ibidem ſumi, ut ſuo loco videbimus.

VII. Liqueſt ex dictis, quæ horæ olim ſacrificio fuerint aſſignatæ, Tertia nimirum diebus feſtis, Nona diebus jejuniorum per annum, & in qua-

dragefima veſpertina. De diebus ferialibus nihil antiqui canones determinarunt, ut Marcellinus Francolinus obſervat *lib. de tempore horarum Canoniarum c. 29.* Uſus tamen obrinuit, ut illis hora ſexta non incongruè tribueretur; nam cum hora tertia diebus lætitiæ, nona diebus luctus & afflictionis præfixa ſit, rationi conſentaneum videtur, ut diebus communibus, qui nec lætitiæ nec luctus ſunt, ſed quodammodo mediis, Miſſæ item officium hora ſexta, quæ inter tertiam & nonam media eſt, perſolvatur. Horæ autem de quibus loquimur illæ ſunt, quas Aſtronomi inæquales, planetarias, & naturales vocant, diviſa ſemper die in duodecim horas, æquales quidem inter ſe, ſed inæquales ſi cum aliis diebus comparentur. Nam dies æſtivi in 12. horas ſecti eas longiores habent, quam hiemales, quorum horæ item 12. breviores ſunt. Sic horam tertiam dicimus, cum quarta pars diei exacta eſt; ſextam, cum meridies eſt; nonam cum tres diei partes elapſæ ſunt. Veſperinum verò tempus totum illud ſpatium complectitur, quod à nona uſque ad occaſum Solis reliquum eſt. Fuſius de his tractavi *lib. de divina Palmodia cap. 3.* At hæc nunc horarum præſcriptio contrario uſu abrogata eſt, aliquo dumtaxat antiquitatis veſtigio permanente in Miſſæ ſive ſolemnis celebratione. Sic enim decernunt Rubricæ Miſſalis §. 15. *Miſſa conventualis ſolemnis ſequenti ordine dici debet. In feſtis duplicibus & ſemiduplicibus, in Dominicis, & infra octavas dicta in choro hora tertia. In feſtis ſimplicibus & feriis per annum dicta ſexta. In Adventu, Quadageſima, quatuor temporibus, & vigiliis quæ jejunantur poſt nonam.* Ita factum eſt, ut non prorsus veneranda vetuſtas interiret, dum ordo à SS. Patribus præſcriptus ſaltem in publica officiorum recitatione retinetur, quamvis legitimus horarum punctus nullo modo attendatur. Neque enim horæ novæ officium tertia vel quarta poſt meridiem in vigiliis præſallimus, neque Veſperas in quadageſima circa Solis occaſum, ſed una vel duabus horis ante meridiem: quæ anticipatio, ut doctiſſimus Francolinus ſcribit *cap. 34. quædam eſt noſtri temporis calamitas, ne dicam abuſus.* Cœpit hæc horarum præventio poſt ſæculum duodecimum introduci, cum præſtina ſeveritate paulatim relaxata mollior diſciplina ſuceſſit, de qua fatius eſt tacere quàm loqui. Miſſæ privatæ quæcumque hora nunc dici poſſunt ab aurora uſque ad meridiem, de qua re Francolinus diſſerit *cap. 39.* Amalarius Fortunatus *lib. 3. cap. 42.* poſt laudatū Teleſphori Papæ ſuprà à nobis reprobatur



canonem, ne quis præsumeret ante horam tertiam Missam celebrare, non licere ait hanc regulam transgredi, nisi urgente necessitate: tum narrat, se vidisse Leonem Papam, tertium scilicet, diluculo celebrasse. *Vidi, inquit, Leonem Apostolicum diluculo celebrare ad Missam, nescio utrum causâ necessitatis intercedente hoc ageret, an sola potestate.* Hanc verò temporis perversionem non probat, *Fulget enim, ait, potestas ratione decorata.* Sed Amalarius de summo Pontifice vitæ sanctitate conspicuo benignius loqui potuisset; ex ejus tamen zelo dignoscimus, legem sive consuetudinem non celebrandi, etiam privatim, ante horam tertiam eo tunc rigore servatam, ut ab illa nemo poterit sine aliorum admiratione & censura deviare.

## CAPUT XXII.

*Quo signo fideles tempore persecutionis ad Synaxim convocarentur. Rejicitur quorundam opinio. Reddita pace, publica signa instituta & quæ. Lignorum usus apud Græcos, quæ semantia dicuntur. A quo inventa campana. An à Paulino Episcopo Nolano. De veterum tintinnabulis. Campana nomen, ejusque etymologia. Quamvis ceperit Ecclesia campanis uti. Ad quem spectet campanas pulsare. De campanis Religiosorum.*

I. **O**Ritur hæc disquisitio ex superiori, estque ejus veluti appendix; quamvis enim sacre Synaxi certa fuerit hora destinata, quia tamen difficile potuit credentium multitudo ætate, sexu, conditione diversa, & habitatione ac loco dissidens, stans horis in Ecclesia adunari; credibile est aliquod signum antecessisse, quo omnes in unum cogerentur. quale autem hoc fuerit, conicere quidem possumus, sed non certo definire. Amalarius *lib. 4. de div. off. cap. 21.* lignorum sonitu Christianum populum congregatum ait, quando latitabat per cryptas propter persecutores. Non assentitur Amalario Baronius *an. 58. num. 108.* & merito: tum quia hujus rei nullum extat antiquum monumentum: tum etiam quia ratio ipsa non patitur, ut eo tempore, quo abdita loca ad conveniendum studiosissime quærebant, eo lignorum strepitu se proderent, & ad necem sibi inferendam Gentiles provocarent. Verisimilior videtur Strabonis conjectura

*cap. 5. de rebus ecclæs.* quod nimirum sola devotio aliquos cogeret ad statutas horas concurrere; alii prænunciationibus publicis invitarentur, & in una solemnitate proximè futuras discerent. Sed hæc referre ad nascentis Ecclesiæ tempora difficillimum est, nam vexati fideles acerbissimis gentium persecutionibus, sæpe locum mutare, eumque abditissimum nec inventu facilem quærere cogebantur, unde nec solo religionis studio convenire poterant, nec in uno conventu alterius præmoneri. Baronius *ibidem num. 102.* viros quosdam delectos arbitratur, qui cursores dicerentur, quorum munus esset singulos fideles perquirere, & privatim monere quando & quo loco convenire deberent. Ut autem probet hanc opinionem, nullum illorum temporum testimonium profert, præter Ignatii epistolam ad Polycarpum ita scribentis: *Decet, Beatissime Polycarpe, concilium cogere sacrosanctum, & eligere si quem vehementer dilectum habeatis & impigrum, ut possit divinus appellari cursor, & hujusmodi creare, ut in Syriam profectus laudibus celebret impigram charitatem vestram ad gloriam Dei.* Hæc solâ auctoritate fretus id astruit Baronius, cui ne assentiar ipsamet cogit epistola, quæ si attentè legatur, non de Curfore loquitur, qui Synaxim indiceret, sed de Legato qui mittendus erat in Syriam ad Antiochenos: unde circa finem ait, *Saluto eum qui designandus est, ut mittatur in Syriam.* Addo quod hanc epistolam non genuinum Ignatii scetum esse, sed supposititium viri eruditi dudum observarunt, & ad id probandum multa afferunt non parvi ponderis argumenta. Quod si aliqua fides illi præstanda sit, potior apud me erit alia Baronii sententia, jussu nimirum Episcopi unumquemque secreto convocatum. Hoc verò colligit ex his verbis ejusdem epistolæ: *Crebrius celebrentur conventus, nominatim omnes inquire, servos & ancillas ne fastidias.* At nutante fundamento firmum ædificium superstrui nequit. Fieri sic potuit, & fortassis sic factum est; sed nullum producere testem possumus, qui id factum asseveret. Aliquam sanè tesseram sive signum fuisse, quo Christiani & se mutuo agnoscerent, & loca scirent ac tempora synaxeos peragenda, certæ fidei res est; sed quale hoc signum fuerit, ignoramus. In actis S. Cæciliæ dicitur Valerianus S. Urbanum Pontificem reperisse, qui ad vitandas paganorum insidias latebat, *signo quod acceperat,* quodque omnino necessarium erat, ut mutua inter fideles societas, atque germanitas conservaretur.



II. Conuerso ad fidem Constantino, cum pace & tranquillitate potiri coepit Ecclesia, summa pietas Imperatoris, & Christianorum alacritas, quam describit Eusebius testis oculatus initio libri 10. suae historiae, nos dubitare non sinit, quin publicis signis, quae ab omnibus perciperentur, populus ad Ecclesiam coeperit conuocari. Ea diuersa fuisse veterum Scriptorum monumenta testantur. Pachomius Abbas tubae sonitu congregari Monachos praecipit, sicut olim Moyse imperavit Deus Num. cap. 10. ut duas tubas argenteas faceret, quarum sonitu ad movenda castra, ad festa, ad sacrificia multitudo conuocaretur. Cum audierit, inquit Pachomius regulae suae cap. 3. *vocem tubae ad Collectam vocantis, statim egrediatur.* Climacus item ait Gradu 19. signo sacrae tubae canente coactos Fratrum coetus. Alii malleo utebantur, quo singulorum cellae pulsabantur. Historia aethiaca cap. 104. in vita Abbatis Adolii, *Excitatorio malleo, inquit, pulsabat cellas omnium eos congregans ad oratoria.* Cassianus libro 4. Institut. cap. 12. *Cum sonitum pulsantis ostium ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos seilicet, seu ad opus aliquod invitantis, certatim e cubilibus suis unusquisque prorumpit.* In Bethleemico Monasterio hac voce *Alleluia* convocatas Moniales ad Collectam scribit Hieronymus epist. 27. *Usi sunt etiam Graeci lignorum percussione, quorum usum antiquissimum esse exactis secundae synodi Nicenae constat, ibi enim Act. 4. ex libro miraculorum S. Anastasii Martyris legimus, quod cum ejus reliquiae Caesareae appropinquarent, cives omnes letitia magna perfusi ligna sacra pulsantes obviam facti sunt.* Eorundem frequens habetur mentio apud Graecos scriptores. Theodorus Petreorum Episcopus in vita S. Theodosii Archimandrite; *Monachi ait, lignum pulsabant praeter solitam prope modum horam.* Nicephorus Blemides in vita S. Pauli Latrensis, *Imperat ut ante tempus lignum congregans Monachos pulsetur, & sacra Mystagogia peragatur.* Theodorus Studita in carminibus. *Venerunt tuba percute lignum tempore suo ut opus est.* Auctor vitae S. Niconis cognomento *Meletarite,* *Et ligni pulsatione omnes fratres conuocat.* Ea tubae quidem ac mallei usus ad sola Monasteria pertinuisse videtur, ligna autem ab omnibus Ecclesiis Orientalibus usurpata fuerunt, longoque spatio permansit eorum consuetudo, quia, ut paulo post videbimus, campanas ferius receperunt. Nunc quoque Graeci & aliae nationes sub tyrannico

Turearum imperio iisdem lignis utuntur, quae à Graecis *Semantetta*, sive Chirosemantra, quod manibus teneantur atque pulsantur, nuncupantur. Ea sic describit Leo Allatius in dissertatione de recentiorum Graecorum templis: *Sacerdotes Graeci ligneo instrumento ad Graecos in Ecclesiam conuocandos utuntur. Id est lignum binarium decem pedarium longitudine, duorum digitorum crassitudine, latitudine quatuor, quam optime dedolatum, non fissum aut rimosum, quod manu sinistra medium tenens sacerdos vel alius, dextra malleo ex eodem ligno cursim hinc inde transcurrens modo in unam partem, modo in alteram, prope vel emittit ab ipsa sinistra, ita lignum diuerberat, ut ictum nunc plenum, nunc gravem, nunc acutum nunc crebrum, nunc extensum edens, perfecta Musices scientia auribus suavissime moduletur.* Haec Allatius, qui aliud Semanterion esse ait insignis magnitudinis, adeo ut quandoque sex palmos latitudo, unum crassitudo, triginta longitudo exaequet, quod in turribus catenis ferreis appenditur, & malleo pulsatur. Campanas vero usui Graecis esse coepisse anno 865. refert Baronius ex historiae Venerae scriptoribus afferentibus Ursum Patitiacum Venetiarum Ducem primum omnium dono misisse duodecim mirificae artis & valde sonoras Michaeli Imperatori, qui eas in turri ad S. Sophiam extructa collocavit. Ad Orientalem igitur Ecclesiam delatae sunt saeculo nono, cum jam dudum in Occidentali receptae fuissent. Sed à quo primum inventae, cuiusque opera vel auctoritate in Ecclesiam introductae sint, incomperatum est.

III. Polydorus Virgilius lib. de Inventoribus rerum id Sabiniano Pontifici adscribit, qui Gregorio Magno successit. De eodem Onuphrius Panninius in epitome summorum Pontificum sic scribit, *Hic Papa Campanarum usum invenit, iussitque ut ad horas canonicas, & Missarum sacrificia pulsarentur in Ecclesia.* Sed Anastasius in ejus vita nihil de campanis ab eo inventis dicit, nec scio, à quo hoc didicerint Panninius, & Polydorus. Angelus Roccha in comment. de campanis cap. 1. à S. Hieronymo, qui ducentis circiter annis ante Sabinianum vixit, campanarum mentionem factam credidit cap. 33. & 39. regulae Monacharum, ejusdem regulae perperam Hieronymo tributa falsa inscriptione deceptus. Tum ait, S. Paulinum Episcopum in suam Nolanam Ecclesiam primum omnium hunc usum invexisse. Consentiant passim recentiores, quod attinet ad Paulinum: & alii quidem ad inventas ab eo tradunt,



dunt, alii verò earum usum à gentilibus acceptum ad Ecclesiam ab eodem translatum autumant, sive minora dumtaxat tintinnabula, quæ jam ubique in usu erant, Ecclesiæ tradiderit, sive ab his desumpta forma, majora confici curaverit. Nemo tamen veterum Patrum, qui res Paulini accuratissime prosecuti sunt, hanc memorabilem ejus inventionem laudat, vel attingit, unde fit, ut huic assertioni ægrè assensum præbeam, quæ nullo legitimo teste munita est. Auger scrupulum ipsemet Paulinus, qui epistola 12. ad Severum conditam à se Basilicam, & singulas ejus partes describens, nullam tamen campanarum sive turris campanariæ mentionem facit, cum alia nihilominus minora ædificia exactè commemoret. Agunt de campanis, earumque usu in Ecclesiis Alcuinus, Amalarius, Walfridus Strabo, qui Caroli Magni & Ludovici Pii temporibus claruerunt, quarto sæculo post Paulini decessum, sed de Paulino silent, sicut & alii sequentium sæculorum scriptores. Verba Strabonis omittenda non sunt. Ita enim loquitur cap. 5. rerum Ecclesiasticarum, *De vasis fustibus vel etiam productilibus, quæ simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitata significantur, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia: de his inquam hic dicendum videtur, quod eorum usus non adeo apud antiquos habitus proditur. Eorum usum primò apud Italos affirmant inventum. Unde & à Campania, quæ est Italiae Provincia, eadem vasa majora quidem campanæ dicuntur: minoræ vero quæ à sono tintinnabula vocantur, nolæ appellant à Nola ejusdem civitate Campaniæ, ubi eadem vasa primò sunt commentata.* Forrassius sciolus quispiam, cum hæc apud Strabonem legisset, de suo addidit Paulinum, qui Nolæ in Campania Episcopus fuit, campanas & nolæ in Ecclesiam induxisse, & hoc commento sequioris ævi scriptoribus fucum fecit. Quisquis autem fuerit, qui hoc Paulino primus adscripsit, cautiùs processisset, si campanæ, & nolæ vocabula Paulini sæculo & aliquot sequentibus inaudita fuisse considerasset. Res sanè vetus est, sed vox recentior. Non me later Quintilianum, qui sub Domitiano vivebat, nolæ meminisse lib. 8. instit. cap. ult. ubi inter ænigmata recenset, quod Cæcilius dixit de quadam muliere, eam fuisse in triclinio Coam, in cubiculo Nolam: at hic nolæ longè diversa significatione accipitur, conficta voce à nolendo sensu obsceno, quem peritiores Grammatici explicant apud Vossium lib. 4. instit. Orator. cap. 11. §. 5. rejecta falsa Cœlii Rhodigini & aliorum opi-

nione, qui ex usu sui temporis hanc vocem interpretati sunt.

IV. Porro Veteres pelvis, lebetis, æris, æramenti, codonis, & tintinnabuli vocibus uti sunt, donec nolæ & campanæ vocabula adinventæ & communi quodam latine scribentium consensu approbata fuerunt. Tintinnabulum describit Plautus in Trinummio act. 4. sc. 2. his versibus:

*Nunquam adpel temere timuit tintinnabulum,  
Nisi quis illud trahat aut movet, mutum est,  
tacet.*

Plutarchus lib. 4. Symposiacon qu. 5. Helluones & obsonatores eos dici notat, qui in foro piscatorio versantur, & tintinnabulum, quod græcè codon dicitur, celeriter exaudiunt. Eo enim sonitu signum dabatur vendendi pisces: cujus rei jucundissimam narrat historiam Strabo Geographus lib. 14. cujusdam Citharædi, quæ cum artem suam in Jasso insula ostentaret, quamprimum tintinnabulum increpuit, illico omnes eo relicto ad pisces dilapsi sunt, præter unum surdastrum, cui Citharædus gratias egit, quod cæteris auditu tintinnabuli signo abeuntibus solus remansisset: At ille, Numquid ait, jam sonuit tintinnabulum? & eo affirmante, ipse item surgens protinus digressus est. Scribit etiam Porphyrius lib. 4. de abst. animalium, Samnæos, genus quoddam Philosophorum in India, ad codonis seu tintinnabuli sonum solitos congregari ad preces & ad cibum. Ufos quoque tintinnabulis Sacerdotes Proserpinæ refert Apollodorus lib. de Diis, idemque testatur de Sacerdotibus Syriæ Lucianus in dialogo de eadem. Idem agens de viris mercede conductis ait in ditiorum ædibus familiam & mercenarios ad opera olim excitatos tintinnabulis, quorum ingens sonus esset, ut ab omnibus posset audiri. Ab Augusto posita tintinnabula in fastigio ædis Jovis Capitolini, refert Suetonius. Tumulo quoque Porisenæ regis eadem appensa asserit Plinius lib. 36. cap. 13. quæ vento agitata longè sonitum referebant. Nota est Juvenalis invectiva in verbosam mulierem sat. 6.

*Verborum tanta cadit vis,  
Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas  
Pulsari: jam nemo tubas atque æra fatiget,  
Vna laboranti poterit succurrere Luna.*

Notum est Martialis distinctione lib. 14.  
*Redde pilam, sonat æs thermarium, ludere pergis?  
Virgine vis sola lotus abire domum.*

Notus est denique usus tintinnabulorum in veteri testamento: Exodi 28. *Ad pedes tunicæ quasi*



quasi mala punica facies, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum. Et Ecclesiastici 45. *Cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dave sonitum in incessu suo.* Ex his & aliis testimoniis liquidd constat id quod supra diximus, campanæ & noxæ vocabulum recentius, rem ipsam antiquissimam esse. Unde autem campanæ nomen derivatum sit, Grammatici inquirunt, & quosdam asserunt notaciones, quæ plus argutiarum, quam veritatis habere noscuntur. Plerique à Campaniæ regione deducunt, vel quia ibi grandiores fieri cœperunt, vel quia primum in ea provincia repertæ sunt: sic vasa fictilia ab Horatio lib. 1. sat. 6. *campana supellex* dicuntur, quia in Campania ex luto & argillâ pulcherrima fingeantur. Quare idem lib. 2. sat. 3. ait.

*Qui Veientanum festis potare diebus  
Campana solitus trulla.*

Et Isidorus lib. 16. orig. cap. 24. *Campana*, inquit, à regione Italiæ nomen accepit, ubi primum ejus usus repertus est. Loquitur autem de trutina, quæ constat scapo notis distincto ad librarum discrimina indicanda; nam subdit, *Hæc duas lances non habet, sed virga est signata libris, & uncis, & vago pondere mensurata.* Potest quoque campana ex ære campano desumi, quod omnium præstantissimum esse asserit Plinius lib. 34. cap. 8. *In reliquis palma Campano.* Licet enim supra cap. 2. Corinthium cæteris præferre videatur, illud tamen non erat purum æs, sed commixtio omnium metallorum, ut ex eodem Plinio notat Isidorus lib. 16. orig. cap. 19. ubi etiam ait æs campanum utensilibus, & vasis omnibus probatissimum esse. Nec est improbable campanæ nomen tunc tintinnabulis inditum cum ex ipso ære majora fieri cœperunt: quo autem anno id contigerit, non liquet.

Hieronymus Magius cap. 2. libelli de Tintinnabulis, quem capta Cypro captivus & servus hominis Turcæ tunc ecclesiarum turribus impositas, cum ethnicorum Principum odia adversus Christianos jam satis refraxissent. Eiusdem sententiæ Baronius est an. 58. licet fateatur incertum esse annum, quo id primitus factum est. Mibi autem vero propius videtur, statim ac reddita Christianis est pax, ad convocandum populum tintinnabula adhibita, primum minora, deinde grandiora: etenim ad idem munus coetum congregandi passim apud Ethnicos in usu erant: multo-

que aptior ad multitudinem coadunandam campanarum sonitus est, quam strepitus lignorum, aut clangor tubarum, quia & longius diffunditur, & facilius percipitur. Cum S. Benedictus circa annum 459. in specu Sublacensi monasticæ professionis fundamenta jaceret, Romanus monachus, à quo sanctæ conversationis habitum susceperat, panem ipsi portare certis diebus solebat, quem per funem in speluncam sub mittebat. *Resti autem*, inquit Gregorius lib. 2. dialog. cap. 1. *parvum tintinnabulum inseruit, ut ad ejus sonum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem preberet.* Ex quo colligimus, tintinnabuli usum apud Monachos jam eo tempore percrebuisse: nec dubito, quin de tintinnabulo idem Benedictus intelligi debeat, cum de significanda hora operis Dei agens in regula cap. 43. ait: *Ad horam divini officii, mox ut auditum fuerit signum, velitis omnibus summa cum festinatione curratur.* Nam veteres signi nomine campanam metonymicè intelligebant, quia per eam datur signum divini officii. Gregorius Turonensis in vita S. Gregorii Lingonensis, commotoque signo Sanctus Dei ad officium dominicum consurgerebat. Idem in Nicetio Lugdunensi, quod Presbyter audiens jusse signum ad vigiliam commoveri. Et lib. 3. histor. Franc. cap. 15. *Dum per plateam præteriret, signum ad matutinum motum est.* Eulogius Martyr in Apologetico, per idem tempus graviter in nos prædialis grassabatur insania, ita ut excelsa pinnaculorum prosterneret, quæ signorum gestamina erant ad conventum canonicum quotidie Christi colis innuendum. Quidam ex actis S. Lupi Senonensis Episcopi nomen campanæ receptum credunt initio septimi sæculi, vel in fine sexti. In his enim hoc factum narratur. *Clotarius Rex ubi comperit campanam S. Stephani sonum edere gratissimum, jussit eam Parisios transferri, ut ejus sonitu sæpius delectaretur.* Dissipuit ea res beato Episcopo. Itaque mox ut ablata est à Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens occisus subter suo illam loco restituit. Vbi autem ad pontem Senonicum ventum est, rediit illi primum sonus, & ob sancti viri merita septimo milliaro auditus est. Idem confirmari potest ex Audeno Rothomagensi in vita S. Eligii apud Surium lib. 2. cap. 21. his verbis: *Cum aliquando visitaret diocesis suam, ut solent Episcopi, quaedam ex causa interdidit, ne cuius id est preces canonice & sacrificium celebrarentur in Basilica quadam, donec ipse juberet.* Erat illic Presbyter quidam sibi male conscius, ob cuius culpam id fecerat beatus Episcopus. Is parvipendens ejus sententiam, cum

procul



procul illum recessisse arbitraretur, campanam horâ statuta uti moris erat pulsare cepit. Sed ut ejus temeritas reprimeretur, campana rationis experti Beato viro obtemperans nullum sanum reddidit. Perstitit ille trahendo restim campanæ, sed sonum exprime non potuit.

Verum in his testimoniis ex actis sanctorum *Aspi* & *Eligii* advertendum est, in prius Scrip- toribus nomen campanæ non reperiri sed à *Laurentio Surio*, qui prisca loquendi formulas recentioribus commutavit, contra fidem veterum Codicum substitutum fuisse, non sine gravi dispendio sacræ & profanæ eruditionis. Puram *Eligii* vitam, qualem scripsit *Audoenus*, edidit *romo V. sui Spicilegii* *Lucas Dacherius*, cujus in veterum scriptis ab interitu vindicandis summam diligentiam & accuratissimum judicium omnis posteritas collaudabit. Prænarratam igitur historiam sic proprio sermone scribit *Audoenus*. *Alio tempore cum Dioceseres suas, ut episcopis mos est, visitaret; exiit quædam certa causa, ut in una Basilica interdiceret cursum vel oblationem, quousque ipse juberet, celebrari. Erat autem illic Presbyter quidam mala conscientia sauciis, cujus vi delictet ob culpam excommunicatio processerat, qui Episcopi jussis nimis obtemperandum credens, verbaque ejus leviter valde ferens, cum longius cum a loco illo abuisse aestimaret, mox signum Ecclesiæ statuta hora, sicut mos erat, pulsare cepit. Tunc ad consuetandam humanam præsumptionem, magis insensibilis quam rationalis creatura verbis Episcopi parens, veluti sibi interdicto silentio nullum ad pulsantis nisum signum reddidit sonum. Deinde Presbyter diutius funem terebrans, cum cereret timulum omnino permanere mutum, egressus protinus Basilicam causam euntis manifestat. Tum illum refert poenitentiam egisse, & loco ab *Eligio* reconciliato, mox signo ræcto sonus pristinus rediit in tintinnabulum. In his autem apparet, *Audoenum* signi & tintinnabuli vocabulo, non campanæ usum esse. Beda tamen qui sexaginta circiter annis post *Audoenum* floruit *lib. 4. histor. cap. 23.* describens obitum *Hildæ* Abbatissæ auditum ait à quadam *Moniali* notum campanum sonum, quo ad orationes excitari vel convocari solebant. Eadem voce utuntur *pafsim* octavi, noni, & sequentium sæculorum scriptores, ex quo conjicio nomen campanæ grandioribus tintinnabulis impositum circa finem septimi sæculi, & octavo, ac nono apud omnes diffusum esse. *Anastasius* in vita *Leonis IV.* Fecit in Ecclesia *S. Andree* campanam, & posuit campanam cum malleo arce & cruce exaurato. *Monachus Sangallensis* in *lib. de ecclesiastica cura Caroli Ma-**

*gni cap. 31.* narrat tempore ejusdem *Caroli* vixisse opificem in omni opere aris excellentissimum, qui optimam campanam, seu campanum, ut ille loquitur, conflavit, cujus sonitum cum Imperator miraretur, promisit artifex, se multo præstantius conflaturum si pro stanno centum libras argenti illi daret. Accepto autem argento vir nequam stannum pro argento posuit, & campanam brevi tempore perfecit, quæ cum Regi placuisset immisso ferro pulsatorio jussit in campanario suspendi. Cumque cultos ecclesiæ & reliqui *Capellani* eam movere ad sonitum niterentur, nec possent, indignatus auctor operis apprehenso fune pertraxit ærumentum, & ecce ferrum elapsum in verticem ipsius decidit, & occidit. Argentum verò repertum jussit *Carolus* inter *Palatinos* e-gentes distribui. *Alia* ejusdem temporis testimonia frustra congererem, nam post *Carolum Magnum* omnes ferè scriptores voce campanæ vel signi indiscriminatim uti sunt. Sæculo item octavo barbara vox *Clocca* audiri cepit. Ea utitur *S. Bonifacius* episcopus *Moguntinus* & martyr *epist. 9.* rogans *Huertbertum* Abbatem, ut unam sibi *cloccam* transmittat. Et *Gutbertus* ad *Lulum* episcopum *epist. 89.* inter reliquas ejusdem *Bonifacii*, *Cloccam*, inquit, qualem ad manum habui tue paternitati mittere curavimus. *Rudolphus* quoque in vita *S. Liobæ* Abbatissæ, *Mater* ejus, ait, vidit per somnium se quasi signum ecclesiæ, quod vulgo *cloccam* vocant, in sinu suo habere, idque immissa manu tinniens extrahere.

VII. Signum vero sive campanam pulsare pertinebat antiquitus ad Sacerdotes, & *S. Benedictus* in *regula cap. 47.* hoc munus *Abbati* imponit, ut ipse horam operis Dei diu noctuque nuntiet, aut tali sollicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. *Amalarius lib. 3. cap. 1.* hoc officium non esse à *Presbytero* subterfugiendum ait: & in *Capitul. Caroli Magni lib. 6. cap. 168.* statuitur, ut Sacerdotes signa tangant horis canonicis. Idcirco *Ordo Romanus* & antiqua *Ritualia*, itemque concilium quartum *Carthaginense* materiam *Ostiarum* in sola clavium traditione constituunt, nulla habita mentione pulsationis campanæ, quia hoc ad ejus officium non pertinebat. Sic olim præcepit Deus, ut filii *Aaron* sacerdotales tubis clangerent ad convocandam multitudinem: qui ritus ad novi Testamenti sacerdotes transiit, & in Ecclesia diu permansit. At hodie officium *Ostiarum* est, quem decet superpelliceo indutum esse, dum signa pulsat, quia munus sui ordinis exercet. Nec sine ratione *Ma-*



jores nostri decreverunt à Deo sacratis viris signa tangi, quia & sacra res est fidelem populum ad divinum officium, ad Missam, ad communionem; ad audiendum verbum Dei coadunare: & ipsæ campanæ episcopali benedictione, sanctique olei unctione consecratæ sunt, & inter sacra ecclesiæ vasa connumerantur. Et usum quidem benedicendi campanas scribit Baronius à Joanne XIII. traxisse originem, qui anno 968. campanam Lateranensem miræ magnitudinis, antequam super campanile elevaretur, sacris ritibus Deo consecravit, atque Joannis nomine nuncupavit, *quivivus*, inquit, *in ecclesia perseveravit*. Sed multò antiquiorem esse ex ritualibus libris integro sæculo ante Joannem XII. conscriptis palam fit, in quibus formula benedicendi & unguendi campanas reperitur, hoc præfixo titulo, *Ad signum Ecclesiæ benedicendum*, ut eruditissimus Menardus testatur in notis ad lib. Sacrament. pag. 207. ex Codice Rhemenfi tempore Caroli Magni exarato. In ipsa verò consecratione nomine alicujus Sancti campana insignitur, sive ut à cæteris proprio veluti nomine distinguatur; sive quia ad pietatem magis conducere arbitrati sunt primi hujus ritus institutores, si voce alicujus Sancti plebs ad Ecclesiam convocari diceretur. Quod autem spectat ad usum campanarum, memini me legisse apud quosdam Juris canonici Interpretes, non licere Religiosis plures campanas habere, sed unam dumtaxat, sicut Joannis XXII. in constitutione, quam vocant extravagantem, *cap. unico, de offic. Custodis*. Atqui ea constitutio de solis Mendicantibus loquitur, eisque mandar ne plures campanas habeant sine licentia Apostolicæ sedis, propter lites inter ipsos & cathedrales Ecclesias hac de causa exortas: at ubi plures sine contradictione possidebant, illis deinceps liberè uti permisit. De Monachis nihil decernit, imò Zacharias Papa, & Callixtus II. Castinensibus concesserunt quodcumque velent, etiam in civitatibus signa pulsare, ut patet ex eorum Bullario *constit. 4. & 11.* & hoc quoque pro Monachis Angelis statuisse Callixtum narrat in suis Chronicis Gul. Thorne an. 1085. Favent prisca Monachorum Ritualia, quæ diebus festis omnia signa pulsari mandant, & hanc pulsationem *classicum* vocant. Templariis autem, Hospitalariis, & aliis habentibus in suis domibus oratoria, *C. patentibus de privilegiis*, campanarum usus à Celestino III. vetitus fuit.

## CAPUT XXIII.

*Qualis debeat esse panis qui offertur & consecratur in Missa. Quæ gentes azymo, quæ fermentato utantur. Discutitur de hoc controversia inter Græcos & Latinos. Quibus argumentis & conjecturis probari possit utramque Ecclesiam per multa sæcula in fermentato sacrificasse. De more offrendi panem & vinum. Quid sit fermentum quod olim Pontifices ad Ecclesias Verbis mittebant. Missam antiquitatis Eucharistiam, necnon & panem communem in signum communionis. De forma seu figura panis consecrandi. Quo tempore & qua occasione panis azymus introductus. Hostiarum quibus hodie utimur origo. Quo studio olim factæ. Duplex panis & vini præparatio. Admitta quadam de Eulogis.*

**I.** CUM Sacramentum Eucharistiæ, quod singulari prærogativa & sacramentum est & sacrificium, ex pane & vino constet, nulla unquam de vino inter Catholicos quæstio fuit; omnes enim vini nomine audito, illud statim mente concipiunt, quod ab uvis exprimitur, & hominibus in potum exhibetur. De pane verò inter Orientales, & Occidentales acerrimæ motæ sunt lites: nam Orientales fermentato utuntur, & hunc solum legitimam esse materiam hujus Sacramenti affirmant; Occidentales autem in azymis conficiunt, utentes tamen fermentato non damnant. Adherent Latinis in usu Azymorum Maronitæ & Armenii, sed quo tempore his uti cœperint præter morem cæterorum Orientalium, difficile est invenire. Ajunt Maronitæ antiquissimam esse in suis Ecclesiis hanc consuetudinem, sed ejus initium designare non possunt. Morinus in præfatione ordinationis Maronitarum p. 383. ad probandam hujus ritus antiquitatem ex Davide illarum gentium Archiepiscopo, qui vivebat anno Domini 1053. testimonium affert excerptum ex notis Abrahami Echellensis ad catalogum librorum Chaldaicorum *cap. 144. editionis Romane*; sed nihil ex eo concluditur, nam David ibi citatus hoc solum refert, Christum in pane azymo sacramentum instituisse. De Armeniis diversæ sententiæ sunt. Quidam enim ajunt Magnum Gre-



Gregorium Illuminatorem primum Armeniae Patriarcham una cum Tiridate Rege ad fidem converso Romam profectum fuisse, ut cum S. Silvestro Pontifice, & cum Imperatore Constantino, qui Christianam Religionem nuper etiam amplexus fuerat, foedus & concordiam inirent, atque ibi sanctum Patriarcham azymorum usum didicisse, suaeque Ecclesiae tradidisse: sed quicquid sit de fide hujus narrationis, quam aliis examinandam relinquo, probandum his erat, non pro certo ponendum, quod Ecclesia Romana tunc azymis uteretur. Alii conjiciunt id moris eos usurpare coepisse, cum Eutychnianis adhaeserunt, unam scilicet Christi naturam ea oblatione profitentes, sicut panis azymus nulla est unione commixtus, ut Isaac Catholicus Invektiva I. adversus ipsos ait cap. 7. *Panem azymum*, inquit, *Judaeorum more offerentes nulla unione commixtum, unius naturae mysterium faciunt.* Demetrius item Cyzicenus in tractatu de haeresi Jacobitarum Chazitzariorum, qui sunt Armenii, editus à P. Combefis post historiam Monothelitarum ait: *Oblationem faciunt azymam, inque calicem communionis Jacobitarum more solum vinum infundunt, nec miscent aqua. Ac juniores quidem ex causa irrationabili id caeremoniae inductum nugantur: veteres autem eorum doctores sanctum a Deo afflatum ac Martyrem Gregorium Magnae Armeniae Episcopum oblationem ejusmodi sine fermento, ac calicem sine aqua, eis ideo tradidisse calumniantur, quia inquit quem Christus panem discipulis tribuit in cena mystica, azymus erat, ac calix sine aqua: quos tamen Ecclesia Catholica Apostolicam ac Patrum traditionem legitime servans non probat.* Extat & quaedam Armeniorum historia ipsorum schisma ac rituum mutationem Niersi Patriarchae adscribens, qui, ut rem gratam Regi Persarum tunc Armeniae dominantis faceret, conciliabulum in civitate Thevin sexto saeculo inchoante coegit, in quo decretum fuit anathematizandam esse Synodum Chalcedonensem, ritusque veteres sacrificii innovandos, ut hoc religionis dissidio omnino à Graecis separarentur. At Clemens Galanus, qui omnes ferè Armeniorum libros perlustravit, de impio Niersi Patriarcha agens lib. 1. *conciliatationis ejus Ecclesiae cum Romana cap. 10.* consentit quidem in reliquis praenarratae historiae, negat tamen aliquid spectans ad sacrificium statutum fuisse in conciliabulo Thevinensi: inferius autem cap. 17. ex historia Armenia ea quae sequuntur de Joanne Ozniensi Patriarcha recenset. *Hic*

*justu Homar Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babilonis synodum congregavit in urbe Manascherti in confinibus Hircanae Provinciae, ubi convenientibus cum Armeniis sex Assyrin Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas, & una operatio; fueruntque à sacris ablata mysteriis fermentum & aqua, canoneque statutum est non esse amplius in sacrificiis aquam vino miscendam.* Acta sunt hæc circa tempora sextæ Synodi generalis, dum Armenia sub durissimo Saracenorum jugo poenas lueret schismatis & impietatis: ex quibus satis constat, azymum panem, & vinum sine aqua ab Armeniis offerri coepisse in signum divisionis à Catholica Ecclesia, & in symbolum hæresis Eutychnianæ. Ideo Patres Trullani, qui anno 692. canones sub nomine sextæ seu quini- sextæ synodi ediderunt, decimo circiter anno post impia decreta à Joanne Ozniensi promulgata, ipsos Armenios acriter reprehendunt, quod vinum solum sine mixtione aquæ in sacra mensa offerrent, Apostolicam traditionem detestabili errore subvertentes: *Ad nostram*, inquit, *cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes: id verò prohibent sub poena depositionis.* De panis autem mutatione ex fermentato in azymum silent, licet eodem tempore & in eodem sacrilego Ozniensis conciliabulo sancita fuerit; nec eos accusant quod fermentatum rejicere, & azymum introducere, nulla habita ratione veteris consuetudinis, ausi sint. An id fortassis ad eorum notitiam non venerat? vel potius de hac re siluerunt, quod indifferens existimarent, sive quis azymum, sive fermentatum panem in sacrificio offerret? Uterque enim verè est panis, nec ulla extat ecclesiastica regula, quæ alterutrum interdicat. Aquam verò vino miscere, mos est universalis Ecclesiae ex divina & apostolica traditione: atque ideo Armenii in crimen vocati sunt, quia solum vinum sine aqua offerebant; non autem propter usum azymi panis, sive hunc perperam ab illis usurpatum nescierint Trullani Antistites, sive dissimulandum censuerint.

II. Orta deinde est, quatuor ferè saeculis post sextam synodum, controversia de azymo & fermentato, & diu agitata inter Græcos & Latinos, partium potius quam veritatis inventiendæ studio, ut in similibus fieri solet: atque hinc factum est, ut pertinaciter contenderint suam quisque consuetudinem à Christo & ab Apostolis ad nostra usque tempora derivare. Sed si omisis hac de re Scholasticorum subtilitatibus & argumentis,



quæ apud ipsos legi possunt, veritatem sincerè & sine affectu ad alterutram partem, ex veterum Patrum monumentis, & ex praxi Ecclesiæ investigare voluerimus, inveniemus proculdubio, quam parvi momenti sint, in re quæ à facto pendet, doctorum speculationes: tum perspicuè cognoscemus multum interesse inter tempora quæ præcesserunt, & quæ postea sequuta sunt, eosque turpiter errare, qui ex præsenti rerum statu omnem æstimant antiquitatem. Inquirendum igitur hic est quo pane usa sit in sacrificio vetus Ecclesiæ, azymone, an fermentato, an utroque indiscriminatim: specialiter verò utrum apud Latinos semper in use fuerit azymus panis; vel potius antiquitus fermentatum adhibuerint, & postea azymum receperint, & quo tempore id factum sit. Brevem, sed luculentam de hac questionequisitionem scripsit rei antiquariæ peritissimus Jacobus Sirmondus; ex qua ut ingenuè fateor me profecisse; ita etiam agnosceret benignus lector, quot argumenta, conjecturas, & testimonia adjecerim ad ejus sententiam confirmandam. Putat Sirmondus usum fermentati in Ecclesiæ Latina ab ipso susceptæ religionis exordio cœpisse, & multis exinde seculis perstitisse. Et mihi quidem hoc valdè probabile visum fuit, priusquam illius tractatum vidissem, & in hac sententia confirmatus sum, cum rem ipsam intimiùs perlustravi: non ita tamen illi adhæreo, quin paratus sim certiora docentibus statim & ex animo consentire.

III. Quod igitur vetus Ecclesiæ fermentato pane in partibus quoque occidentalibus diu usa sit, probatur primo loco ex more offerendi, qui olim vigeat. Nam ut idem Sirmondus sapienter advertit, vetus in Ecclesiæ Christianorum mos fuit, ut, qui ad Missas celebrandas conveniebant, suam unusquisque sacrificii partem adferret. Cujus consuetudinis apud præseos Antistites tanta fuit religio, ut hanc etiam synodiciis decretis, ne obsolesceret, sancendam putarint, nec dissimulandum si quis violaret. Ita enim decrevit Concilium Matisconense II. c. 4. *Residentibus nobis in sacro Concilio, cognovimus quosdam Christianos relicto fratrum cœtu à mandatu Dei aliquibus locis deviasse; ita ut nullus eorum legitimo obsecrationis parere velit officio Deitatis, dum sacris altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quam vini, ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris justè offerentibus promerereantur esse consortes.* Ad hunc item

morem respexit Concilium Nannetense c. 9. quo Presbytero mandat, ut de oblationibus quæ offeruntur à populo & consecrationi supersunt, partes incisas habeat in vase nitido, quas post Missam illis distribuatur, qui non communicarunt. Liber Sacramentorum sancti Gregorii editus à Pamelio, postquam præcepit cantari Offertorium, ait: *& offeruntur à populo oblationes & vinum, de quibus in altari ponuntur, ut sacrentur.* Consonat Ordo Romanus his verbis: *Archidiaconus accipiens oblatas ponit tantas super altare, quantæ possunt populo sufficere.* Eiusdem oblationis factæ à fidelibus illustria habemus exempla in Theodosio Imperatore, celebrante Ambrosio, & in Valente, celebrante Basilio, ut narrat Theodoretus lib. 4. *eccles. histor. cap. 17. & lib. 5. cap. item 17.* Adeo autem initio Ecclesiæ mos iste invaluerat, ut digni reprehensione haberentur, qui nihil offerentes alienæ oblationis partem lumebant. Quo nomine Cyprianus divitem sceminam increpans, lib. de opere & elemosynis: *Locuples, inquit, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Idem urget Augustinus, seu quisquis est auctor sermonis 215. de tempore dicens, *oblationes, quæ in altario consecrantur, offerre. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.* Et Eligius Noviomensis tract. de rectitud. catholicæ conversat. tom. 9 Augustini. *Ille bonus Christianus est, qui ad Ecclesiam frequentius venit, & oblationem, quæ offeratur Deo, in altari exhibet.* Hoc idem confirmant verba sacerdotis suum in Missæ precibus & populi sacrificium atque hostias sæpius commemorantis. *Orate, ait, fratres ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum.* Et infra. *Memento Domine omnium pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.* Item. *Hanc igitur oblationem servavitis nostræ, sed & cunctæ familie tuæ quasumus ut placatus accipias.* Et in orationibus quæ Secretæ dicuntur: *Suscipe preces populi tui cum oblationibus hostiarum. Suscipe munera populorum tuorum.* Et clariùs Dominica V. post Pentecosten, *Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.* Sunt & alia ejusdem generis multa, quæ præscum illud tempus respiciunt, quo populi oblationes consecrabantur. Quod si Sacerdos oblatum à fidelibus panem



panem pro sua & illorum communione consecrabat, non alium sanè quam communem & usitatum ac de more fermentatum, qui singulis tam divitibus quam pauperibus semper in promptu esset: cum præsertim primis Ecclesiæ sæculis propter metum persecutorum sæpe in cryptis & in carceribus sacrum occultè, & ex occasione celebrario aporteret, pane proculdubio communi, quia azymum nec ubique conficere, nec semper paratum habere poterant. Scio quidem virum doctissimum Albaspinæum *lib. 1. observ. 5.* & sequentibus ea quæ de oblationibus allata sunt, aliter interpretari; sed singularis ejus sententia est, & contra communem Doctorum sensum. Ait ille has oblationes, de quibus Cyprianus & alii loquuntur, nihil ad Eucharistiam pertinere; neque partem ex iis decerptam, ut consecraretur; sed referendas esse ad Eulogias, sive ad panem in fine Missæ distribuendum. Nam panis, inquit, qui offerebatur, fermentatus erat, Eucharistia verò ex pane sine fermento conficiebatur: quod genus argumenti quanti sit ponderis, nemo non videt. Imò quia panis fermentatus offerri solebat, consequens est ut & idem consecraretur. Nec ullo modo ad Eulogias trahi potest, quod Cyprianus scribit arguens mulierem; quæ partem sumebat de sacrificio, quod pauper obtulerat. Unde enim probare poterit, quod nomen sacrificii Eulogiis unquam tributum sit: aut quod tempore Cypriani Ecclesia azymis uteretur? Id demonstrandum erat, non tamquam indubitatum statuendum. Adhuc mos perseverat, ut in quibusdam solemnitatibus integer panis atque is fermentatus simul cum vino ab his quorum interest offeratur, ut cum Episcopi consecrantur, cum Reges Coronantur, cum aliquis in numerum Sanctorum adscribitur: ex quo veluti per rimulas antiqua panis fermentati offerendi consuetudo perspicitur, & olim quidem ipsemet panis, qui oblatus erat, consecrari solebat: at nunc remanente sola & nuda oblatione in his celebratibus, quæ rarò accidunt, in reliquis disciplina mutata est. Sed pergo, & serinus à Latinis recepta azyma aliis argumentis ostendo.

IV. Sedente Nicolao I. Pontifice Maximo Græcorum schisma adversus Latinos exortum est, curante Photio viro improbo & turbulento, qui S. Ignatio è sede Patriarchali injustè deposito, thronum Constantinopolitanum invaserat. Hoc autem divortium ne temerè, & absque consilio fecisse videretur, magno ardore Latinos infectatus est, & illis tanquam gravissima crimina

objecit quæcumque in eorum ritibus & disciplina à moribus Græcorum discrepabant. Eos itaque reprehendere cœpit quod Sabbatis jejunarent, quod uxores Presbyteris prohiberent, quod iisdem Presbyteris non permetterent Chrismate baptizatos linire, quod clerici barbas raderent, quod octo hebdomadas ante Pascha non observarent, quod Agnum Judæorum ritu in altari offerrent & benedicerent, quamquam id falsò objiceret; & si quæ sunt alia ejusdem generis, quæ Michaël & Basilius Imperatores ad Nicolaum Papam, hic ad Hincmarum & ad alios Galliæ Antistites misit discutienda & refellenda: de qua re extat ejusdem Hincmari Epistola ad Odonem Episcopum Bellocensem, *edita tomò secundo operum ejus pag. 809.* De azymis autem nec verbum quidem, quam certè objectionem non omisisset, qui etiam falsa crimina de illis per calumniam finxit, & de multo levioribus litem movit. Ex quo silentio, si non evidenti, saltem probabili consecutione deducitur, azymi panis usum circa annum Christi 860. nondum in Ecclesia Latina viguisse. Quod si quis contendat ex Photii silentio nihil concludi, cum sit argumentum purè negativum: obsecro ut causam assignet motæ postea de azymis controversiæ. Non enim video, cur de his tacuerit Photius, & post duo sæcula Michaël Cerularius Photii successor tam asperè loquutus sit; nisi quia vivente Photio non erant in usu, tempore autem Cerularii nuper recepta fuerant. De vi argumenti negativi nolo hic odiosam texere disputationem, sed neque necessarium est, nostra siquidem assertio non soli silentio Photii innititur, sed alia habet validiora firmamenta atque adminicula, quibus fulcitur & credibilis sit, ut ex progressu patebit. Precor etiam viros eruditos, ut me doceant, an post Christum & deinceps per annos mille ulla unquam de azymis, eorumque usu in sacrificio mentio habita reperiatur, nisi occasione Sectariorum, qui illis usi sunt, ut à consuetudine Catholicæ Ecclesiæ se alienos ostenderent, sicut de Armeniis diximus supra, & de E-bionæis mox videbimus. Argumentum verò, quod plerique Scholastici tanquam insolubile opponunt, Christum scilicet prima die azymorum Eucharistiam instituisse, ideòque Ecclesiam ejus exemplo azymis usam esse, quanti roboris sit, viderint sapientiores Theologi & judicent. Nam Christus illo pane in ultima cœna usus est, qui apud Hebræos in illa solemnitate communis erat: nec



ut ait Algerus lib. 2. de Sacram. corporis & sanguinis Domini cap. 10. *Ideo Christus azymum panem in ultima cœna consecravit, quia res sic exigeret; sed quia illa cœna alium panem non exhibuit.* Et si post Resurrectionem aliquando consecravit, ut communiter asserunt sancti Patres, panem communem & fermentatum adhibuisse credendus est, quô post dies azymorum omnes utebantur. Dato item & non concesso, quod semper azymis usus esset, nihil tamen ex hoc pro azymis concludi posset: certissimum est enim, non omnem Christi actionem præceptum continere, alioquin celebranda à nobis forent hæc mysteria post cœnam, quia cœnâ peracta ab ipso sunt instituta. Ex praxi quoque Ecclesiæ apparet, quanta sit vis in hoc argumento, nam usum fermentati ipsa approbavit. Deinde quis non videt Scholasticos ad hanc rem pertractandam præoccupatis mentibus accessisse? Cum enim ab infantia sola azyma offerri viderint, eaque sola in scholis & in exedris prædicari audierint, ea sola semper in usu fuisse crediderunt; & hoc posito, varias subinde convenientias, variaque argumenta excogitarunt, ut quod semel conceperant firmiter stabiliarent. Veræ autem sapientiæ nihil magis adversatur, quam à teneris annis certis quibusdam principis sine delectu & examine mentem imbuisse. Unde jam olim notavit Ammonius Aristotelis commentator, eos qui falsis doctrinis innutriti erant, multa puerilia atque inepta ad eò pertinaciter defendisse, ut nulla ratione potuerint ab iis divelli. *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu*, inquit Horatius. Pari quoque ratione qui ex præscripto proprii instituti, sive ex affectu erga præceptores, certis opinionibus adhærent, omnia secundum illas dijudicant quacumque auctoritate & demonstratione posthabita, ad easdem traheutes quicquid audiunt, quicquid legunt. Non enim servant traditum à Beato Hilario Pictaviensi Episcopo lib. 1. de Trinitate salutare documentum, ut, cum Doctorum tractatus legunt, non præconcepas persuasiones illis inferre, sed veritatem potius ab his referre cogentur. *Optimus enim Lector est, ait ille, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis purius, quam imponat; & retulerit magis, quam attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpsit intelligendum.* Sed redeo ad Scholasticos. Hi videntes usum fermentati dudum apud Orientales invaluisse, ejusque moris originem ignorantes, ne hanc difficultatem taciti declinasse viderentur, hanc historiam commenti sunt.

V. Ajunt utramque Ecclesiam græcam & latinam absque ulla controversia post hujus sacrificii institutionem & deinceps azymis usam fuisse exemplo Christi, qui in azymis consecravit. Postmodum supervenisse hæresim Ebionæorum, qui docebant, legalia præcepta simul cum Evangelio servanda esse, ideoque in mysteriis azymo pane utebantur. In eorum verò detestationem universam Ecclesiam orientalem & occidentalem rejeçtis azymis fermentatum panem ad mensam Domini adhibuisse. Demum illa hæresi profigata, latinam Ecclesiam ad pristinum morem azymorum reduisse, Græcis receptam ea occasione fermentati consuetudinem retinentibus. At unde prodierit hæc historia, incertum est. Refert eam S. Thomas in 4. sent. dist. 11. q. 2. art. 2. quest. 3. eamque tribuit Leoni Papæ. Sed quis fuerit iste Leo, nec ipse dicit, nec se reperisse ait Franciscus Suarez To. 3. in 3. P. disp. 44. sec. 3. Quis igitur huic narrationi fidem præter, cujus apud antiquos scriptores per mille ferè annos nullum apparet vestigium? Agit diffusè de hæresi Ebionis Epiphanius *her. 30.* sed quod ejus occasione fermentati usus introductus fuerit, nullo modo testatur, nec verbum quidem de hac re in aliis extat, qui de Ebionæis scripserunt. Quin potius idem Epiphanius inter cæteros illorum errores hunc recenset, quod mysteria quotannis celebrabant ad Ecclesiæ & Sanctorum imitationem, in quibus panes azymos, & ad alteram mysterii partem solam aquam adhibebant, notans illos quòd utramque materiam Sacramenti perverterent. Scio quosdam scriptores hoc loco abuti ad probandum usum azymorum temporibus Apostolorum, ac si dixerit Epiphanius, Ebionæos mysteria fecisse in azymis ad imitationem Ecclesiæ, & Sanctorum. Sed nisi vim inferamus textui, imitatio Sanctorum ipsa tantum mysteria respicit, non eorum materiam; alioquin dicendum foret, eos aquam quoque adhibuisse ad imitationem Sanctorum. Eodem loquendi modo idem usus hæref. 46. quæ est Tatiani, dicens: *Mysteria quedam ad Ecclesiæ sanctæ imitationem instituit, sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuit.* Ubi patet Ecclesiæ imitationem, non rem oblatam, sed ipsam oblationem respicere. Illud itidem considerandum, quod si tunc temporis omnes Ecclesiæ azymis utebantur, cur reprehensi sunt Ebionæi, quod mysteria in azymis conficerent? aut quomodo Epiphanius notam eis erroris infert, si in hoc à præscriptis ritibus non aberrabant? An quia illi dicebant legales ceremonias servandas esse,



esse, quarum una erat usus azymorum; idem Ecclesia azyma à facris abstulisse credenda est? An propter paucorum abusum æquum fuit morem deferere, quem ipsi Scholastici à Christo, & ab Apostolis derivatum arbitrantur? Imò Ebionæi hac de causa rei habiti sunt, quia à communi usu fermentati recedentes azymum panem usurparunt, ut eo veluti simbolo ab orthodoxis discernerentur, suumque dogma de legis Hebraicæ observantia ejusdem azymi usu confirmarent. Hoc igitur commentum de pane azymo, primò quidem omnium consensu usitato, exinde in detestationem Ebionæorum exploso, demum extincta secta à solis Latinis rursus recepto, tanquam absurdum & incredibile reprobandum est.

VI. Eodem cum Scholasticis præjudicio deceptus fuit Hugo Eterianus *lib. 2. de hæresib. quas in Latinos Græci devolvunt cap. 17.* dicens: *Latinorum sancta Ecclesia æternaliter azyma offert & immolat, secundum Christi traditionem.* Stephanus quoque Eduensis *lib. de Sacram. altaris cap. 17.* Romanam Ecclesiam de azymo pane immolare ait, Græcos autem de fermento; quod, inquit, non consenti sanctorum Patrum doctrinæ, quia in sacro eloquio nunquam invenitur fermentum accipi in bonum. Sed hi recentiores sunt, & nihil probant: si enim ex Christi traditione azymus panis immolaretur, quis unquam ausus fuisset fermentatum adhibere? Nec verum est, ut luce clariùs constat, quod fermentato non consentiat sanctorum Patrum doctrinæ: non alio enim pane quam fermentato usi sunt Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus, & quotquot fuerunt sanctitate & doctrina conspicui Sacerdotes in ecclesiis orientalibus. Simili errore lapsus est Barlaamus Hieracensis Episcopus, qui se asserit vixisse quadringentis annis post schisma, post annum scilicet 1300. Hic ad amicos suos in Græcia constitutos sic scribit: *Ecclesia Romana ante inchoatum schisma pluribus quàm septingentis annis per azyma conficiebat sanctissimam Eucharistiam. Alexander enim Romanus Pontifex, qui sub Adriano glorioso martyrio vitam finivit, hostiam de azymo Ecclesie Romanæ statuit.* Verum hic aliis contradicit asserentibus Romanam Ecclesiam semper in azymis consecrassè ex Christi institutione. Deinde in actis legitimis S. Alexandri Papæ nihil ab eo de azymis statutum legimus: imò Romæ & in aliis occidentalibus Ecclesiis longo post ipsum tempore fermentatum in sacrificio adhibitum, multis argumentis probari potest. Occurrit

primo loco mulier incredula, quæ, ut narrat Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni *lib. 2. cap. 41.* sancto Pontifici celebranti solitas oblationes obtulerat: cui tempore communionis mysteria traditurus cum diceret, *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam*, risit mulier: At ille dextram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici corporis super altare deposuit. Expletis verò Missarum solemnibus, matronam coram populo inquisivit, quam ob rem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit. At illa ait, quia panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tum Gregorius facta oratione pro mulieris incredulitate particulam panis in carnem, & ipsam carnem rursus in panem convertit. Porro hæc mulier panem communem & usitatum obtulit, quem ipsa fecerat pro domo sua: si enim azymum fecisset & obtulisset, quo uti tunc in sacrificio mos foret, non potuisset ignorare, cui fini panis ille inusitatus destinatus esset, nec indicia sive incredulitatis sive ignorantie ridendo præbisset. Creditur S. Thomas 3. p. qu. 74. art. 4. Ecclesiam Romanam hujus Gregorii tempore azymum panem tanquam diu usitatum adhibuisse, ipsumque Gregorium in Registro ejus consuetudinis rationem reddidisse. At à viris eruditissimis observatum fuit, eam sententiam suppositivam esse, nec in scriptis Gregorii reperiri. Quidam simile legitur in Registro Gregorii VII. *lib. 8. epist. 1.* & hinc fortassis hallucinatio processit, & primo Gregorio tributum quod septimi est. De eodem pane communi Ambrosius loquitur *lib. 4. de Sacram. c. 4.* *Tu forte dicis, Meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Dum autem nominat panem usitatum & in mensa communiter usurpatum, certè de azymo explicari non potest. Illustre etiam de hac re testimonium perhibent Concilii XVI. Toletani Patres, quod æra Hispanica 731. anno scilicet Christi 693. actum fuit, c. 6. *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati, non panes mundos & studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant, sed passim quomodo unumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant.* Quod factum nequaquam in sacre auctoritatis historia



floria uspiam gestum perpenditur. Et paucis inter-  
jectis, quibus ex Evangelio ostendunt Christum  
non particulam panis, sed integrum panem acce-  
pisse & consecrassse, atque ex eo particulas con-  
fregisse, quas particulatim discipulis tribuit, sub-  
dunt. *Vnde temeritatis ejus, atque nescientie cu-  
pientes terminum ponere, id unanimi-  
tatis nostrae delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini  
sacerdoti benedictione sanctificandus proponatur,  
nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit prepara-  
tus, neque grande aliquid, sed modica tantum obla-  
ta, secundum quod ecclesiastica consuetudo reveren-  
tius reliquit, aut ad conservandum modico loculo  
absque aliqua injuria conserventur, aut si ad consu-  
mendum fuerit necessarium, non ventrem illius qui  
sumpserit gravi sarcinim ore premat, sed ani-  
mam alimonia spiritali reficiat. quid clarius hoc  
canone ad id quod intendimus astruendum? Si  
enim debuissent illi sacerdotes azymum panem  
consecrare, de hoc ante omnia redarguti fuissent,  
quod non azymum, prout mos ferebat, sed panem  
usualem & communem, & consequenter fer-  
mentatum consecrarent: atqui de hoc synodus  
tacet, & eo tantum nomine illos castigat, quod  
panes non erant nitidi, & ad illud ministerium,  
sicut par erat, peculiari studio preparati, atque  
fortuito & indecenter de communi mensa de-  
cerpti. Ad idem facere videtur Concilium Cal-  
chuten- in Anglia anno 787. dum c. 10. præci-  
pit oblationes fidelium tales fieri, ut panis sit non  
crusta. In Concilio quoque Nanneten- supra ci-  
tato constituunt Patres, *Vt de oblationibus que of-  
feruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de  
panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certe  
de suis Presbyter convenienter partes ineisas habeat  
in vase nitido, ut post Missarum solennia, qui com-  
municare non fuerunt parati, Eulogias omni die Do-  
minico & in diebus festis exinde accipiant. Quod  
decretum iisdem verbis extat inter capitula, quæ  
Hincmarus Remensis dedit Presbyteris suis  
anno 852. cap. 7. & hinc liquet, nullum fuisse  
tunc discrimen inter panem qui supererat conse-  
crati, & alium communi usui Presbyteri de-  
stinatum, quia vel ex illo vel ex isto indiscrimi-  
natim partes haberi pro Eulogiis illi Antistites  
decreverunt. Atque hinc etiam confirmatur,  
quod superius dictum est, orto jam schismate  
Græcorum adhuc in Ecclesia Latina usum fer-  
mentati permansisse.**

VII. Quod si veteres Patres percurrere, & om-  
nem evolvere antiquitatem libeat, inveniemus  
proculdubio sic à tempore Apostolorum &  
deinceps de pane eucharistico omnes loqui, ut

nonnisi de communi & fermentato commodè  
intelligi, & explicari queant. De Apostolis legi-  
mus in eorum actis cap. 2. & 20. quod ibant per  
domos frangentes panem, & fideles erant perse-  
verantes in communicatione fractionis panis, &  
unâ sabbati, id est die Dominica, conveniebant  
ad frangendum panem, qualem scilicet in domi-  
bus fidelium reperiebant. Ibi autem agi de per-  
ceptione Eucharistiae, omnium interpretum con-  
cors sententia est. Tertullianus ad uxorem lib.  
2. cap. 5. *Non sciet maritus quid secretò ante omnem  
cibum gustes. Et si sciverit panem, non illum credit  
esse qui dicitur.* Scivisset autem, si panis ille diver-  
sus à communi fuisset. Augustinus epist. 59. lo-  
quens de pane Eucharistico, *Benedicitur, inquit,  
sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur:*  
quia nimirum integer panis consecrari, & ex eo  
particulæ communicantibus distribui solebant.  
Narrat Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria  
Martyrum cap. 87. Epachium Presbyterum, cum  
indignè celebrare præsumpsisset, sumpto Sacra-  
mento in terram corruisse, & projecisse ab ore  
sacri mysterii particulam, quam dentibus com-  
minuere non potuit. Alia multa his familia occur-  
runt passim in sanctis Patribus & Conciliis, sed  
nimis in longum irem, si vellem singula recen-  
sere. Ruperto Abbati, & aliis recentioribus asse-  
rentibus Ecclesiam Romanam nunquam in sacri-  
ficio fermentum admisisse, quæ fides habenda  
sit, ex dictis manifestum est. Nec unquam Hum-  
bertus Cardinalis, & reliqui scriptores, qui pri-  
mitus adversus Græcos acerrime pro azymis de-  
certarunt, hanc perpetui moris præscriptionem  
in suæ causæ defensionem & robur asserre ausi  
sunt, scientes nihil in ea præsidii fore, quod serius  
à Latinis recepta azyma non ignorarent. Petrus  
Cluniacensis, qui integro sæculo post Humber-  
tum floruit, lib. 4. epist. 17. ad S. Bernardum, *Te-  
stes, inquit, sumus & nos temporis nostri (nostri ait,  
non antiqui) qui Romanam Ecclesiam, & totam  
Latinam linguam offerre Deo salutare sacrificium  
azymi panis videmus, cum Græca Ecclesia &  
maxima Orientis pars, ac barbaræ sed Christiane  
gentes sacrificare de fermentato dicantur.* Tum ait,  
ob has usuum dissonantias tam antiquos, quàm  
modernos à mutua charitate non descivisse, quia  
in his nihil quod fidem læderet invenerunt. Græ-  
cus etiam homo Demetrius Chomatenus Bulga-  
riæ Archiepiscopus, quem citat Sirmundus, cum  
animadvertisset, nullos usquam canones azymo-  
rum meminisse, rectè conjecit eorum morem se-  
rius & post Photii schisma in Romanam Eccle-  
siam se insinuasse. Hinc doctiores inter Græcos  
schif-



schismaticos controversiam de azymo & fermentato male excitatam fuisse fatentur, nec propter hanc discrepantiam, quæ ritus est, non dogmatis, dissidium ab initio contigisse cognoscunt, & testantur. Illorum verò testimonia legi possunt apud Leonem Allatum in dissertatione de perpetuo consensu Ecclesiæ occidentalis atque orientalis ad Joannem Christianum de Boineburg edita cum ejusdem tractatu de Purgatorio, & in Hottingero convicto cap. 9. Consentit ex Latinis Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, agens enim *epist.* 44. de quodam Sacerdote qui ex pane communi sacrificium obtulerat, gravius puniendum ait Ecclesiæ seu populi scandalum, qui ea novitate offensus fuerat, quam delictum, in ea enim consuetudinem potius quam fidem impugnatam fuisse. Non possum autem hoc loco omittere aut dissimulare Rabani Mauri sententiam, qui *lib. 1. de Institutione clericorum* (quem se scripsisse testatur anno Domini 819. cap. 31. ait, *Panem in fermentatum & vinum aqua mixtum in Sacramentum corporis & sanguinis sanctificari oportet. Quæ verba & alia, quæ sequuntur ad comprobandum azymorum usum, assertioni nostræ proculdubio adversari videntur. Sed dum attentius considero, nullam vivente Rabano de azymo & fermentato controversiam extitisse; nec ab aliis illius sæculi scriptoribus azymorum pro usu sacrificii mentionem fieri, suspicatus sum addita illa ab aliquo recentiore ex ritu sui temporis. Ut igitur hæc de re certior fierem, ad codices M. SS. confugiendum esse existimavi, unumque reperi in Bibliotheca Vaticana num. 1149. sic inscriptum, *Rabani Mauri liber de officiis Ecclesiasticis: & sic incipientem, Qualiter ad divinum officium instrui oportet sanctissimum Ordinem clericorum, institutio Ecclesiastica narratione declarat multimoda. Est autem lib. 3. citati operis de institutione Clericorum, isque in multis ab edito diversus. Ex quo meam suspitionem haud temerariam fuisse cognovi, librumque Rabani à recentioribus auctum, & interpolatum fuisse non inconsultè judicavi.**

VIII. Ad eundem fermentati usum comprobandum præteriri non debent Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum decreta. De Melchiade hæc in ejus vita leguntur. *Hic fecit ut oblationes consecrate per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur; quod declaratur fermentum. De Siricio hæc scripta sunt. Hic constituit ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur*

*fermentum. Innocentius verò epist. ad Decentium cap. 5. sic scribit. De fermento quod die Dominice per titulos mittimus. Superfluum nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, ideo id fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione maxime illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam. Ad statutum autem Melchiadis hæc in scholiis suis ineditis addit Petrus Episcopus Urbevitanus. Diebus enim Dominicis mittebat Romanus Pontifex per titulos Urbis fermentum confectum ab ipso per suos Acolythos, ut à communione ejus plebi non putaret se separatam, quia recipiebat corpus Christi de fermento ab ipso consecrato. Ad Ecclesias autem cœmeteriorum extra Urbem positas non mittebatur, quia Sacramenta longè deferri non possunt. Mos verò non deferendi in cœmeteria, de quo hic mentio fit, postea abrogatus fuit. Nam in vitis Pontificum à Joanne III. constitutum lego, ut oblationes & amulæ, vel luminaria in cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur. Et Gregorius III. disposuisse dicitur, ut in cœmeteriis circumquaque positis luminaria ad vigiliis faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas. Mittebant itaque Pontifices ad Ecclesias Urbis in signum mutæ communionis panem, qui fermentum dicebatur, quo nomine ipsam Eucharistiam intelligendam esse, non autem Eulogias, ut contendit Baronius, ex verbis Melchiadis & Siricii manifestè deducitur: illi enim de pane consecrato loquuntur, non de Eulogiis, quibus nomen consecrationis aptari non potest. Et Innocentius rationem reddens propter quam illud fermentum non mittebatur extra Urbem, quia, inquit, non longè portanda sunt Sacramenta. De Sacramento igitur hic sermo est, non de Eulogiis, quæ non sunt Sacramentum. Nec puto hunc ritum non mittendi procul Sacramenta à Joanne & Gregorio tertiis abrogatum, cum in cœmeteria mitti oblationes è palatio Lateranensi decreverunt, nullam enim consecrationis mentionem faciunt, nomen autem oblationis pani oblato ad usum sacrificii tribui quoque solebat, antequam à Sacerdote consecraretur. Sed videamus qua ratione motus Baronius nunquam potuit adduci*



ut crederet fermenti nomen tributum aliquando Eucharistiæ; quia, inquit, notissimum est Romanam ac simul Occidentalem omnem Ecclesiam nominis in azymo pane consuevisse Eucharistiæ conficere. Ita ille 4. 313. agens de rebus Melchiadis. At ego ostendere hic enitor usum fermentati Romæ & in Occidentali Ecclesia diu viguisse: ideoque assero fermenti nomen à prædictis Pontificibus Eucharistiæ tributum, quia in pane fermentato conficiebatur. Narrat ibidem Baronius viros eruditos in hac re elucidanda admodum laborasse, & inter alios Latinium, à cujus sententia ait se dissentire. Optavi sanè, cum primùm hæc scriberem, Latini de hoc fermento dissertationem, si fortè extaret, videre; sperabam enim me aliquid in ea reperitum, quo res obscurissima utcumque posset elucidari. Cumque aliquando de hoc colloquerer cum viro humanissimo, rerumque omnium, præsertim Ecclesiasticarum, notitia maximè imbuto Francisco Maria Brancatio S. R. E. Cardinali & Episcopo Viterbiensi, se prælo paratam habere dixit secundam partem Epistolarum ipsius Latini ex suæ Ecclesiæ Bibliothecamox edendam studio Dominici Magri ejusdem canonici & Theologi notæ eruditionis, inter quas erant Latini & Antonii Augustini de fermento opiniones duabus epistolis alterius ad alterum expressæ, quas protinus ad me mitti curavit. Et Latinus quidem ad ipsum Augustinum tunc Episcopum Herdensem scribens putat fermentum, de quo agitur, verum Sacramentum Eucharistiæ omnino fuisse, quod cum legissem gavissus sum me in eam sententiam venisse, quæ dudum homini doctissimo placuerat, eique propterea firmius adhæsi. Cur verò fermenti nomen ipsi Sacramento tributum sit, expendens Latinus duas causas comminiscitur, quæ pace tanti viri mihi prorsus absurdæ, & à moribus illorum temporum extoto alienæ visæ sunt. Apellabatur autem fermentum, inquit, non quia aliquid haberet commune cum fermento quo utimur ad panem fermentandum, sed ea fortè assertionem, vel quia velut massa & conspersio esset utriusque partis Sacramenti, corporis videlicet & sanguinis, ita mixta, ut nullo modo separari posset. Vel quia eadem ipsa massa propriè fermenti vicem obtineret in alia majori massa fermentanda, quæ satis esse posset ad populum cujusque rituli communicandum. Hanc verò mixtionem eo consilio factam arbitratur, ut Manichæi, qui à vino abhorrebant, detegerentur: nam mittens Pontifex illud fermentum Presbyteris præcipiebat, si Latinio credimus, ut per eosdem Presbyteros plebi uni-

verse astanti diligentissimè declararetur fermentum illud à summo Pontifice confectum & consecratum cum admixtione utriusque speciei eo consilio fuisse, ut qui cum Catholica Ecclesia sentirent, & in eius communione manere vellent, dum illud sumerent profiterentur se sub specie panis & vini simul mixta Eucharistiæ accipere, & tam panis quam vini creatorem Deum agnoscere, & non Principem tenebrarum, ut de vino in creatoris omnium injuriam Manichæi blasphemè assererent. At missum ex hoc motivo fermentum, nec ex Actis Melchiadis & Siricii, nec ex epistola Innocentii ulla ratione colligi potest. Nulla item assertæ mixtionis utriusque speciei apparet necessitas ad detegendos Manichæos; cum enim tunc sub utraque specie fideles communicarent, multò facilius deprehendi poterant, si à sanguinis poculo per Dionysium porrecto abstinerent; quo indicio sub Leone Magno eos proditos ex ejus sermone 4. de Quadragesima constat. Nihil etiam legimus in scriptoribus illorum temporum, quo Latini conjectura inniteat. Deinde mixtio corporis & sanguinis tunc inaudita fuit, & à moribus ac ritibus Ecclesiæ omnino per illa tempora dissidebat, ut Lib. II. palam fiet, cum de communione intincta disseremus. Porro ad Latini epistolam breviter respondens vir solidæ doctrinæ & eruditionis Ant. Augustinus, suamque de hoc fermento opinionem exponens, missum à prædictis Pontificibus panem consecratum asserit, cum negari non possit quod illi clarissimè dicunt; sed ex præconcepta sententia de perpetuo azymorum usu in Ecclesia Latina putat, fermenti appellationem non veram esse, sed usurpatam, & qua vulgus uteretur pro azymis illis sinceritatis & veritatis; inde fortè appellationis origine sumpta, quod eadem die, qua lati omnes participes fierent sacra mensa post longam quadragesimam diem mediam, eadem verba de fermento audirent, & pro Græco azymorum verbo, Latino uterentur contrariæ significationis. At hinc videre licet, magnos quoque viros errori obnoxios esse, cum alicui opinioni ab infantia adherentes antiquos ritus ad illam expendunt & accommodant. Nam quid magis alienum à communi usu loquendi, quàm quod nomen fermenti pro azymis accipiatur? quia nimirum in die Paschatis audiebant fideles, epulamini non in fermento malitiæ & nequitie, sed in azymis sinceritatis, & veritatis; idcirco Eucharistiæ contraria significatione vocabant fermentum. Neminem futurum credo, cui hoc suaderi possit. Cæterum epistolæ Latini & Augustini editæ jam sunt parte 2. epistolarum ipsius



*finis Latini pag. 116. & sequentibus.* Diversa ab his est Sirmundi sententia, qui Eucharistiam ex eo fermentum à prædictis Pontificibus dictam existimat, non quod ex pane fermentato esset, sed quod ipsa, quocumque ex pane fieret. Ecclesiis ad quas mittebatur fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ cui commiscetur: At nihil vetat quin utrumque verum sit, & Eucharistiam fermentum dictam, quia reverà ex fermento erat: & symbolicè etiam fermentum nuncupatam, quod signum sit unitatis, & vinculum charitatis.

IX. Sic expedita videri poterat controversia de fermento ad Ecclesias olim missa: sed emergunt alii nodi, quorum difficilis valdeque perplexa solutio est: nec eos dissimulavit in præcitata epistola Latinius, sed proponit his verbis: *An autem titulares Presbyteri eodem die Dominico Missas integras celebrarent, id est an verè ipsi consecrarent & offerrent, & an una cum fermento à Pontifice missa propriam quoque oblationem peracta consecratione sumerent; an autem alteram, & an soli ipsi vel etiam populus ex altera, vel utraque communicarent, ut in re valde obscura nihil videtur temerè pronunciandum.* Hæc reverà obscura sunt, nam cum supra dixerimus sacrificium peractum ex oblationibus fidelium, quomodo hi Pontifices à Lateranensi Patriarchio mitti oblationes decreverunt? & si panis quem mittebant, erat consecratus; certum est quòd ad Missam à Presbyteris titulorum celebrandam non pertinebat. An igitur à fidelibus solitas oblationes accipiebant in Missa consecrandas, ex quibus & ex pane consecrato, quem Pontifex miserat, tam Sacerdos quam astantes in signum mutæ Pacis, dilectionis, atque unitatis communicabant? Hoc planè verisimile, imò certum mihi videtur: nam vinum missæ Pontifices nusquam apparet, Missæ autem Sacrificium sine panis & vini oblatione & consecratione agi non poterat; quare fideles more tunc usitato utrumque offerebant, & ex ipsis muneribus sacrum agebatur, sine ullo respectu ad panem missum è Lateranensi palatio, nisi quòd illum cum oblationibus recenter consecratis communicaturis distributum putamus. Cohæret hic ritus cum aliis veteris Ecclesiæ consuetudinibus. Mos enim fuit, ut, qui eisdem fidei essent, sibi mutuo mitterent Eucharistiam in signum communionis, sicut testantur Eusebius *lib. 5. hist. eccl. cap. 24.* Nicephorus *lib. 4. cap. 39.* & Joannes Moschus in *Prato spirituali cap. 29.* idque

salvo jure celebrandi, quod sacrum illud minus non auferebat. Ita pari ratione missa per titulos Eucharistia, nullum præstabat impedimentum, quin possent & deberent eorum Presbyteri synaxim agere. Quia verò Sacramenta procul deferre vetitum erat absentibus & longè constitutis in symbolum fraternæ charitatis panis communis mitti solebat, cujus rei testes sunt Augustinus *epist. 34.* & Paulinus *epist. 41, 45, 46.* quem morem diu permanisse Flodoardus docet *lib. 4. hist. Remensis cap. 3.* scribens Formosum Papam Carolo Regi Francorum panem misisse pro pignore pacis & unanimitatis. Sic imminuto fidelium fervore, usui frequentissimo ac fere quotidiano communionis successit usus Eulogiarum, de quibus infra. Aliam veterem consuetudinem describit Alcuinus *lib. de divinis offic. cap. 37.* agens de ordinatione Episcopi in Romana Ecclesia, *Pontifex ad communicandum porrigit ei formatam, atque sacram oblationem, quam accipiens communicat super altare, cætera verò reservat sibi ad communicandum usque ad dies quadraginta.* Idem habetur in ordine Romano, ubi est etiam exemplar *Formatæ*, quæ datur Episcopo noviter consecrato. Eiusdem panis consecrati, quem acceptum ab Episcopo in die suæ ordinationis Presbyteri consumere debent quadraginta diebus, quotidie ex eo particulam sumentes, historiam narrat Fulbertus Carnotensis Episcopus *epist. ad Finardum*, mysticam ejus ritus rationem reddens. Ex hac autem Fulberti epistola manifestum est, tunc Presbyteros per illos quadraginta dies quotidie celebrasse, & tempore communionis particulam hostiæ de manu Episcopi susceptæ, & eam quam ipsimet consecrabant, comedisse. *Sicut enim, ait ille, multæ Ecclesiæ sunt per universum orbem terrarum propter diversa loca, & tamen una est sancta Catholica Ecclesia propter unam fidem: sic & multæ sunt oblatæ propter vota offerentium, unus panis est propter unitatem Corporis Christi. Nam panis ab Episcopo consecratus, & panis à Presbytero sanctificatus in unum & idem corpus transfunditur, propter secretam unius operantis potentie virtutem.* Hinc autem suspicor lumen originem & rationem duplicis panis, qui ab Episcopo in die ordinationis suæ offertur: olim enim uterque consecrabatur, alter pro consecrante & aliis Missæ assistentibus, alter pro prædicta quadraginta dierum Episcopi tunc promoti communionem. Si ergo panis consecratus, quem Pontifex Episcopis, Episcopus Presbyteris in Missa ordinationis præbe-



bat, ut ex eo singulis diebus particula ad communicandum decerperent, nullatenus impediatur quin quotidie sacris operarentur; nemo certe absurdum, aut à moribus Ecclesiæ, pro ut illa ferebant tempora, alienum existimabit, quod Presbyteri Romani accepta à Pontifice Eucharistia, quæ fermentum dicebatur, Missam nihilominus diebus Dominicis agerent, & alium panem oblatum de more à fidelibus consecrarent, atque ex utroque se & alios communicarent. Hæc mea opinio est, quam precor ut expendant viri docti & periti, & si quid certius magisque consentaneum repererint, libentissimè amplectar.

X. Quæcunque verò de hac re hæcenus scripta sunt, si quis attento animo, & à præjudicii opinionum libero percurrat, fatebitur, ni fallor, azymorum usum non semper extitisse in Ecclesia occidentali: tum etiam agnoscat multa ab hodiernis ritibus profusè diversa olim viguisse, quæ nunc legitimè potestate immutata & antiquata sunt, ita exigente rerum, temporum, & hominum conditione. Quod si usus azymorum perpetuus in Romano Patriarchatu non fuit, inquirendum consequenter videtur, quo tempore & qua occasione introductus sit. Et quidem, quod spectat ad tempus, probabilis mihi semper visa est Sirmundi conjectura, existimantis tunc à Latinis recepta azyma, cum illis opponi tanquam grave crimen à Græcis schismaticis cœperunt. Hoc verò contigit sub Pontificatu Leonis IX. vel paulò ante, thronum Constantinopolitanum occupante Michaële Cerulario, qui primus omnium Latina Ecclesiæ azymorum causâ bellum indixit, quem alii postea sequuti Latinos per ludibrium *Azymitas* nuncupabant, eorumque sacrificium hac de causa execrabantur. Quamvis autem annus præcisè assignari non possit, quo panis azymus ad usum sacrificii initium habuit, saltem à scopo non aberrabit, qui illud ad tempus referendum censuerit, quod inter Photium & Cerularium, centum & septuaginta circiter annorum decursu, intercessit. Occasionem verò non sine manifestis indiciis inde natam arbitror, quod, cum paulatim Fidelium sacro assistentium, imò & Clericorum communio deserit; sufficeretque modicus panis pro celebrantis & Ministrorum in Missis solemnibus communione; in privatis verò pro solo sacerdote: cumque populus alicubi vel panem non offerret, vel minus aptum ad sacrificium, sensim factum est, ut ad exiguam quantitatem idem panis redigeretur, ejusque conficiendi cura ad Sacerdotes & Clericos

pertineret: & quia azymus faciliùs parabatur, nec ullo canone veritus erat, hic fermentato substitui cœpit, & per omnes Ecclesias paulatim propagari. Sed hæc clariora evadent, si altius perscrutemur, quænam olim panis consecrandi forma seu figura fuerit, & quomodo ad eam, qua nunc utimur deventum sit. A primis autem Ecclesiæ sæculis sumpto principio, cum dira persecutione per illa tempora vexaretur Ecclesia, integros ac solidos panes, quales vel præ manibus erant, vel à fidelibus offerebantur, cujuscumque formæ seu figuræ forent, in altari poni & consecrari, atque in partes comminui, & communicat uris distribui consuevisse, ex re ipsa exploratissimum est. Reddita verò pace servatam figuram rotundam sive orbicularem insinuant Patres Græci, & Latini. Epiphanius in *Ancorato num. 57.* loquens de pane qui in Corpus Christi convertitur, agnoscit in eo rotunditatem. Cæsarius Nazianzeni frater *Dialogo 3. de fide Cathol. interrog. 169.* comparans Corpus Christi inter nos degentis cum eodem in sacramento sub specie panis existente, illud ait esse artubus compositum, hoc rotundum. Severus Alexandrinus in *ordine Missæ* hostiam circulum appellat. Eadem rotunditatem astruunt Patres Concilii XVI. Toletani supra citati. Gregorius *lib. 4. Dialogor. cap. 55.* refert Presbyterum quemdam duas secum oblationum coronas detulisse. Oblationibus autem coronæ nomen inditum à rotunditate notat Petrus Urbevetanus in scholiis ad vitam Zephyrini Pape, qui ibidem constituisse dicitur, ut coronam consecratam de manu Episcopi acciperet Presbyter tradendam populo. Iso Monachus de miraculis S. Othmari Abbatis *cap. 3.* rotulas panis vocat Oblatas, quæ in ejus sepulchro mirabiliter repertæ sunt. Hanc ipsam figuram confirmant picture quæ in antiquis codicibus M. SS. & in parietibus veterum Ecclesiarum non alia forma quàm circulari easdem Oblatas representant. Cruce quoque ac nomine Jesu Christi Salvatoris nostri signatas fuisse testantur Goar in *notis ad Euchologium pag. 117.* Arcadius *lib. 3. de Sacram. cap. 38.* & Sirmundus *de azymo cap. 4.* earumque formas æri incisas exhibent. Diversos verò fuisse in diversis ecclesiis Oblatarum characteres, ex Concilio Arelatensi V. discimus, quod anno 554. celebratum fuit: nam *cap. 1.* statuit: *Utblatæ, quæ in sacro offeruntur altario, à Comprovincialibus Episcopis ad formam Arelatensis offerantur Ecclesiæ: non pro cuiusque arbitrio signatæ seu formatæ.* At progressu temporis pro signo crucis & Jesu



Jesu nomine aliæ effigies inductæ sunt, in azymis præsertim quibus hodie utimur, Christi scilicet crucifixi, vel ad columnam alligati, vel è sepulchro emergentes & resurgentes, quas ex diversis partibus orbis sibi transmissas Aloysius Novarinus profert in Agno Eucharistico cap. 69. Quo verò tempore coeperint hostiæ eâ formâ cudi, quæ nunc passim viget in omnibus Ecclesiis occidentalibus, ex scriptoribus qui post annum Christi millesimum floruerunt, investigandum est.

XI. Differit de hac re, sed parum distinctè, Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 66. Fertur quod olim Sacerdotes à singulis domibus & familiis farinam accipiebant, quod adhuc Greci servant, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc consecratum eis distribuiebant. Postquam autem Ecclesia numero quidam augebatur, sed sanctitate minuebatur; propter carnales statutum est, ut qui possent singulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel summis festivitatis, vel ter in anno communicarent. Et quia populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est eum in modum denarii formari vel fieri; & ut populus pro oblatione farine denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognoscerent, qui tamen denarii in usum pauperum, qui membra sunt Christi, cederent, vel in aliquid, quod ad hoc sacrificium pertinet. Et supra cap. 35. de eadem forma panis per modum denarii scribens ait. Ideo imago Domini cum literis in hoc pane exprimitur, quia in denario imago & nomen Imperatoris scribitur. Hæc Honorius qui vivebat anno 1130. Ernulfus item Rossensis Episcopus, qui obiit anno 1124. Epist. ad Lambertum tomo 2. sæpius laudati Spicilegii, postquam probavit aliquos Ecclesiæ ritus alio modo coepisse, & alio modo per ejus incrementa cucurrisse; Patet, inquit, attestantibus scripturis, sacramenta Altaris, quæ jejuni modo accipimus, Discipulis Domini coenatos accepisse. Patet etiam quod summus de mensa lapidea ac sacrata; illos sumpsisse de mensa lignea, non secundum morem Ecclesiæ sacrata, aut fortasse nulla. Illi panes quotidianos comederunt: nos in forma nunni panem accipimus. In quibus verbis illud obiter notandum, quod ait Apostolos panes quotidianos comedisse, hoc est communes & fermentatos. His verò antiquior Humbertus Cardinalis in Responsione ad Michaëlem Constantinopolitanum, & ad Leonem Acridanum scripta anno 1054. Ad magnam Christi mensam illum solum adhiberi panem ait, quem Diaconum subdiaconis, seu ipsi sacerdotes sacris amittit

vestibus cum melodia Psalmorum conspersum & in ferro paratum ex secretario proferunt. Et paulò post. Nos tenues oblatas ex simila preparatas integras & sanas sacris altaribus superponimus, & ex ipsis post consecrationem fructus cum populo communicamur. Antiquæ item consuetudines Cluniacenses à S. Uldarico collectæ circa annum 1070. tom. 4. Spicilegii pag. 217. communionem moribundi describentes, Sacerdotem ad ecclesiam accedere ajunt, Corpus Domini frangere, & partem quam allaturus est super calicem tenere. Ex quibus testimoniis liquet, etiam post recepta azyma non adeo tenuem fuisse panem, quin frangi posset & dividi in partes, quæ pro adstantium communionem sufficerent. Non ergo videntur fuisse Oblatæ viventibus Humberto, & Uldarico per modum denarii; sed ad eam formam redactæ sunt propè finem illius sæculi; cujus rei testem habemus fide dignissimum Bernoldum Presbyterum Constantiensem, quem Trithemius ait ad utilitatem ecclesiasticæ Reipublicæ composuisse volumen, quod prænotavit Ordinem Romanum, claruisse autem anno 1060. Latet hic liber nondum typis editus, sed ex eo nonnulla excerptis & transtulit in sua Liturgica tacito auctoris nomine Georgius Cassander. Idem tamen epist. 114. sic de illo scribit ad Jacobum Pamelium. Est apud nos libellus quidam justæ magnitudinis, in cujus initio ponitur Ordo quidam Romanus, demde ejus expositio, cujus Auctor scripsisse se testatur anno Domini 1089. quem suspicor esse Bernoldum Presbyterum Constantiensem. Et bene suspicatus est, contestante Trithemio, & nota temporis non discrepante. Sed si Bernoldus fuerit, siue alius, proposito nostro satis est, quod labente sæculo undecimo scripserit. Is igitur apud Cassandrum in Liturgicis cap. 27. de forma panis sic differit: Manifestum est cujus mensuræ vel formæ debeant esse sacerdotum Oblatæ, quæ ex pugillo simile fieri jubentur, & ad speciem coronæ, quod est tertiam panis offerre. Mensura pugilli minima est omnium mensurarum, unde possit panis fieri, quæ scilicet mensura legitimo jure constituitur sacerdotibus ad ministerium altaris. Quod si minor mensura quam pugillus non invenitur in tota serie veteris & Novi Testamenti, & si nihil omnino debet fieri intra vel extra templum Domini absque mensura & ratione, videntur Oblatarum minutie ad Christum & ad Ecclesiam nihil pertinere, quia sunt absque mensura & ratione. Hæc & alia plura Auctor ille expositionis Ordinis Romani, quæ se omisisse asserit Cassander ibidem his verbis. Plura



ab eodem Autore alioquin prudenti, pio, & Ecclesiasticarum traditionum studiosissimo in eam sententiam dicuntur, qui indignissime tulisse videtur etate sua in quibusdam ecclesiis Oblatas panis, quæ præcæ Ecclesiæ consuetudine ad usum sacrificii ad mensam Domini à populo fidei offerbantur, ad imaginem nummorum, & ad tenuissimam quandam & levisimam formam à veri panis specie alienam fuisse redactas: quare per contemptum minutias nummulariarum oblatarum appellat, imaginariam & umbratilem levitatem illis tribuit, & indignas esse panis vocabulo pro sua tenuitate; ac propter eas officium atque religionem Ecclesiastici officii multum per omnem modum confundi asserit, pluribusque & acerbioribus dictis eas infectatur, quæ omnia ut ascribam expedire hoc loco non putavi. Et revera necessarium non fuit, ex supradictis enim, cumulatius quàm oporteret, habemus hujus scriptoris etate cœpisse hostias, quibus nunc utimur, jam usu azymorum introducto, quæ acrius à Græcis impugnata fuissent, si formam nummi ab initio accepissent. In hac autem re credibile est majores nostros paulatim & per gradus processisse: nam vivente Humberto & pro azymis scribente, panis, ut diximus, tantæ erat magnitudinis, ut ex eo consecrato tot particulæ frangi possent, quot erant necessaria ad populum communicandum. Postea interjectis quadraginta fere annis, cum præcæta Ordinis Romani expositio scripta est, ad hanc minimam formam redactus est, quam utpote novam & tunc incipientem scriptor ille tanta acerbitate infectatur. quia verò novitates in Monasteriis à frequentia hominum remotis serius innotescunt, non statim à Monachis hujusmodi oblatæ nummulariæ receptæ sunt, ut ex earum forma in quibusdam Ritualibus præscripta evincitur: quod in aliis etiam ecclesiis contigisse evidens est; nam Petrus Abbas Cluniacensis, qui doctrina & sanctitate claruit anno 1150. lib. 1. Miracul. cap. 5. scribit hominem quemdam, qui Corpus Domini indignè susceperat, nunquam illud trajicere potuisse, sed frustra omnia, inquit, comminuti Corporis Christi cum vino, quod susceperat, in vas quod ibi suppositum fuerat, refundere coactus est. Ex quo patet talem fuisse tunc panem, ut deglutiri non posset, nisi dentibus comminutus. Denique eodem tempore, quo nummulariæ Oblatæ introductæ fuerunt, præter oblatam majorem pro Sacerdote, aliæ item minores pro communione populi sunt institutæ, quæ licet integræ consecrentur, & singulis integræ porrigantur, nomen tamen

particularum ex antiqua consuetudine retinuerunt.

XII. Simili modo in panis consecrandi præparatione diverſi gradus pro temporum diverſitate servati sunt. Primorum enim sæculorum mos fuit panem communem & propriis usibus paratum offerre & consecrare. Pacato postmodum Ecclesiæ statui placuit Patribus non vulgares panes, sed studio ad id paratos adhiberi. De S. Radegunde Regina legimus, quod oblatas manibus suis factas locis sacris dispensabat. Concilium Toletanum XVI. sancivit, ut non aliter panis in altari sanctificandus proponatur, nisi qui studio fuerit præparatus. Theodulfus Aurelianensis in suo Capitulari panes in sacrificium offerendos nitidè & studiosè fieri mandat, atque diligenter observari statuit, ut tam panis quàm vinum & aqua mundissimè tractentur, nihilque vile, nihil non probatum in his inveniatur. S. Wenceslaus Dux Bohemiæ in magno Belgii chronico laudatur, quod spicas propria manu colligeret, excuteret, & ex his panem sacrandum formaret. Nullo autem loco studiosius, quam in Monasteriis idem panis parabatur. Modum hic breviter describam ex statutis Monachorum à B. Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi collectis cap. 6. & ex antiquis consuetudinibus Cluniacensium à Luca Dacherio editis tom. 4. Spicilegii, atque ex aliis Monachorum Ritualibus. Et primò quidem frumentum quantumvis purum granatim eligebant, lavabant, & in sacculo mundo ad hoc solum opus destinato ponebant, honestoque famulo dabant, qui deferret ad molendinum. Tum hic lavabat molam, aliudque frumentum prius frangi curabat, ut sine aliqua forde moleretur. Exinde reportabat farinam, quam Secretarius, sive, ut nunc loquimur, Sacrista indutus alba & amictu, cribro prius abluto & extensa circum cortina cibrabat. Demum Sacerdotes seu Diaconi alba induti, lotisque manibus, & psalmos recitantes, farinam aqua conspersam in vase nitidissimo coagitabant, igneque succenso lignis aridis ad hoc de industria præparatis hostias coquebant, summa cura caventes, ut nec proprius quidem flatus ad eas pertingeret. Tanta in illis erat erga panem consecrandum reverentia; tam severa & anxia in eo conficiendo sollicitudo. Venit hic in mentem dictum Tertulliani sapius citatum lib. de corona militis cap. 3. Calicis aut panis, etiam nostri, aliquid decuti in terram anxie patimur. Etiam nostri, inquit, id est communis & domestici, qui apud Christianos in summo semper honore fuit, quod

cx



ex eo Eucharistia conficiatur. Memini etiam me legisse peculiare olim vineas Ecclesie traditas, ut ex illis optimum vinum fieret in usum sacrificii. S. Remigius, teste Flodoardo *lib. I. hist. Remens. cap. 18.* vineam reliquit, ut inde vinum diebus Dominicis, & aliis festis sacris altaribus offerretur. Ibas Edeffenus in synodo Berytensi accusatus fuit quod vinum vile in usum sacrificii præberet. qui vero sunt hodierni mores in panis & vini præparatione; nimis notum omnibus est, nec me oportet in his enarrandis inutiliter occupari. Ceterum panis & vini duplex est præparatio: una remota, de qua hætenus actum est; altera proxima, cum sacrificii instat celebratio. Hæc à Latinis in sacrario peragitur quod attinet ad panem, posita hostia super patena, additisque particulis pro his, qui sacre communionis participes esse volunt. At vinum & aqua calici infunduntur cum oratione & benedictione immediatè \* ante offertorium, qui ritus suo loco explicabitur. Græcos quoque eandem præparationem quondam Goar in notis ad Liturgiam Chrysoftomi n. 22. At ex Liturgiis quibus hodie utuntur, & ex communi eorum praxi constat manifestè, tam panem quam vinum in prothesi ab illis, sive in minori altari, præparari; priusquam Sacerdos & Ministri ad Sanctum Bema, quod est majus altare, sacris vestibus induti procedant. Olim cum panis fermentatus erat & justæ magnitudinis, dissectis ex ipso tot partibus, quot erant necessariæ ad sacrificium & ad fidelium communionem; ipsius residuum in alias partes scindi, & his qui non communicaverant in fine Missæ distribui solebat, qui ritus adhuc permanet in Ecclesia Orientali. Eulogiam vocant Græci, sive benedictionem; & Antidoron, quia datur loco doni, sive Eucharistiæ, quæ à sanctis Patribus donum nuncupatur. Eulogiæ nomen pro ipsa Eucharistia quandoque usurpatum reperitur, ut à Cyrillo Alex. epist. ad Nestorium: *Accedimus ad mysticas Eulogias & sanctificamur, participes facti sacre carnis & pretiosi sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi: & à Maximo martyre ad cap. 3. Eccl. hier. Elevans Sacerdos sacrum panem, ostendebat Eulogiam dicens, Sancta Sanctis.* Frequentius tamen ab ea distinguitur, tamquam id quod ejus vices aliquo modo supplebat. Hoc concilium Nannetense indicat c. 9. decernens, ut Eulogiæ in fine Missæ iis, qui communicari parati non fuerint, distribuantur. quod decretum quidam Canonum collectores S. Martyri & Pontifici Pio

\* f. Post.

perperam tribuunt, non considerantes epistolam ejus, & qua sumitur, esse suppositiciam: nec advertentes secundo sæculo, quo ille vixit, nondum fuisse Eulogias in Ecclesia, de quibus Tertullianus, Cyprianus, & alii æquales silent, quia quicumque tunc aderant sacrificio communicare solebant; Eulogiæ autem institutæ sunt, ut his darentur, qui mysteriorum participes fieri aut non poterant, aut nolebant. Earum meminit Nazianzenus *orat. in funere Patris.* Concilium quoque Laodicense paulò ante Nicænum sub S. Silvestro celebratum c. 14. prohibuit, ne sancta inlar Eulogiarum in festo Paschæ ad alienas parœcias mitterentur: ubi Balsamon in scholiis Latini ritus ignarus Latinos calumniatur, ac si panem consecratum perinde ac communem distribuerent. Vera autem hujus canonis expositio ex veteris Ecclesie consuetudine sumenda est. Tanta enim erat mutuæ unionis & societatis inter fideles religio & zelus, ut si omnes de uno & eodem pane ab eodem Sacerdote consecrato participare potuissent, id libentissimè in toto terrarum orbe fecissent, quo sic ostenderent se omnes in Christo unum esse. Ideò non solum Romanæ, sicut supra diximus, sed aliarum etiam quarundam Ecclesiarum usus fuit, ut ab Ecclesia primaria civitatis ipsa Eucharistia ad singulas parœcias ab Episcopo mitteretur, quatenus scirent omnes, qui ab uno Episcopo regebantur, se cum illo unum corpus efficere. Id in Paschali festivitate fieri vetuit synodus Laodicensis, vel quia oporteret omnes Presbyteros ea die Episcopo celebranti cum plebe sibi commissa adstare, & ritu tunc usitato cum eodem celebrare: vel alia de causa nobis ignota. Cætera, quæ de Eulogiis, earumque usu ac distributione dicenda forent, plenius Lib. II. pertractabimus, cum de Communionem differemus.

## CAPUT XXIV.

De sacris indumentis Sacerdotum, Põmificum, & Ministrorum. Peculiares vestes easque pretiosas sacrum agentibus in usu semper fuisse. Quis olim earum color. Locus in quo condebantur, ejusque nomina. Diaconicon, Scévophylacion, Pastophorion, Vestiarium, Salutatorium. De singulis vestimentis seorsum agitur.

I. Sacerdotem sacris operaturum non communi, & quotidiano habitu, sed alio peculiari,



liari, & augustiore uti oportere, notissimum est: quem ritum catholica Ecclesia ab Apostolis acceptum usque ad nostram transmisit ætatem, quamvis in vestium numero & forma aliquid fuerit successu temporis immutatum. Præcesserat hujus rei typus in veteri testamento, nam Sacerdotibus & Levitis specialia vestimenta certis ritibus & ceremoniis consecrata in usu erant, cum legales Deo victimas immolabant; quorum antitypum in Ecclesia reperiri congruum fuit, ut habeant legales umbræ aliquid sibi respondens non solum in cœlestibus exemplaribus, ad quæ iussit Deus omnia fieri; sed etiam in rebus nostris, quæ, ut ait Dionysius in ecclesiastica Hierarchia, partim sunt typi cœlestium, partim Mosaicarum umbrarum corpora, testante Apostolo *ad Hebr. 10.* quod habuerit lex umbram futurorum. Imò etiam in lege naturæ propria fuisse sacerdotibus indumentata, cum sacrificia Deo offerrent, auctores graves asseverant; & Hupertus Abbas *lib. de incendio oppidi Tuitensis cap. 16.* postquam dixit juri primogeniti annexam fuisse sacerdotii dignitatem, ad ipsum spectasse putat vestes Esau valde bonas, quibus Rebecca induit Jacob, cum simulans fratris personam benedictionem ei surripuit. Huc autem pertinet Penula à Paulo Troade relicta, quam fuisse vestem sacerdotalem suo loco indicabo. Huc lamina, seu mitra episcopalis, quam gestasse Joannem Evangelistam Polycrates Ephesi Episcopus auctor est apud Eusebium *lib. 3. hist. cap. 81.* Huc infulus, quarum meminit Tertullianus *lib. de Monogamia cap. 12.* Huc querelæ Optati Milevitani de profanatis à Donatistis Ecclesie ornamentis. Huc Stephani I. decretum, qui, ut ait Anastasius, sacerdotes & Levitas vestibus sacris in usu quotidiano non uti, nisi tantum in Ecclesia constituit. Huc tunica, qua Presbyter Nepotianus in ministerio Christi utebatur, quam sibi relictam Hieronymus scribit *in epist. de ejus morte ad Heliodorum.* Huc ejusdem Hieronymi testimonium in cap. 44. Ezechielis, ubi ait: *Religio divina alterum habitum habet in ministerio altaris, alterum in usu vitæ que communi.* Huc denique exempla divinæ ultionis referenda adversus eos, qui sacris vestibus abusi sunt, qualia legimus *lib. 1. Wandalicæ persecutionis,* apud Victorè de Proculo, qui cum divina ministeria, & Ecclesie ornamenta profanasset, sibi linguam frustratim comedens turpissima morte consumptus est: & apud Theodoretum *lib. 2. hist. Eccl. cap. 27.* de Thymelico saltatore, qui vestem sacram in theatro gestans expiravit. Serica autem, atque auro argentoque contexta hæc indumenta

ut plurimum fuisse, præsertim post Constantinum ex vitis summorum Pontificum apud Anastasium, qui eorum donaria recenset, & ex aliis scriptoribus haud obscure colligimus: neque enim credimus aliquid vile aut indecorum divini sacrificii usibus adhibuisse fideles, qui omnia ad ipsum spectantia summa & incredibili veneratione prosequerantur. De colore nihil memini me legisse, nisi quod candidi in festis Paschalibus mentio fit à Gregorio Turon. in vita S. Nicetii Lugdunensis Episcopi: & nigri à Theodoro lectore, qui *lib. 1. Collectan.* refert Acarium Constantinopolitanum seipsum, & sedem, & altare nigro amictu operuisse in signum mestitæ ob impium edictum adversus synodum Chalcedonensem à Basilisco Imperatore anno. 476. promulgatum. Hieron. quoque *lib. 1. adv. Pelagianos* candidæ vestis usum commemorat dicens, *Que sunt rogo inimicitie contra Deum, si tunicam habueris mundiores? Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacramentorum candida veste processerint? Fidelium verò tanta fuit, ut dixi, erga ipsas vestes & pallas altaris reverentia, ut mulieribus eas contingere vetitum sit c. 37. concilii Antistiodorensis, imò nec ingredi quidem in Secretarium, in quo illæ conservabantur, nisi soli ministri sacri potuerant, sicut præcipit canon 66. concilii Agathensis. Et ne quis auderet in proprios usus eas transferre, aut aliis vendere vel donare; idque sub pœna excommunicationis prohibuit concilium III. Braccarense can. 2.*

II. Locus, in quo indumenta & vasa sacra reconducuntur, à Græcis *Diaconicon, Scevophylacion, Pastrophorion;* à Latinis *Vestiarium, Secretarium, Sacarium,* & barbara voce *Sacristia* nuncupatur. Diaconici nomen passim hoc sensu reperitur in Euchologio: & Simeon Thessalonicensis describens Episcopi sacris vestibus induti comitatum usque ad altare; *Educitur, inquit, à Diaconico, & Diacono ipsum procedente, & deducentibus Presbyteris duobus per portam templi dexteram & soleam iter a vit usque ad sanctum Bema, id est altare.* Scevophylacion, & Scevophylacionis, id est custodis sacre supellectilis mentio est apud Balsamonem in Nomocanonem Phorii *tit. 2. cap. 2.* apud eundem Simeonem Thessalonicensem *lib. de templo,* & apud illos qui de dignitatibus Ecclesie Constantinopolitanæ differunt. At hodie Græci non in Diaconico, sed in ipso Bematæ sacris vestibus ad peragenda divini officia induuntur: nec ullum habent Scevophylacion junctum Ecclesie, quia sacra vasa & vestimenta in propriis ædibus, vel in loco tutiori



rutiori conservant, ut Leo Allatius observat in dissertatione *de Templis Græcorum recentiorum*. Pastophorium legimus 1 Machab. cap. 4. & 3. *Esdrae* c. 8. Radevicus Frisingensis lib. 4. de gestis Friderici cap. 13. *Vulpes*, inquit, & *Lepores* Pastophoria Ecclesie & officinas canonicorum ingressæ. De Vestuario hæc habentur in ritu antiquo Missæ apud Menardum pag. 273. *Sacerdos in vestuario; cæteri que Ministri sanctis vestibus juxta ordinem induantur. Et in restitutione Ebbonis Remensis in notis, Ductus est Ebbo Episcopus in vestiarium, & indutus episcopalibus vestimentis, similiter & alii Episcopi processerunt cum eo ad celebrationem Missæ. Secretarii vox passim occurrit in vitis Pontificum, ex quibus aliqui sepulti dicuntur prope Secretarium. Fortunatus in vita S. Radegundis, Intrans in Secretarium Monachæ veste induitur. Sacrarium sic definitur ab Ulpiano l. 1. Digestorum tit. 8. Est locus in quo sacra reponuntur. Sumitur aliquando pro Presbyterio, quod solis Sacerdotibus, sacrisque Ordinibus initiatis pervium, sæcularibus inaccessum erat. Appellatur & Receptorium à Sidonio Apollinari l. 5. epist. 17. Et nuntiatum est progredi Episcopum de Receptorio, ad sacrum scilicet faciendum. In Conc. Matisconensi l. c. 2. Saluatorium vocatur. Et Gregorius Magnus lib. 4. epist. 54. usum Pallii præscribens Mariniano Ravennæ Archiepiscopo, Quo non aliter, ait, uti memineras, nisi in propria tuæ civitatis Ecclesia, dimissis jam filiis procedens à Saluatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda: peractis verò Missis idem in Saluatorio curabit deponere. Ex eo autem quod dicit, dimissis jam filiis, illorum temporum consuetudinem intelligimus. Solebant enim Episcopi ante Missarum celebrationem in ipso loco sedere, & salutationes fidelium excipere, qui se illorum orationibus commendabant, aut aliquod negotium ipsis communicabant: quibus dimissis, sacris vestibus induti ad altare procedebant: atque hinc factum est, ut idem locus Saluatorium diceretur. Hoc & Presbyteri faciebant, teste Severo Sulpitio lib. 2. *Dialog. cap. 1.* ubi ait sedisse Presbyteros in Secretario, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupatos, dum interim S. Martinus eo munere fungi detrectans sibi soli vacaret. Eiusdem saluatorii meminit Gregorius Turonensis libro 2. *hist. Franc. c. 21. & l. 7. c. 22.* in utroque loco indicans Episcopos ac Presbyteros interdum in eo mansionem habuisse. Græci sacerdotes, quoties rem divinam acturi sacra sumunt indumenta, ea solent benedicere & osculari, ut ex*

ordine Liturgiæ S. Johannis Chrysostomi constat: nec in eorum Euchologio ulla extat oratio ad ipsa semel & universim cultui divino dedicanda. At verò Latini postquam ea præscriptis verbis benedixerunt, benedictionem non repetunt; sed amictum dumtaxat, manipulum, & stolam in medio, ubi crux assuta vel texta est, osculantur. In Missa tamen veteri, quam ex codice Ratoldi Abbatis Corbiensis libro Sacramentorum S. Gregorii addidit Menardus, Episcopus sacris operaturus singula indumenta benedicit, deferente ea ministro & ante singula rogante, ut ipsa benedicat, sicut fert Græcorum mos. His præmissis ad omnia singillatim enucleanda transeundum est, eo ordine quo indui solent, à sacerdotalibus ducto principio, quæ sunt sex, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola & Planeta.

*De Amictu, ejusque usu & nominibus.  
Dicitur olim Anaboladium.*

III. **P**rima vestis, quam sacerdos sumit, est Amictus, qui primum capiti; deinde humeris injicitur. Antiquus scriptor de ritibus veteris Ecclesie sub nomine Caroli Magni, *Post sandalias in Ecclesie vestimentis sequitur superhumeralis, quod fit ex lino purissimo.* Amalarius l. 2. cap. 17. *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus.* Rupertus Abbas l. 1. de div. off. cap. 19. *Sacerdos in officio altaris Amictu caput suum obnubit.* Gemma animæ lib. 1. cap. 201. *Hinc humerale, quod in lege Ephod; apud nos Amictus dicitur, sibi imponit, & illo caput & collum & humeros, unde & humerale dicitur, cooperit, & in pectore copulatum duabus vitis ad mammillas cingit.* Sunt quidam, qui Amictui ex holoserico vel aurea textura plagulam assuunt coloris & opificio casulæ sive stolæ consimilem; sed hujus assumentum nullum vestigiū reperio apud antiquos scriptores. Ambrosiani tertio loco Amictum sumunt post Albam & Cingulum. Varia ei nomina tribuuntur, nam sicut vidimus, Humerale vocatur, & per analogiam ad legalium sacerdotum indumenta, *Ephod*, quia ut Hieronymus docet *epist. 128. ad Fabiolam*, ubicumque in Exodo seu Levitico Superhumeralis legitur, apud Hebræos *Ephod* appellatur. Au verò Amictus noster idem prorsus sit cum *Ephod* veteris legis, quæstio anceps est, quam tractat Sausaius *Panopliæ Sacerdotalis parte 1. l. 4. c. 2.* In Ordine Romano *Amboladium*, rectius autem *Anaboladium*, sive *Anaboladium*



nuncupatur: Anabole enim Græcè idem est ac Latinè Amictus. Isidor. lib. 19. Orig. cap. 25. *Anaboladium*, inquit, *amictorium lineum femininarum, quo humeri operiuntur.* Eadem voce utitur Ambrosius *lib. de benedictionibus Patriarcharum*, nam ubi nos legimus Gen. 49. *Lavabit in sanguine uvæ pallium suum*, ipse legit *Anaboladium suum*. S. Columba Virgo, cujus vita breviter recensetur in Martyrologio Gallicano *die ultima Decembris*, ut à satellitibus spatium orandi ante Martyrium impetraret, dedit eis Anabolarium suum, quod pallii fericee genus Saussaius interpretatur.

*De Alba & Cingulo. Alba nomen unde. Dicta etiam Camisia. Linea tunica usus apud Ethnicos.*

**L**inea tunica talaris erat prima vestis sacerdotalis in veteri Testamento, quæ nobis secunda est. Græcè *Poderis* dicitur, quia descendit usque ad pedes, quos illi *podas* vocant. Paulinus Tyrionum episcopus orat. habitam in templi dedicatione apud Eusebium *lib. 10. cap. 4.* sic exorditur. *Amici & sacerdotes Dei, qui potestatem indui estis*, sacra scilicet tunica talaris, ut Latinus interpretatur loquitur. A scriptoribus ecclesiasticis *Alba* à colore nuncupatur: cujus nominis mentio fit in concilio Carthaginensi sub Anastasio I. *can. 41.* quo præcipitur, ut Diaconus tempore tantum oblationis vel lectionis *Alba* utatur. Et in Narbonensi sub Pelagio II. ubi decernitur, ne Diaconus aut subdiaconus vel lector, antequam Missa consummetur, *Alba* se præsumat exuere. Legitur quoque in Ordine Romano, & in tractatu de ritibus Ecclesiæ, quem sub nomine Caroli Magni edidit Wolfgangus Lazius. Alii *Camisiam* vocant. Amalarius *lib. 2. cap. 18.* *Postea Camisiam induimus, quam Albam vocamus.* Isidorus *lib. 19. originum cap. 21.* *Poderis est tunica sacerdotalis linea corpori astricta usque ad pedes descendens. Hæc vulgò Camisia vocatur.* Et cap. sequenti, *Camisias*, inquit, *vocamus, quod in his dormimus in Camis, id est in stratis nostris.* *Camisias* igitur nomen ei tributum, quia similis est tunicæ lineæ interiori, qua utimur in camis, id est in lectulis nostris. *Camis* enim dixerunt Græci strata humilia, & terræ propiora. Anastasius in vita Benedicti III. inter donaria, quæ Rex Saxonum misit Ecclesiæ S. Petri, enumerat *Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo.* *Camisias* autem auro clavatas non ad ornatum templi,

ut credit Casaubonus, sed ad usum Sacerdotum sacrificantium comparatas observavit Ferrarius *lib. 3. de re vestiaria c. 5.* Neque enim hic agitur de tunicis lineis interioribus; in quibus aurum mitti Alexander apud Lampridium dementiam iudicabat propter auri rigorem & asperitatem; sed de Camisiis, quæ super alias vestes injiciuntur, in quibus auri rigor & asperitas gestantibus non est incommoda. Ordo Romanus, ubi loquitur de episcopi consecratione, *lineam sine addito* vocat dicens, *Induunt eum lineam & cingulum.* Lineam verò tunicam etiam ab Ethnicis in sacris adhibitam testatur Apulejus in Apologia, *Mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modo induit & amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed operui quoque in rebus sacris usurpatur.* Idem fabulæ *Milesiæ lib. 2.* sacerdotes describit lineæ vestis candore puro luminosos. De sacerdotibus Isis nota sunt Ovidii carmina:

*Nec tulinigeram fieri quid possit ad Ism  
Quæseris.*

Et alibi:

*Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.*

Pythagorici quoque lineis vestibus utebantur, ut docet Schefferus *lib. de Italica Philosophia cap. 14.* de cuius rei causa interrogatus Apollonius apud Philostratum *lib. 8.* respondit, *Quia me terra que alit, etiam vestit.* Et paulò post. *Vestem quam à morticinis plerique ferunt non puram esse ratus Pythagoras, linea veste usus est.* Porro *Alba* ne defluat & gressum impediatur cingulo stringitur, quod in lege balthus, à Græcis *Zona* dicitur. De ejus profano usu multa congerunt Saussaius *lib. 3. citata Panoplia*, & Ferrarius *lib. 1. de re vestiaria.* Varias autem cingulorum formas describit Isidorus *lib. 19. Originum cap. 33.*

*De Manipulo. Olim Mappula, Sudarium, Fanon. Ejus forma, & usus.*

**V.** Manipulus posterioris ævi additamentum est, neque in antiquis Ritualibus commemoratur, nec à priscis Patribus inter sacras vestes recensetur. Erat autem lintea sindon five mappula brachio sinistro alligata, qua sudor & fordes abstergebantur, ut illi passim testantur, qui de divinis officiis tractatus ediderunt. Alcuinus. *Mappula, que in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum, & narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos*



suos humores patitur. Amalarius lib. 2. cap. 24. Sudarium ad hoc portamus, ut eo detergamus sudorem. In manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tedium nos pati superflui humoris. Robanus Maurus lib. 1. de Instit. Clericorum cap. 18. Quartum Sacerdotis indumentum Mappula sive mantile est, quod vulgo Fanonem vocant. Est autem Fano vox Saxonica, quæ expansum vel extensum significat, ut docet Vossius lib. 2. de viuis serm. cap. 7. In Ordine Romano qualiter Missa celebretur: Deinde Subdiaconus regionarius ponit Mappulam in sinistro brachio Pontificis super planetam. Tempore Gregorii Magni soli clerici Romanæ Ecclesiæ Mappulis utebantur: Sic enim ille loquitur lib. 2. epist. 54. ad Joannem Archiepiscopum Ravennatem. Illud autem quod pro utendis à clero vestro Mappulis scripsistis, à nostris est Clericis foris obviatum, dicentibus nulli hoc unquam alii civilibet ecclesiæ concessum fuisse. Sed nos servantes honorem fraternitatis tuæ, licet contra voluntatem antedicti cleri nostri, primis Diaconibus vestris in obsequio dumtaxat tuo Mappulis uti permittimus: alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissimè prohibemus. Duravit autem hic Mappulæ sive sudarii lintei usus, donec in locum ejus Manipulus, non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est; qui propterea ejus materiæ & texturæ est, ex qua stola & planeta fieri solent. Hanc verò mutationem mappulæ in manipulum sæculo decimo factam conjicio: nam Alcuinus & Amalarius, qui sæculo nono vixerunt, mappulis usum tunc viguisse ostendunt. Manipuli autem mentio fit in veteri Missa ex codice Ratoldi Abbatis Corbeienfis apud Menardum, qui Ratoldus vixit anno 980. Olim, ut apparet ex antiquis picturis, ejus forma longior erat & strictior, vix duos pollices excedens, quemadmodum & stola, & linea utrimque æquali à summo ad inum limbum defluebat: nec erat extrema pars latior, sicut nunc est. Quod verò Manipulus proprium subdiaconi indumentum, ut Scholastici existimant, veteri usu non fuerit, argumento esse inter cætera potest, quod illo uterentur, qui nullo ordine initiati erant. Testis est Lanfrancus Cantuariensis epist. 13. dicens: In cœnobiiis Monachorum etiam Laici cum Albis induuntur, ex antiqua Patrum institutione solent ferre Manipulum. Verum hæc consuetudo, ut in notis ad eandem epistolam vir eruditus Lucas Dacherius observat, abrogata postmodum fuit in concilio Pictaviensi sub Pa-

schali. II. c. 5. *Ut nemo Monachorum deinceps Manipulis utatur, nisi fuerit subdiaconus.* Manipulo nostro respondet apud Græcos Epimanicion, de quo agit Goar in notis ad Chrysostomi Liturgiam num. 12. Cùm Planeta totum corpus ambiret, ut mox videbimus, ea super brachia duplicata & triplicata, ut Gemma animæ ait lib. 1. cap. 207. & 208, Manipulus extremo loco brachio expedito imponebatur: qui ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in solis Episcopis remansit, quibus peracta confessione à Ministris imponitur; quia prisco more post confessionem casula elevari solebat.

*De Stola. Quid fuerit apud veteres Ethnicos, Iudeos, Christianos. Cur nostræ hoc nomen tributum. De palla linostima. Stola olim Orarium. Quædam de hoc, ejusque usu sacro & profano.*

VI. **S**TOLÆ nomen apud profanos scriptores tam Græcos à quibus fluxit, quam Latinos, muliebrem vestem significat ad talos usque demissam. Unde Cicero mores effæminatos Marci Antonii redarguens Philip. 2. ait, *Sumpsi virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Erat autem propriè matronarum vestimentum, ut docet Ferrarius de re vestiaria lib. 3. cap. 17. adeò ut impudicæ mulieris nota foret brevior tunica, & Tertullianus lib. de Pallio. cap. 4. inter signa ejuratæ pudicitie recenset matronam in publico sine stola. Interdum tamen sumptam legimus pro quolibet genere vestimenti, Regum, Sacerdotum, & Privatorem. Nam Genes. 41. cùm Pharaon constituit Joseph super universam terram Ægypti, vestivit eum stola byssina: & ipse Joseph Genes. 45. singulis fratribus suis proferri iussit binas stolas; Benjamin verò dedit quinque stolas optimas. In libro quoque Esther cap. 6. cum dixisset Aman, eum quem Rex honorare vellet, debere indui vestibus regis: tum sequitur tulisse stolam, & induisse Mardocheum. Filium item prodigum ad se revertentem iussit Pater indui stola prima, eximia scilicet, & omnium quæ domi erant pretiosissima. Zozimus lib. 4. ait Julianum concessisse Procopio, ut regiam stolam haberet: & Diodorus Siculus lib. 2. narrat, Arbacem, qui primus ex Medis Assyriorum imperium defuncto Sardanapalo occupavit, indutum regia stola Regem appellatum fuisse. De stola summi Sacerdotis in lege veteri agit Josephus lib. 15. *Antiquit.*



quit. cap. 14. & lib. 18. cap. 6. Sacerdotes item stantes ante altare cum stolis Sacerdotalibus commemorat lib. 2. Machabæorum cap. 3. Zozimus lib. 4. loquens de titulo Pontificis Maximi Imperatoribus olim tributo ait. *simul ac summum Imperium quisque consequatur, stola Sacerdotalis ei offerebatur à Pontificibus, & continuo Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur*: tum refert Gratianum eam stolam sibi oblatam averfatam fuisse, quod illicitum existimaret Christianum eo habitu uti. Stolæ formam exprimit Zenophon lib. 8. *Cyripæd. his verbis. Elegit itaque stolam Medorum & ipse ferre, & ut familiares ea induerentur persuasit. Hæc enim visa est ea occultare si quis defectum aliquem haberet in corpore*: quia nimirum totum corpus tegebat præter caput & collum. Simili modo describit stolam Sacerdotalem S. Germanus Constantinopolit. in *Theoria Liturgiæ*, quam esse ait ignicolorem, dimissiam usque ad pedes instar poderis Aaron. Nec dubito, quin talis fuerit stola illa auro contexta, quam scribit Theodoretus lib. 2. *hist. cap. 27.* à Constantino Magno donatam Macario Episcopo Hierosolymitano, ut ea indutus divini baptismatis ministerium perficeret, à Cyrillo autem venditam, ut illi adversarii objiciebant. Et hæc quidem erat stolæ forma apud veteres Ethnicos, Judæos, Christianos: at nunc stola nostra non vestis, sed veluti torques est à collo per humeros ad pectus pendens, & usque ad genua protensus. Quod sanè ornamentum, quando cæperit à sacerdotibus in sacris adhiberi, & cur ei stolæ nomen tributum sit, solerti indiget disquisitione. Quidam ævo Apostolorum coepisse scribunt, eo quod legerint stolam S. Jacobi Apostoli missam fuisse à Theodosio Hierosolymorum Episcopo ad S. Ignatium Constantinopolitanum; & stolam sancti Stephani Protomartyris à Marcario item Hierosolymitano datam Helene Augustæ, & ab ea Vespertionem transmissam. Sed hos scriptores vocis æquivocatione deceptos evidens est; stola enim illorum temporum, ut ex dictis constat, vestis oblonga erat totum corpus ambiens, nihilque habet commune cum stola hodierna præter nomen. Durandus in *Rationali lib. 3. cap. 5.* stolæ initium ad illud tempus refert, quo Alba deferri cæpit. *Notandum, inquit, quod antiquitus stola erat vestis candida pertingens usque ad vestigia, qua Patriarchæ utebantur ante legem: quam primogeniti, cum benedictionem Patris acciperent, induebant, & Domino victimas ut Pontifices offerebant. Sed postquam Alba coepit portari, mutata est in torquem.* Hæc tamen levis conjectura est, & nos certiora hujus rei indicia dabimus ex

Conciliis mox referendis. Unde autem nomen stolæ huic ornamento? An quia succedit veteri stolæ, ut innuit Durandus? An potius deducta est nomenclatura à fascia, quæ in limbo ejus vestis affuta erat, quæ olim stola dicebatur, retento totius vestis nomine in parte quadam illius? Ita conjicit, & mea quidem sententia probabiliter, Vincentius Ricardus in *Commentariis ad orationem sextam sancti Procli.* In extrema namque parte antiquæ stolæ, ut observat Baysius de *re vestiaria c. 17.* affuta erat fasciola seu limbus ipsam vestem ambiens, cui cum sit valde similis hodierna stola, hinc fieri potuit, ut hoc illi nomen tributum sit. In actis sancti Silvestri, quæ Damaso adscribuntur, ab eo constitutum legitur, ut Diaconi Dalmaticis in ecclesia uterentur, & pallâ linostrimâ læva eorum tegeretur: Zosimus item constitutum fecisse dicitur, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linostrimis; ubi forte legendum linostrima, id est, ex lino & lana contexta, quæ ut ait Isidorus lib. 19. *Orig. cap. 22.* dicta est linostrima, quia in stamine linum; in trama lanam habet. Nominem autem hujus pallæ nihil commodius intelligi potest, quam stola Diaconalis, quæ in humero sinistro ab ipsis deferretur ad differentiam sacerdotalis à collo ante pectus pendens. Stolæ item mentio fit sub nomine Orarii, in concilio Laodiceno tempore ejusdem Silvestri habito *cap. 22. & 23.* quibus Subdiaconis & Lectoribus prohibetur ne Orariis utantur. Ex quo duplici testimonio inferitur, ante annos mille & trecentos usum stolæ in ecclesia invaluisse.

Potiorè nomine Orarii stolam, qua nunc utimur, intelligi, omnes ecclesiastici scriptores testificantur. Gemma animæ lib. 1. cap. 204. *Deinde circumdat collum suum stola, quæ & Orarium dicitur.* Rabanus Maurus lib. 1. cap. 19. *Quantum est quod Orarium dicitur, licet hoc quidam stolam vocent.* Alcuinus de *div. off. cap. 39.* sequitur *Orarium, id est stola.* Ordo Romanus, *subdiaconi regionarii accipiunt ad induendum Pontificem vestimenta; alius Orarium, alius Planetam.* Anastasius in *vita Agathonis, ea hora S. Synodus unâ cum Principe ejus Orarium auferri jusserunt à collo ejus,* Macarii scilicet Antiocheni. Adstipulantur veterum conciliorum Patres, à quibus multa de usu Orarii sancita sunt, quæ satis superque constat ad stolam pertinere. Concilium Laodicenum jam supra citatum tempore S. Silvestri. Bracarense I. anno 563. c. 27. *Placuit, quia in aliquantibus hujus provincie Ecclesiis Diacones absconsis in iura tunicam utantur Orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur, ut de cætero supposito scapula, sicut decet, utantur Orario.* Tole-



letanum quartum sub Honorio c. 27. *Episcopus recipiat Orarium, annulum, & baculum: Presbyter Orarium & planetam: Diaconus Orarium & Albam.* Et c. 39. *Orarius duobus nec Episcopo quidem licet nec Presbytero uti; quanto magis Diacono, qui minister eorum est? Unum igitur Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, predicat: dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat. Caveat igitur a modo Levita gemino uti orario, sed uno tantum & puro, nec aliis coloribus, aut auro ornato.* Bracarense III. sub Adco. dato c. 2. *Cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit aut pro se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis & sanguinis Domini Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumscriptus, ita ut de uno eodemque Orario cervicem paviter & utrumque humerum premeans signum in suo pectore praeferat crucis.* Moguntinum sub Leone III. c. 28. *Presbyteri sine intermissione utantur Orariis propter differentiam sacerdotis dignitatis, quando scilicet ministeria sui ordinis obeunt: nisi forte hoc loco praeter solitum sumatur Orarium improprie pro veste talari, qua revera sine intermissione uti debent Sacerdotes. Quo item sensu interpretantur nonnulli canonem, quem Gratianus 17. qu. 4. c. 25. & Ivo p. 10. c. 139. tribuunt concilio Triburiensi: *Presbyteri non vadant nisi stola vel orario induti. Et si in timore spoliantur vel vulnerantur, aut occiduntur non stola vestiri, simplici emendatione sua solvantur; si autem cum stola, triplici.* Minor enim poena infligitur illi, qui injuriam inrogat sacerdoti sine habitu incedenti, cum possit ignorantiae exceptione excusare. Ex quo patet, Orarium hic accipi pro communi vestimento, quod ita proprium Sacerdotis foret, ut eum discerneret a saeculari. Quod si primam hujus vocis originem inspicimus, profana est & ab eo sensu diversa quo nunc usurpatur. Antiquis enim scriptoribus tam Ethnicis, quam Christianis Orarium nihil aliud est quam sudarium, strophium, linteolum, quo facies abstergitur. Flavius Vopiscus in Aureliano, ipsum primum ait donasse oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem. Quia videlicet in altum sublatis orariis favoris signum obtendere, & Regem venerari censebantur. Ambrosius orat: quam habuit in obitu Satyri fratris describens tempestatem qua jactabatur, *Divinum, inquit, fidelium sacramentum ligari fecit in orario, & orarium inivit collo, atque ita se dejecit in mare.* Quo loco orarium non stolam, ut quidam arbitrati sunt, sed vulgare linteum significat; nam Satyrus Laicus erat, ad quem stola sacra nullo pacto poterat pertinere. Ambrosius iterum epist. 54. de miraculis sanctorum Gervasii & Protasii: *Quan-**

*ta oraria jactantur? & tactu ipso medicabilia repossuntur?* Similiter Augustinus lib. 22. de civ. Dei cap. 8. *Oculum lapsum ligavit orario, nec nisi post septem dies putavit esse solvendum.* Pontius in vita S. Cypriani, *Fratres ante aminam & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur a terra.* Erat autem orarium magis longum quam latum, instar fasciae, ut ex loco citato Ambrosii de Satyro fratre ostendit Casaubonus in notis ad Vopiscum. Favet Gregorius Turon. l. 3. hist. c. 5. ubi refert Sigismundum Burgundionum Regem filium suum dormientem jussisse occidi. *Dormienti, ait, orarium sub collo positum ac sub mento ligatum, trahentibus ad se invicem duobus pueris, suffocatus est.* Ex hac autem orarii forma oblonga suspensor translatum hoc vocabulum in Ecclesiam, & sacrae stolae tributum: cui suspitioni robur aliquod addit supra relatum Silvestri decretum de palla linoctima ex lino, sicut & sudarium, contexta. Ejus verò etymon ab ora deductum non adeò inverisimile est, ut quidam scribunt, nam ora vestis facies tergi solebat, antequam linteola in usu essent. Plautus in Mercatore act. 1. sc. 2. *Sume lacrimam, partem scilicet extremam vestimenti, atque absterge sudorem tibi.* Ab ore tamen probabilius sumitur, quia orario os tergitur, quam notationem sequi videtur Prudentius hymn. 1. de coronis, hoc versu:

*Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, Orarium.*

Alii ab orando derivant, eo quod sacris praedicatoribus sive oratoribus detur, ut ajunt Alcuinus & Rab. Maurus; quibus consentit Beda in collectaneis de septem Ordinibus: *Bene oratoribus convenit orarium, conveniens vestimentum officio.* Sine Graeca an Latina vox ambiguum est: crederem tamen a Latinis ad Graecos devenisse, quam Suidas homo Graecus, & auctor veteris Etymologici, Latinum vocabulum esse testatur. Qui verò Graecum esse contendunt, triplicem ejus afferunt etymologiam. Bassamon in can. cit. *Conc. Laodicensi & Matth. Blastares in synopsi canonum* a verbo oro, quod Graecis idem est ac observo sive custodio, deducunt, eo quod diligenter observent in mysteriis quae agenda sunt, eaque orario significant Diaconis, qui sunt in Ambone. Simeon Thessalonicen. derivat ab ora, quae Hefichio est pulchritudo seu venustas, quia Diaconum gratiae venustate ornat, & divino decore illustrem reddit. Arcudius lib. 6. cap. 10. ab hora sive tempore, quia Diaconus accepta extremitate stolae tribus digitis invitat populum ad orandum; cantores ad psallendum; ostenditque

LII 3 ho-



horas & tempus, quo aliquid est faciendum: quæ consuetudo etiam hodie viget in Græcia. Quamvis autem orarium commune sit Diaconis & Presbyteris, à Græcis tamen Diacono propriè tribuitur, stolam verò sacerdotalem Epitrachelion vocant, quod latius est orario, nec ullis litterarum notis exaratum, sicut orarium Diaconorum, cui ter inscriptum est verbum *Agios*, id est *Sanctus*. Claudio hanc de orario tractationem Isidori sententiã in regula Monachorum cap. 12. ubi ait, non licere Monacho orario uti, quod ante ipsum vetuerat concilium Aurelianense primum cap. 21. Sed hic orarium iuxta primam vocabuli originem pro linteo accipitur ad tergendam faciem; nam post pauca ait Isidorus, non debere Monachum vultus curam gerere, ne lasciviæ & petulantia crimem incurrat.

*De Planeta. Penula veterum quid fuerit. Quid Phenolium. Casula seu Planeta diversa significationes. Ejus in sacris origo, forma, & usus.*

VIII. **P**ostremum Sacerdotis sacris operanturi indumentum quidam Penulam, alii Casulam seu Planetam vocant, quæ voces à profana significatione ad sacram translatae sunt. Penula quid fuerit apud veteres Græcos & Latinos, quæ ejus forma, quis usus in communi vestitu, latè prosequuntur Bulengerus lib. de sacris vestibus cap. 20. Ferarius de re vestiaria lib. 1. cap. 36. & sequentibus, & Albertus Rubenius lib. item 1. de re vestiaria cap. 6. An verò Penula, quam Paulus Apostolus 2. ad Timoth. 4. se Troade apud Carpum reliquisse scribit, vestis sacra fuerit, an alia communis, frigori ac imbribus depellendis, an verò scrinio seu theca libris & membranis referta, diversæ sunt sententiæ, quas illius epistolæ expositores, & Baronius anno Christi 58. n. 67. recensent. Frustra sunt, ait Gretserus lib. 1. comment. in Codinum cap. 16. „ qui Phænolium Latine penulam vertunt, nulli „ penulæ inter vestes sacras locus est, tamen non „ ignorem, quid de penula apud S. Paulum non „ nulli philosophentur. Subscripsit primum huic sententiæ Ferrarius in prima sui tractatus editione, at in secunda in fine 37. palinodiam cecinit his verbis. „ Hæc olim opinabamur, cum non „ dum penulæ figuram in antiquis monumentis „ videre contigisset, decepti etiam clarorum vi- „ rorum auctoritate, qui penulam vestimentum

„ apertum esse docuerunt. Sed postquam non una „ penulæ imago in manus venit, murare opinio- „ nem cogimur, vestemque sacrificantium cum „ Baronio penulam fuisse fatemur. Agit idem de penulis toto lib. 2. partis secundæ, ubi ejus extat figura admodum similis Planetæ sacerdotali. Meminit Penulæ Pauli Tertullianus lib. de oratione cap. 12. Porro Phænolium sive Phælonium Græcorum indumentum planetæ nostræ correspondens à Latinis interpretibus penulam dici, nequidquam reclamante Gretsero, aliquot testimoniis probat Baronius loco citato num. 69. Nam ut cætera omittam, Nicephorus Constantinopolitanus scribens & dona mittens Leoni III. ex antiqua translatione ait, *Misimus fraternæ vestrae beatitudini encolpium aureum, tunicam candidam, & penulam castaneam.* Pro Penula autem in textu Græco Phælonium legitur. De casula quoque sive Planeta pro communi vestitu olim à Latinis usurpata veterum Scriptorum testimonia habemus. Acta S. Fulgentii apud Bollandum die 1. Januarii cap. 18. „ Casulam pre- „ tiolam vel superbi coloris ipse non habuit, nec „ Monachos suos habere voluit. Subtus casulam „ nigello vel lactineo pallio circumdatus incessit. Regula Macarii cap. 27. inducit Monachum contumacem dicentem: *Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, & ibo ubi voluerit Dominus.* Casula autem hoc loco accipitur pro cuculla Monachali. Theodemarus Abbas in epist. ad Carolum Magnum, *Cucullam nos esse dicimus, quam alio nomine casulam vocamus.* Auctor vitæ sancti Casarii Arelatensis. „ Ambulans Casarius per plateam civitatis, vidit con- „ tra in foro hominem, qui à Dæmonio agebatur, in quem cum attendisset, habens manum „ sub casula, ut à suis non videretur, crucem con- „ tra eum fecit. Joannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 2. cap. 45. quemdam fuisse Monachum ait, qui à fratre suo seculari vestem petiit dicens: *Casulam non habeo, sed fac charitatem, eme mihi.* Erat etiam casula quotidianum Ecclesiasticorum indumentum, nam in concilio habito apud Liptinas in pago Cameracensi anno 743. c. 3. decretum fuit, ut Presbyteri vel Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis uterentur ritu servorum Dei. Pro veste servili accipitur casula à Procopio lib. 2. de bello Vandalico c. 26. *Areobindus, inquit, magister militiæ à Iustiniano missus in Africam ad Gontharin accessit non prætoriam nec militari veste indutus, sed famulo vel privato homini propria, quam latine casulam vocant Romanis.*



*mani.* Pro veste item ſaculæ Planetæ nomen acceptum ex vita S. Fulgentii cap. 29. colligimus, cujus auctor ſcribit, eo ambulante tempore imbris, viros nobiles planetis ſuis ſuper ipſum expanſis imbrem repuliſſe. Caſſianus deſcribens habitum Monachorum *lib. 1. inſit. cap. 17.* ait, illoſ planetarum & birrorum pretia declinaſſe. Iſidorus quoque in Regula Planetas Monachis interdixit. Cum ſit igitur æquivocum caſulæ & planetæ vocabulum, quo primum tempore à profano & promiſcuo uſu ad ſacrum tranſlatum ſit, non liquet. Legitur nihilominus caſulæ nomen in antiquo Ordine Romano, in libris Aleuini, Amalarii, Rabani Mauri, & aliorum qui de ritibus ſacris ſcripſerunt: & concilium quartum Toletanum cap. 27. *Presbytero,* ait, in ſua ordinatione *Planeta datur, quæ idem eſt ac caſula.* Fit etiam caſulæ mentio in teſtamento S. Remigii apud Flodoardum *lib. 1. cap. 18.* Quod verò ſacerdotes ante caſularum uſum Dalmaticis uterentur, quas poſtea Diaconis conceſſerunt, cum caſulis uti cœpiſſent, aſſertio ſingularis eſt Walfridi Strabonis *cap. 24.* cui favent Acta S. Sylveſtri edita à P. Combeſis, in quibus mentio ſit Euphroſyni Pamphiliæ Episcopii, qui dum myſteria perageret colobium unum habebat, quod magni illius Apoſtoli ac fratris Domini Jacobi eſſe dicebat, quo indutus ſacram oblationem explebat. Hinc factum ut Romani hæcenus ſacerdotes colobiis uſi ſint. Quod tamen brachiorum nuditas diſpliceret, Dalmaticas manicatas potius, quam colobia placuit appellare. Hæc ille priſcus ſcriptor. Porrò caſula, teſte Iſidoro *lib. 19. origin. cap. 24.* per diminutionem à caſa dicitur, quod totum hominem tegat, quaſi minor caſa. Planetæ verò nomen ex eo deducitur, quia oris errantibus evagatur: & ut ait Gemma animæ *lib. 1. cap. 207.* limbus ejus errabundus utrimque in brachia ſublevatur. In vita S. Popponis Abbatis apud Bollandum *die 25 Januarii num. 58.* Caſubula nuncupatur, *In celebratione Miſſarum Caſubulam, qua induebatur, lacrymis humectabat.* In Eccleſia Orientali Phaenolium, ſive caſula Pontificalis à Presbyteriali in hoc differt, quod iſta ſimplex, illa multis crucibus inſignita eſt, & ideo *Polyſtaurium* dicitur, ac ſi Latine *Multicrucium* diceremus. Olim caſulæ rotundæ prorsus erant; totum ambientes hominem à collo uſque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur; qua de cauſa neceſſarium

erat, ut ſacerdos operari ac manibus liberè uti poſſet, eas ſuper brachia revolvere & complicare. Sic indutos Pontifices & ſacerdotes in priſcis eccleſiarum parietibus cernimus: ſuntque etiam hodie Græcorum caſulæ ejuſdem formæ. Latini verò ad vitandum incommodum ex amplitudine & propenſione totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eas paulatim à lateribus ſcindere & decurtare cœperunt, donec ad formam, qua hodie utimur, redacta ſunt. In opere muſivo, quod olim erat in Baſilica Lateranenſi, cujus Eclypon extat in Muſæo Barberino, poſtea typis cuſum à Cæſare Raſpono nunc S. R. E. Cardinali *lib. 1. de Baſilica Lateranenſi. cap. 14.* expreſſa eſt effigies Joannis XII. Papæ, quem miniſtri induunt planeta ex utroque latere aperta, & tam in parte anteriori quam in poſteriori in acumen definente, & ultra cubitum protenſa; quam certè non erat neceſſarium in utroque brachio duplicare, aut triplicare, ut Gemma animæ ait. Factum autem fuit illud opus anno 960. Teſtatur Morinus *lib. de ſac. ordination. p. 2. in notis ad Græcorum ordinationes* antiquæ formæ caſulas ducentos circiter annos præſe ferentes in multis Eccleſiis aſſervari: ex quo teſtimonio & ex pictura ſupra relata facile conſpici poteſt, quo tempore hujusmodi ſciſſio fieri cœperit, & quomodo ſenſim propagata fuerit; quam nullo Pontificum ſeu ſynodorum decreto ſtabilitam invenio. Quia verò planeta totum olim involvebat ſacerdotem, hinc ortus eſt uſus ut à miniſtro eleveretur, cum ſacerdos hoſtiam & calicem elevat, quæ praxis antiquitatis neceſſaria, ne pedibus obverſans ſtecenti genua impedimento eſſet, adhuc perſerverat; tamen ſi ceſſante cauſa ſuperflua ſit. Hinc etiam permanſit uſus, quem pauci fortassis intelligunt, ut in Quadrageſima aliisque diebus jejuniorum, quibus Miniſtri utuntur planetis, complicatæ ſint à parte anteriori, quod olim propter earum amplitudinem neceſſarium erat, ut expediti eſſent ad miniſtrandum: ſicque paulatim introductum eſt, ut Diaconus, cujus in Miſſa potiſſimum eſt miniſterium, planetam exuat, ejuſque loco ſtolam latiore accipiat: quod ævi recentioris eſt, nam ordo Romanus non exui planetam, ſed elevari mandat: & *Diaconi,* inquit, *levant Planetas in ſcapulas.* Uſum verò duplicis ſtolæ, ut oſtendimus cum de ſtola ageremus, antiqui canones non permittebant.



*De vestibus Pontificalibus, ac primum de caligis, & sandaliis seu compagis, eorumque vario usu.*

**IX** **E**T hæc quidem sunt indumenta, quæ singulis sacerdotibus rem divinam facturis sunt necessaria: Episcopi autem, cum solemniter celebrant, alia supradictis adjiciunt, nempe sandalia & caligas, crucem pectoralem, tunicellam, dalmaticam, chirothecas, annulum, mitram, baculum, & si sit Archiepiscopus pallium: de quibus diffusè agunt Saussaius in *Panoplia Episcopali*, & Vicecomes lib. 3. de *Missæ apparatu*. Sandalia pedum sunt regumenta, caligæ verò hic pro tibialibus usurpantur, quamvis de caliga veterum diversa sit Eruditorum sententia. Sandalia ab antiquis compaga sive compagia, rectius compagi nuncupantur, quæ voce pro calceo regio & senatorio usi sunt Trebellius Pollio, & Julius Capitolinus. In Ordine Romano accipiuntur compagi pro caligis, ait enim tit. de ordinatione Episcopi, *Induunt electum compagos, sandalia, & reliqua*. Eorum usum concessum aliquando Diaconis à summis Pontificibus Gregorius Magnus docet lib. 7. *epist.* 28. *Indic.* 1. ad Joannem Syracusanum scribens, Diaconos Ecclesiæ Catanensis calceatos compagis procedere præsumpsisse, quod solis Diaconis Ecclesiæ Messanenensis à Prædecessoribus suis concessum fuerat. Alcuinus ait sandalia esse genus calceamentorum, quo induuntur Ministri Ecclesiæ. Extat etiam canon insertus Capitularibus Caroli Magni lib. 5. *cap.* 219. Ut omnis presbyter Missam celebret ordine Romano cum sandaliis. Ex Amalario autem lib. 2. *cap.* 25. constat subdiaconos quoque sandaliis usos, nam diversa fuisse ait Episcoporum, sacerdotum, diaconorum, & subdiaconorum sandalia, quorum mysticam rationem edisserit. Primi enim nostræ religionis Antistites, cum semper studuerint, maximam divinis mysteriis reverentiam impendere, omnes eorum ministros splendidis vestibus tantoque ministerio congruis ornari decreverunt, adeo ut nec quidem sordidis & communibus calceis fas illis fuerit ad altare accedere, multò minùs nudis pedibus, quod nec ipsis Acolythis licere Ordo Romanus de *tit. die Parasceves* edixit. Vastia ideò sandaliorum genera pro varietate ministrorum constituerunt, quæ nunc abierunt in desuetudinem, illis solis permanentibus, quibus utuntur Episcopi solemniter celebrantes. Ordo Romanus ad Abbates sandalio-

rum usum extendit, agens enim de illorum ordinatione, Episcopus, inquit, *dat ei baculum & pedules*. Sunt autem pedules idem ac sandalia, quæ Leo Nonus Abbatibus Cassinensibus concessit, teste Leone Ostiensi lib. 2. *Chronici*: idque aliis postea ab Apostolica sede indultum fuit.

*De cruce pectorali. A Græcis Encolpion dicitur. Ejus usus recentior.*

**X** **D**E signo crucis, ejusque veneratione & usu, deque parvis crucibus, quæ collo appendere instar amuleti ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Fideles consueverunt, à viris doctis ingentia volumina conscripta sunt: de cruce verò cum Sandaliorum Reliquiis, quam nos pectoralem dicimus, quia ante pectus pendet, & Græci *Encolpion* vocant, eo quod sinu geratur, silent omnes rituum ecclesiasticorum scriptores, Alcuinus, Amalarius, Strabo, & alii etiam recentiores. In Missa Illyrici & in iis quas edidit Menardus, cum omnia indumenta pontificalia numerentur, nihil tamen de cruce, ex quo fit, ut hunc ritum non admodum antiquum existimem. Scio huc referri à nonnullis versum Gregorii Nazianzeni *car.* 21. *Namque crucem in membris, medioque in corpore gesto*. Sed si contextus rectè expendatur, nihil hic de cruce pectori appensa ab Episcopo celebrante: nam crucem secum ferre, commune erat omnibus Christianis etiam laicis & mulieribus, quod latè probant qui de cruce commentaria ediderunt. Huc etiam refert Baronius *tom.* 9. *anno* 811. *Encolpion aureum cum partibus ligni crucis Leoni III. missum à Nicephoro Constantinopolitano*. Putat enim Encolpii nomine crucem pectoralem significari, de qua sermo nunc est, suæque opinioni confirmandæ octavæ Synodi œcumenicæ testimonium affert, in qua *Act.* 5. Helias Vicarius sedis Hierosolymitanæ narrans adventum suum in regiam civitatem, & qualiter ab Imperatore ipse cum sociis receptus fuerit, *Imposuit*, inquit, nempe Imperator, „ *su-* „ *per colla nostra Encolpium suum, & dixit*. *Ec-* „ *ce judicium Ecclesiæ exigat Deus à cervicibus* „ *vestris in die judicii*. Ego autem non video, quomodo hinc colligatur Encolpium fuisse insigne Episcoporum: nam qui illud imposuit, fuit Imperator, Helias verò Presbyter erat, non Episcopus: neque hic agitur de cruce, quam Pontifex sacris operaturus pectori appendit, ut ex contextu manifestum est.

De



*De Tunica & Dalmatica episcopali, earumque forma, colore & usu.*

**XI.** **D**E Tunica & Dalmatica quatenus Subdiaconi & Diaconi sunt indumenta, mox agam, cum de Ministrorum vestibus incidet sermo: nunc de illis agendum, quatenus inter sacras Episcoporum vestes recensentur. Ordo Romanus utriusque meminit, cum episcopalia enumerat indumenta; & unam quidem Dalmaticam minorem, alteram Dalmaticam majorem nuncupat. Tunicam Amalarius lib. 2. cap. 22. hyacinthini coloris fuisse ait, & subuculam nominari. In Missa Illyrici *subilis* nomine indicatur, cui suffragatur Gemma animæ lib. 1. cap. 229. dicens, *Subdiacono supradictæ vestes conceduntur, quæ scilicet sunt ministrorum inferioris gradus, in super due alie, id est subtile & sudarium adduntur. Subtile, quod & stricta tunica dicitur, portat ut se iustitia quasi lorica induat.* Olim tunica episcopalis coccinei coloris erat, ut vel ipsæ picturæ veteres ostendunt; Dalmatica verò albi, purum referens & incontaminatum sacerdotis statum, ut scribit Simeon Thessalonicensis. Usus ejus antiquissimus esse Auctor quæstionum veteris & novi testamenti evincit, cujus hæc sunt verba quæst. 46. *Quasi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, sicut Episcopi.* Hic autem, sive sit Hilarius Diaconus, ut plerique existimant, sive alius quispiam, se scripsisse testatur quæst. 44. trecentis annis post Hierosolymæ exidum, quæ urbs capta & destructa fuit anno Christi LXXI. Non omnes tamen Episcopos passim Dalmaticis usos credendum est: sanctus enim Gregorius lib. 7. epist. 113. Aregio Episcopo sic scribit. „Communis filius „Petrus Diaconus nobis innotuit, quod fraternitas vestra, tempore quo hic fuit, poposcerit, ut sibi & Archidiacono suo utendi Dalmaticis licentiam præberemus. Et post pauca. „Hujus auctoritatis nostræ serie petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum Dalmaticarum usu decorandos esse concessimus; eosdemque Dalmaticas filio nostro Cyriaco Abbate deferente transmisimus. Ex cujus concessionis tenore deducitur, usum Dalmaticarum Episcopis ab Apostolica sede tributum fuisse. In Missa Ratoldi apud Menardum inter indumenta episcopalia unius dumtaxat tunicæ fit mentio, *Super hæc*, ait, id est accepta stola, ministratur ei tunica gyris in tintinnabulis mirifice reserta, ad

similitudinem scilicet Aaron sacerdotis. Ut enim observat Stephanus Eduensis lib. de Sacram. Altaris cap. 11. quidam Pontifices una, alii duabus tunicis utebantur; quod etiam notavit Durandus lib. 3. cap. 10. *sui Rationalis.*

*De Chirothecis & earum usu.*

**XII.** **C**Hirothecas Apostolicæ traditionis esse scripsit Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 215. *Chirothecarum usus*, inquit, *ab Apostolis est traditus: ab Apostolis*, inquam, non *ab epistolis*, ut perperam in edicis legitur. Sed hoc credibile non est, cum per aliquot sæcula nullum earum monumentum reperiatur, nec illis unquam usa sit Ecclesia orientalis. Porro chirothecas latinâ voce manicas nuncupant antiqui scriptores, qua usus est Plinius lib. 3. epist. 5. ad *Macrum*, quæ de studiis & lucubrationibus Plinii senioris avunculi sui est: *Manus*, ait, *hyeme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet.* Ordo Romanus agens de ordinatione Episcopi, hanc orationem dicendam præscribit, quando electus induitur manicis. „Immensam clementiam tuam rogamus omnipotens & piissime Deus, ut manus „istius famuli tui fratris nostri, sicut exterius „obducuntur manicis istis, sic interius aspergantur rore tuæ benedictionis. In Missa Ratoldi apud Menardum manicæ etiam cum aliis Pontificalibus indumentis memorantur. Et in Missa Illyrici extat oratio ad induendas manus. Ex his autem colligitur, quanta sit earum vetustas. Usus denique chirothecarum à Leone IX. concessum Abbatibus Cassinensibus Leo Ostiensis supra relatus asserit, & eo antiquior Ordo Romanus in ordinatione Abbatis ex canone Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui obiit anno 690. post datam ei ab Episcopo Regulam ait, *Tunc tradat ei chirothecas & baculum.*

*De Annulo, ejusque antiquitate & usu.*

**XIII.** **N**on est hujus loci Annulorum originem investigare, sed & superfluum est: nam Gen. 38. Judam legimus annulum & armillam gestasse, nec ullus ferè liber est in veteri Testamento, in quo ejus mentio non fiat. Usus autem ferendi annulum à Christianis receptum fuisse, Clemens Alexandrinus l. 3. *sui Pædagogici* c. 11. testis est. At verò Episcopis inter reliqua sui Ordinis insignia traditos annulos, mille & amplius annorum testimonia habemus, tum in Ordine

M m m

R o s



Romano & aliis sacramentorum antiquissimis libris, tum apud Suriium die 3. Decembris in vita S. Birini Dorcestrensis Episcopi, qui vixit anno 640. tum demum in quarto Concilio Toletano c. 27. quo sancitur, ut Episcopo injustè deposito tanquam suæ dignitatis signum annulus restitueretur, qui dudum recepto in Ecclesia ritu in sua ordinatione ipsi dari consueverat. Neque obstat Alcuini, Amalarii, & Rabani de annulo silentium: nam istis tacentibus loquuntur alii, qui eos ducentis & amplius annis antecesserunt, ut ex allatis testimoniis luculenter apparet: & fortassis diversæ fuerunt diversis locis & temporibus hæc de re consuetudines.

*De Mitra, ejusque usu sacro & profano. Quando ceperit idem usus in Ecclesia. Cur Græci ea non utantur. Quando & à quibus concessa Abbatibus.*

XIV. **M**itra Pontificalis ex veteri Testamento sumpta est, ut rectè scribit Honorius lib. 1. *Gemma cap. 214.* Ea enim utebantur Sacerdotes, ut sacræ literæ indicant *Exod. 29. & Levitici 8.* Erat & prophanum capitis ornamentum, quo primùm Jonios, deinde Ægyptios, Syros & Lydos usus fuisse ethnici Scriptores tradiderunt. Olim etiam pro muliebri corona sumebatur, ex qua fasciolaræ pendebant, unde Virgilius *redimicula mitra* commemorat. Deo quoque sacratis Virginibus mitra in Africa imponi solebat, de qua Optatus Milevitanus lib. 2. „Felix, inquit, inter crimina „sua & facinora nefanda, ab eo comprehensam „puellam, cui mitram ipse imposuerat, à qua „paulò ante Pater vocabatur, nefariò incestare „minimè dubitavit. Isidorus lib. 19. *orig. cap. 31.* „Mitra est pileum Phrygium caput protegens, „quale est ornamentum capitis devotarum. Sed „pileum virorum est, mitra autem feminarum. Ab Alexandro II. concessum mitræ usum Vratislao Duci Boemiæ in signum intimæ dilectionis, Gregorius VII. testis est *epist. 38. libri 1.* asserens id Laicis nunquam antea tributum. Brachmanes sacerdotes mitra gemmis ornata uti consuevisse refert Philostratus in *vita Apollonii.* Eandem usurpasse summum sacerdotem Deæ Syriæ Lucianus in *Dea Syria* scripsit: idemque tradidit de Pontifice Maximo ethnice superstitionis Prudentius *hym. 9. de coronis* his versibus:

*Summus sacerdos nempe sub terram serobe  
Acta in profundum consecrandus mergitur,  
Mirè insularius, festa vittis tempora  
Nectens, coronarum repexus aurea,  
Cinctu Gabino sericam fulvus togam.*

Mitræ nomina multa sunt, dicitur enim cidaris, tiara, infula, phrygium, corona sacerdotalis, cuphia, de quibus Lexicographi græci & Latini consulendi sunt. De ipsius usu in Ecclesia duæ sunt eruditorum sententiæ. Quidam enim existimant, recentem ad inventionem esse, quæ circa annum Christi millesimum incepit, quam opinionem probant primò ex tabulis & aliis veterum monumentis, in quibus tam summi Pontifices, quàm reliqui Episcopi omnibus quidem pontificalibus ornamentis induti, sed nudo semper capite delineati apparent. Secundò ex libris ritualibus ante annos septingentos scriptis, & ex antiquis rerum ecclesiasticarum scriptoribus, qui cum satis accuratè omnia indumenta Episcoporum recenseant, de mitra tamen prorsus silent. Alii è diverso mitræ usum putant ab ipsis Apostolis fluxisse, idque variis rationibus & testimoniis suadere conantur, contrariam verò sententiam fluxis dumtaxat argutis niti ajunt, atque omni solido fundamento destitui. Propugnari acriter hanc mitræ antiquitatem Andreas du Saussay lib. 1. *Panopliæ episcopali*, omnibus ad hoc argumentum spectantibus diligentissimè collectis, quæ apud ipsum legi possunt. Ego autem crediderim, utramque opinionem posse facillimè conciliari, si dixerimus, mitram quidem, qualis est hodie, nuperum ornatum esse, qui ante millesimum Christi annum vix fuerit in Ecclesia: negari tamen non posse, quin à temporibus Apostolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, si non omnes, aliqui saltem Episcopi uti sint. Hoc enim evincere videntur quæ ad probandam mitræ antiquitatem Saussaius congessit, præsertim ex Epiphonio, qui in hæresi Antidicomarianitarum affirmat Jacobum Apostolum bracteam seu petalura in capite portasse: ex Polycrate apud Eusebium lib. 5. *hist. cap. 24.* & ex Hieronymo lib. *de script. Eccl.* asserentibus Joannem item Apostolum laminam auream in fronte gessisse: ex Gregorio Nazianzeno, qui *orat. 5. post reditum à fuga* loquens de sua ordinatione, capiti suo cidarim impositam ait: ex Balsomone & aliis scriptoribus græcis, qui fatentur Patriarcham Alexandrinum, Phrygio uti, sive loro, ut græcè scribunt, ex eo quod illud miserit Cyrillo Celestinus Papa, cum eum iussit Ephesino



Ephesino concilio vice sua praesidere. Qua verò de causa Græci Antistites, dempto Alexandrino, olim Phrygio non uterentur, quaestio anceps est, quam tractat eruditissimus Goar in notis ad Episcopi ordinationem p. 34. Vera ratio illa videtur, quam ipsemet Balsamon, quamvis schismaticus, insinuat, quia reliqui hanc honoris praerogativam à Romano Pontifice non habuerunt. Quid verò & quale fuerit illud Phrygium sive lorum, non constat. Aliquos tamen inter Græcos extitisse, qui sibi jus Phrygii usurparint, idem Goar asseverat: communiter verò usque ad hodiernum diem ab hoc ornamento abstinerunt, nec ullus est in Græcia mitræ usus. Reliqui Episcopi orientales Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ Cidari utuntur, quæ ipsorum capiti imponitur, dum ordinantur, ut ex eorum Ritualibus apud Morinum manifestum est. De mitris verò sanctorum Sylvestri, Augustini, & aliorum Episcoporum, qui in occidente in annos mille & amplius floruerunt, ab hodiernis non multum dissimilibus, & inter ipsa quarundam Ecclesiarum aservatis, non est meum ferre iudicium. Nonnullis insignium monasteriorum Abbatibus tam mitræ quam aliorum Pontificalium ornamentorum usum post annum millesimum concessum probatissima testantur monumenta. Alexandrum II. hoc privilegium concessisse Abbati S. Augustini Cantuarie, Guill. Thorne ejus cenobii Monachus refert in suis chronicis. In Bullario quoque Cassinensi extat ejusdem Pontificis constitutio, qua eadem gratia Abbati Caveni concessitur. Extat item in Bibliotheca Cluniacensi simile privilegium Urbani II. pro Abbate Cluniacensi: & Petrus Diaconus lib. 4. Chron. Cassin. cap. 17. scribit eundem Urbanum facultatem dedisse Abbati Cassinensi utendi compagis, chirothecis, Dalmatica, & Mitra. Recentiora omitto. Privilegium autem Honorii I. & Theodori initio Bullarii Cassinensis relatum, quo mitram & alia insignia Pontificalia Abbati Monasterii Bobiensis à S. Columbano fundati largiuntur, aliis examinandum relinquo. Damnant usum Pontificalium in Abbatibus, Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem, & Petrus Blefensis epist. 90. ad Guill. Abbatem fratrem suum: ille spiritu humilitatis, hic zelo zelatus pro Episcopis, quibus hæc Abbatum prærogativa displicebat, de qua re extat epist. 27. lib. 2. Goffridi Vindocinensis. Latè tandem propagata est mitræ gestandæ concessio, non solum ad Abbatibus, sed etiam ad quarundam Ecclesiarum secularium Præpositos, & ad Cathedralium digni-

tates & Canonicos, quorum hic catalogum texere suscepti operis institutum non patitur.

*De Baculo Pastoralis, ejusque nominibus, figura, materia, & usu. Quid Subcinctorium, Epigonatum, Orale, Gremiale.*

XV. **Q**uod Regibus sceptrum, id Baculus est Episcopis, insigne scilicet auctoritatis, sollicitudinis, & correctionis. Porro baculi Episcopalis mentio fit in Ordine Romano, & in concilio quarto Toletano ante annos mille celebrato, tanquam præcipui & dudum usitati Episcoporum ornamenti. Virga pastoralis dicitur, & latina voce Pedum, quod Festo auctore est baculus recurvus, quo pastores utuntur ad comprehendendas oves vel capras, de quo Virgilius eccl. 5.

*At tu sume pedum, quod mecum sepe rogasset,  
Non tulit Antigenes.*

Honorius lib. 1. cap. 217. etiam ferulam vocari ait, quæ à feriendo nomen habet; est enim baculus sive virga, qua puerorum manus feriuntur, unde est illud Juvenalis Sat. 1. *Et nos ergo manum ferulae subduximus.* In vitis sanctorum Galli & Magnoaldi *cambuta* vocatur, quæ significat baculum retortum. Honorio Capuita, aliis Gambuta, camboca, vel cambuca est; pro qua voce apud Durandum lib. 3. *Ration. cap. 35.* in omnibus ferè editionibus sambuca perperam irrepit. Budaeo dicitur lituus Pontificius, quali olim augures utebantur, de quo Cicero lib. 1. de *divinatione*, & Gellius noct. *Attic. lib. 5. cap. 8.* In testamento S. Remigii apud Flodoardum argentea cabuta figurata occurrit, ubi Brissonius legit cambutam. Erant igitur hujusmodi baculi aliquando argentei, nam Sauffaius lib. 2. *Panopliæ* ait, se vidisse Rhemis Baculum S. Remigii auri laminis coopertum, cælaturisque artificiosis circumquaque exornatum. Fuerunt & cupressini, de quibus testimonium habemus in epistolis Stephani Tornacensis epist. 223. & sequenti. Nam in priori Abbas Sylvæ majoris ipsi Stephano scribens ait, *Mittimus vestræ carissimæ Paternitati munusculum indignum dignitate vestra, sed officio congruum, baculum videlicet cypressinum*; & in posteriori ad Episcopum Aurelianensem, *Munusculum vobis mittimus baculum pastoralem cypressinum, officio vestro & qualitate mysterii congruum, & quantitate ministerii condignum.*

M m m 2 Abba



Abbatibus quoque baculus pastoralis tribuitur in Ordine Romano, qui mos antiquissimus est. Apud Græcos item non solum Episcopis, sed præfectis etiam monasteriorum, baculum tradi in eorum ordinatione ostendit Goar in notis ad *Euchologium* pag. 313. ex Codino, & Simone Theſſalonicenſi. Forma tamen baculi apud orientales diverſa eſt; non eſt enim in ſummitate-curvus ſive retortus, ſed ſumma pars deſinit in globum eburneum, vel in ſignum crucis, vel in lignum tranſverſum ad inſtar litteræ Tau: vel duobus ſerpentibus ex ebore ornatur, qui reflexis capitibus ſe mutuò reſpiciunt.

In Miſſa ab Illyrico edita inter Pontificalia indumenta poſt Cingulum recenſetur Præcinctorium, quod ab Honorio *lib. 1. Gemma cap. 206.* ſubcingulum, ſive ſubcinctorium nuncupatur. Sed hodie nemo eo utitur in Eccleſia Latina, niſi ſolus Romanus Pontifex, cum ſolemniter celebrat, eſtque inſtar parvi cujuſdam manipuli è ſinistro latere pendens. Huic apud Græcos aſſimilatur Epigonatium formæ quadrangularis palmi & dimidiæ ex utroque latere, quod è Zona appenſum geſtatur, ſolisque Episcopis & aliis in dignitate conſtitutis permittitur. Latine dici poteſt *ſupergenuale*. Eſt & aliud peculiare ſummi Pontificis ornamentum, quo utitur ſolemniter celebrans, eſtque velum ſericum ſubtiliſſimum diverſis coloribus diſtinctum & virgatum, quod poſt Albam & cingulum capiti imponit, & replicat ſuper humeros & ante pectus. Orale olim dicebatur, nunc fanonem vocant. Quidam recentior putat ſubcinctorium idem eſſe ac Gremiale, ſed errat: nam Gremiale pannus eſt, qui in gremio Episcopii celebrantis ponitur, cum ſedet, & cum ordines confert; de quo agit Cereſimoniale Episcoporum *lib. 1. cap. 11.*

*De Pallio Archiepiscopali. Quid ſit. Quædam de uſu iſſus. Quibus concedi ſoleat. Ejus origo. De Pallio Græcorum.*

XVI. **P**oſtremum Pontificale ornamentum eſt Pallium, quod ſolis Patriarchis & Archiepiscopis competit. Eſt autem Pallium fascia lanea candida tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quæ ſuper humeros imponitur, ex quo circulo alia ſimilis fascia ante pectus, alia deorſum ex oppoſito pendet, duæ ſuper humeros demittuntur: quæ faciæ purpureis crucibus ſunt inſignitæ. Ipſum autem pallium tribus aciculis, ſive ſpinulis aureis alliga-

tur. Fit ex lana Agnorum candidorum ſine macula, qui in die ſanctæ Agnetis in ejuſdem Eccleſia via Nomentana ſingulis annis offerri ad Miſſam ſolemnem & benedici ſolent, ac ſubdiaconis Apoſtolicis conſignari, & in aliquo Monasterio Sanctimonialium nutriti, donec veniat tempus ipſos tondendi. Ex quorum lana texuntur pallia, quæ in Baſilicam Vaticanam delata ſuper corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ponuntur in vigilia Natalis ipſorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die ſequenti deputatis cuſtodienda traduntur. Pallio ſemper & ubique utitur Romanus Pontifex, cujuſ eſt ſuper omnes Eccleſias ſummum juſ ac plenaria poteſtas: reliqui eo uti non poſſunt niſi intra Eccleſiam certis quibuſdam & deſignatis diebus, cum Miſſarum ſolemnia celebrant, idque ex antiqua conſuetudine, quam indicat Greg. Magn. *l. 2. epiſt. 54.* Joanni Archiepſcopo Ravennati ſic ſcribens; „ Illud, Frater ca- „ riſſime, tibi non putavimus ignotum, quod penè „ de nullo Metropolitano in quibuſlibet mundi „ partibus ſit audivim, extra Miſſarum tempus „ uſum ſibi pallii vindicaſſe. *Et l. 4. epiſt. 50.* Vi- „ gilio Arelatenſi, Pallium, inquit, tranſmiſimus, „ quo Fraternalitas tua intra Eccleſiam ad ſola Miſ- „ ſarum ſolemnia utatur. Idem ſtatutum fuit in Synodo Romana ſub Joanne VIII. edita ab Holſtenio c. 3. „ Quicumque Metropolitanorum „ per plateas vel in Litanis uti Pallio præſumpſe- „ rit, & non tantum in præcipuis feſtivitibus, „ & ab Apoſtolica ſede indiſtis temporibus, ad „ Miſſarum ſolummodo ſolemnia, careat illo honore. Si tamen verum eſt, quod Flodoardus ſcribit in hiſtoria Remenſis Eccleſiæ *lib. 3. cap. 10.* „ Hincmarus, ejus Eccleſiæ Archiepſcopus, pro „ ſuæ ſanctitatis ac ſapientiæ reverentia per in- „ terventionem Lotharii Imperatoris pallium ad „ quotidianum ſuſcepit uſum à quarto Leone Pa- „ pa, à quo jam aliud perceperat in deſignatis ſibi „ ſolemnitatibus debite fruendum. Quem quoti- „ dianum pallii uſum nulli unquam Archiepſco- „ po ſe conceſſiſſe, vel deinceps conceſſurum eſſe, „ idem Papa in epiſtola tunc ad eum directa teſta- „ tur. Sed commentitiam eſſe huiuſmodi conceſſionem ex epiſtola 47. Nicolai I. ad ipſum Hincmarum, & ex ejuſdem ad Nicolaum reſponſione maniſeſtum ſit. Cum enim memoratus Pontifex ſibi valde diſplicere ſcripſiſſet, quod ille pallio uteretur ultra dies ſibi ab Apoſtolica ſede indultos, reſpondet Hincmarus *ſomo 2. editionis Sirmundi circa finem epiſt. 26.* hiſ verbis. *Poſtremò de pallio à mea præſumptione non certis temporibus*

*& juxta*



Et juxta morem alii Metropolitanis desinitis uso, unde vestra Sanctitatis auribus intimatum esse indignitati meae scripsistis, auctoritati vestrae veraciter fateor, quod et in istis regionibus per alios, si vobis placuerit, rescire valebitis, quia nisi in die Natalis Dominici, et in die sanctae Resurrectionis ejus, vix in 1010 anno eodem pallio utor. Falsa igitur est Flodoardi narratio, ipsomet Hincmaro teste, qui oppositam sibi usurpationem facile potuisset diluere prolati Leonis privilegio, si extitisset. Concessum tamen Brunoni Colonienſi ab Agapito II. ut eo praeter consuetudinem uteretur, quoties vellet, scribit Rogerus Monachus in ejus vita cap. 23. apud Surium die 11. Octobris. Milo quoque in vita S. Lanfranci Cantuariensis c. 11. refert, Alexandrum II. duo pallia illi dedisse, unum quod de altari Romano more accepit: alterum quod sua manu ei porrexit, cum quo Missam celebrare solebat, in indicium sui amoris. Postet etiam pro usu quotidiano pallii afferri canon 6. Concilii I. Matisconensis, quod anno 582. celebratum fuit, quo praecipitur, ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non praesumat, nulla facta dierum solemnium, & non solemnium distinctione. Sed tunc forsitan non iidem erant mores, cum praesertim eo tempore solus Arelatenſis in Gallia usu pallii poteretur. Vel certe explicandus est canon non de quotidiana, sed de solemnium duntaxat celebratione. Quod verò vir doctissimus ex eodem canone infert, duo tunc fuisse pallia, unum Romanum, Gallicanum alterum; & hoc quidem usos propria auctoritate Metropolitanos, quoties libuit, illud autem missum à Romano Pontifice pro certis dumtaxat & designatis diebus: hoc inquam accuratius examinandum foret; mihi enim nihil haecenus videre contigit, quo possit haec conjectura stabiliri. Caeterum non omnibus Archiepiscopis hunc honorem tributum, sed iis solummodo qui inter ipsos praecipui erant, nemo ignorat, qui in veteri historia versatus sit. Nam in Gallia nemini mittebatur, nisi soli Arelatenſi, de qua re extant epistolae Vigili ad Auxanium, Pelagii I. ad Sapaudum, & Gregorii Magni ad Childbertum Regem Francorum lib. 4. epist. 53. In Hispania soli Hispalenſi, in Dalmatia Salonitano, in Italia Ravennati, in Sicilia Syracusano, in Sardinia Caralitano, ut ex epistolis Gregorii liquet: sive hoc fieret intuitu Ecclesiarum seu civitatum praecae teris eminentium: sive ob vicariatum Apostolicae sedis illis Archiepiscopis tributum: quod titulo constat Pallio item à summis Pontificibus insignitos fuisse Archiepiscopos Corinthi, Thef-

salonicæ, & primæ Justinianæ. De S. Malachia hæc narrat Bernardus vite ipsius cap. 15. visum sibi Romam proficisci, quia Metropolitanæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio Pallii usus, quod est plenitudo honoris. Concessum postea fuit omnibus Archiepiscopis, ut hoc ornamento ab Episcopis distinguerentur. Nonnullos quoque Episcopos interdum hoc honore affecerunt Romani Pontifices, vel intuitu meritorum, vel alia justa de causa. A Marco Papa, qui obiit anno 336. concessum Ostiensi Episcopo refert Anastasius. Siagrius Episcopo Augustodunensi à Gregorio Magno, cujus extat hac de re ad illum epistola 14. lib. 7. Actardo Nannetenſi ab Adriano II. ut ipse testatus est in Epistola ad eum directa his verbis: „Decus tibi Pallii solo miserationis affectu contulimus, ut habeas pro exilio „& catena Pallii ornamenta, non ad Ecclesiae „cui incardinandus es perpetuum institutum, sed „ad tuum specialem certique temporis usum. Idem Privilegium habuit Theodulus Aurelianensis, de quo ipse sic cecinit:

*Solius illud opus Romani Praefulis extat,  
Cujus ego accepi pallia sancta manu.*

Walo item sive Valensis Metensis Episcopus à Joanne VIII. Pallium suscepit, propter quod orta est controversia inter ipsum & Bertulfum Trevirensis Archiepiscopum, quam Hincmarus Remensis composuit. Extat epistola Joannis ad ipsum Walonem in supplemento Conciliorum Galliae pag. 295. cui additæ sunt notæ hac de re ex historia Trevirensi. Ipsum quoque pallium, ut de cæteris fileam, Gregorius VII. Brunoni Veronensi lib. 1. ep. 24. pollicitus est, si Romam iret: quia, inquit, Antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi praesenti personæ pallium non esse concedendum. Nunc eo utuntur perpetuo privilegio episcopi Lucensis & Ticinensis in Italia, & Bambergensis in Germania. Origo ejus in utraq; ecclesia Orientis & Occidentis antiquissima est. A Marco Papa concessum Ostiensi jam diximus, at Baronius anno 336. num. 62. Marco antiquiorem putat; est autem corrigendus, quod Phrygium à Celestino missum Cyrillo Alexandrino pallium esse crediderit, cum proculdubio capitis ornamentum fuerit, ut supra indicavi. Eiusdem meminit Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 136. fufidus differens de ejus usu & mystica ratione. Confirmat ejus vetustatem Liberatus Diaconus Carthagenſis, qui in Breviario cap. 18. narrat sententiam damnationis à Felice Pontifice

M m m 3 latam



latam adversus Acacium Constantinopolitanum, quam is recipere noluerat, à quodam Monacho pallio ejus alligatam fuisse, cum ad sacra celebranda ingrederetur. Possit & pallii antiquitas astrui ex rescripto Valentiniani Imperatoris, quo Metropoli Ravennæ anno 432. multas subjicit civitates, ejusque Archiepiscopo usum pallii concedit apud Rubeum in historia Ravennatum. At illud rescriptum omnino falsum & supposititium esse ostendit Baronius *tomo 5. pag. 631. editionis Romanæ*: tum aliis de causis, tum quia non spectabat ad Imperatorem pallii usum largiri: quicquid in contrarium vir doctus scripserit, qui hoc non probat. Quod verò spectat ad canonicas conciliorum generalium sanctiones, nihil de eo sanctum legimus ante octavam synodum adversus Photium, quæ de pallio agit can. 27. quia nimirum ejus concessio omnino pendet ab auctoritate summi Pontificis, à quo etiam constituta fuit forma juramenti, quod Archiepiscopi, antequam illud accipiant, præstare tenentur. Græci *Omophorion*, & *Epomadion* vocant, ut Theodorus Balsamon docet *in respons. ad 11. quest. Marci Alexandrini*. Differentia tamen ingens est inter pallium Latinorum, & Græcorum *Omophorion*, sive *Humeralis*, ut Latini interpretes vertunt: nam Latinum jam supra descripsimus; Græcorum verò est longa fascia ejusdem cum Latino aut paulò majoris latitudinis, collum primitus involvens, tum à collo per medium petus infra genua descendens, crucibus itidem intertexta. Olim usque ad pedes protendebatur, nam Zonaras in vita Constantini Copronymi ait, Anastasium insistentem vestigiis Germani Patriarchæ *Omophorion* ejus calcasse, ut sic eum merneret, ne properaret. Aliud etiam discrimen inter utrumque reperitur, quod Latinum solis Archiepiscopis tribuitur, Græcum omnibus Episcopis commune est, qui illud deponunt, cum Evangelium legendum est, & reassumunt paulò ante communionem, ut docet Simeon Thessalonicensis *lib. de templo & Missa*. Plura de pallio Franciscus Florens *ad tit. Decretalium de usu & auctoritate pallii*: & de *Omophorion* Græcorum Goar *in notis ad Euchologium pag. 312. num. 8*. Habertus *ad partem secundam liturgiæ ordinum observat. 3.* & Morinus *de sacris ordinat. p. 2. in notis ad græcas ordinat. n. 19.* ubi latè ostendit, inter pallium Latinorum & Græcorum *Omophorion* magnum discrimen intercedere.

*De vestibus Ministrorum, ac primum de Cappa sive Pluviali.*

XVII. **H**Atenus de vestibus celebrantium, sive in primo, sive in secundo Sacerdotio constituti sint. Quia verò Ministris rem divinam solemnè ritu facienti assistentibus, Presbyteris videlicet, Diaconis, Subdiaconis, & Clericis specialia quoque indumenta assignata sunt, de his breviter agendum est. Ordo Romanus agens de ordine Processionis, quando Episcopus celebraturus est: *Duo*, inquit, *Presbyteri ita ut ad Missam, excepto quod Cappis indui sint, vestiti ministrent ei*. Est autem cappa, prout sumitur hoc loco, vestis ecclesiastica à sola parte anteriori aperta, ab humeris usque ad pedes protensa, quam recentiores Pluviale vocant, quia olim pluvie tempore sumebatur, ut Ferrarius *lib. 1. de re vestiaria cap. 39.* suspicatur. Et hinc fortè emanavit, ut à parte posteriori capitis tegumentum asutum haberet, quod capitium vocamus, cujus quædam forma seu vestigium in hodiernis pluvialibus remansit. Silent de hoc indumento veteres rerum Ecclesiasticarum scriptores; ejus tamen usum antiquitus viguisse ordo Romanus evincit, cui suffragantur Laofrancus *epist. 13. ad Joannem Normanorum Archiepiscopum*, & alii quos refert Saussæus *prima parte Panopliæ sacerdotalis lib. 6. cap. 5.* Gulielmum Anglorum Regem sancto Hugoni Abbati Cluniacensi misisse cappam penè auream totam, narrat Auctor miraculorum ejus, in qua vix nisi aurum apparebat, vel margaritarum & gemmarum textus; inferius autem undique tintinnabula resonantia, ipsaque aurea pendebant. Latius post annum milleimum extensa est Cappæ significatio ad plures vestes sacras & profanas, ut ex Glossariis patet. Cappa pro quotidiana Monachi veste utitur Gaufridus Abbas in vita sancti Petri Tarantasiensis *cap. 27. Tolle tibi cappam hanc manicatam*. Loquitur autem de cuculla monachali. Pro veste communi sæcularium Cæsarius Cisterciensis *lib. 1. Dialog. cap. 38. Videntes illum cappa rursus atque verusta indutum, aestimantes eum scholarem pauperem & vagum, suscipere renuerunt*. Pro habitu summi Pontificis Petrus Damiani *lib. 1. epist. 20. ad Cadolaum Antipapam, habes juxta morem Romani Pontificis rubeam cappam*. Sunt & cappæ Episcoporum & Canonicorum, quibus indui choro interfunt, de quibus non est hic locus differendi.



*De veste Diaconorum. Olim colobium,  
nunc Dalmatica. Ejus origo,  
forma, & usus.*

XVIII. **D**iaconorum proprium indumentum nunc est Dalmatica ex institutione sancti Sylvestri, qui, ut legimus in ejus actis, præcepit ut Dalmaticis in Ecclesia uterentur, cum antea teste Alcuino Colobiis uti solerent. Erant autem colobia tunicæ sine manicis, non quod prorsus manicis carerent, sed quia ad cubitum tantum pertingebant. Dalmaticæ verò manicatæ erant, talaris, sericæ, albæ, auro ornatae, & plagulis seu clavis ex purpura assutis distinctæ. In Dalmatia primum inventæ, & illinc Romam translatae sunt, unde & nomen acceperunt, sicut ait Isidorus lib. 19. Orig. cap. 22. Clavatas fuisse purpura præter Isidorum ibidem, asserunt alii scriptores. Ecclesiastici diversis vocibus clavos explicantes. Ait enim Rabanus, habuisse dños tramites, Alcuinus duas virgulas, Amalarius duas lineas, alii duas zonas purpureas. Remansit itaque in Dalmaticis priscus mos angustorum clavorum, ut scribit Rubenius lib. 1. de re vestiaria cap. 8. qui ideo existimat, datam Diaconis Dalmaticam angusticlaviam, ut inferiores Presbyteris censerentur, qui latum clavum portabant, quæ erat vestis senatoria unico clavo purpureo distincta, qualia fuisse colobia Monachorum docet Dorotheus serm. 1. dicens, *signum purpureum assumimus in colobium nostrum, inveniunt nos in Christi militiam adscriptos esse, & universas afflictiones ejus sustinere debere: etenim quando passus est Dominus noster, gestavit purpureum vestimentum.* Purpurâ autem etiam clericos quondam usos, patet ex Concilio Narbonensi apud Baronium anno 598. nam usum purpuræ Clericis interdixit. Hodie duobus angustis clavis ornatur Dalmatica, nullâ habita ratione coloris purpurei, imò aliquando sine clavis fit. Planeta verò uno lato clavo distinguitur, qui in multis adhuc apparet ex utraque parte in crucis figuram formatus, quia ut ait Tertullianus lib. de cor. mil. cap. 13. *Illic purpurea sua sanguis Domini, & laus in cruce ipsius.* Dalmaticam Romanis in usu fuisse Lampridius testis est, qui de Commodo & de Heliogabalo Imperatoribus scribit in dedecus & probum ipsorum, quod Dalmaticam in publicum processerint: vel quia mollium & delicatiorum vestis censebatur, vel quia exotica & Romanorum oculis inusitata erat. Ejus fit mentio in Actis S. Cypriani, sed sacrane an com-

munis illa fuerit, diversæ sunt sententiæ. Ego omnino communem fuisse credo: illo enim ævone nondum ad usum sacrum translatum fuerat. Eutychianus Papa constituisse dicitur in libro Pontificali, ut, quicumque fidelium Martyrem sepeliret, sine Dalmatica aut colobio purpurato nullatenus sepeliret, quod honoris causa constitutum reor. Sed cum idem honos summis Pontificibus, ac ipsis etiam (\*) Diaconis tribueretur, ut Gregorius indicat lib. 4. Dialog. cap. 40. decreto suo idem lib. 4. epist. 44. sancivit, ne feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, Dalmaticis tegetetur. Differit de Dalmatica Baronius in notis ad Martyrologium die ultima Maji, cujus in ea describenda lapsus notavit Ferrarius lib. 3. de re vestiaria cap. 9. Proprium quoque Diaconorum ornamentum apud omnes nationes orientales & occidentales, est stola sive orarium in humero sinistro, de quo supra actum est.

(\*) s. Martyribus.

*De vestibus Subdiaconorum. Olim sola Alba usebantur, postea Tunicam & Manipulum addiderunt. De Planetis, quæ antiquitus communes erant omnibus Ordinibus.*

XIX. **S**ubdiaconi Romanæ Ecclesiæ, sedentes in Apostolico throno Gregorio Magno, sola Alba induti suo ministerioungebantur: quem morem alias Ecclesias ab ipsa Romana accepisse idem Gregorius asserit lib. 7. epist. 64. ad Joannem Syracusanum. Postea, teste Honorio in Gemma animæ lib. 1. cap. 229. duæ illis vestes peculiare tributæ sunt: Tunica, quam subtile vocat, quia subtilis contexta, & sudarium sive mappula, cui hodie successit Manipulus. Constat autem ex ordine Romano, magnum olim discrimen inter Dalmaticam Diaconi & Tunicam Subdiaconi extitisse: nam titulo de ordine processionis ante Missam loquens de vestibus Diaconorum stolas & Dalmaticas recenset, Subdiaconis verò sibi congruas vestes præbendas efficit, quæ apud quosdam, inquit, *Subdiaconales nominantur, & mappula in sinistra manus ferenda:* sed quæ illæ fuerint nominatim non exprimit. Nulla nunc differentia reperitur inter Dalmaticam Diaconi, & Tunicam Subdiaconi, nisi quod hujus manicæ strictiores & breviores sunt: quæ differentia sæpè etiam negligitur. Diebus jejuniorum & in adventu tam Diaconi quam Subdiaconi



diaconi planetis utuntur. Quando autem, & qua occasione hic ritus coeperit, non liquet. Ejus meminit ordo Romanus, à quo usus Planetæ etiam Acolythis tribuitur. Nam in ordine Ecclesiastico Romanæ Ecclesiæ, vel qualiter Missa celebratur, *Subdiaconus, inquit, tenet Pallium Pontificis in brachio sinistro super planetam revolutam oriens ad regiam Secretarii dicit. Item, Parat Evangelium qui lecturus est referato sigillo ex præcepto Archidiaconi super planetam Acolythis. Et infra. Archidiaconus suscipit amulas, quem sequitur cum scypho super planetam Acolythis. Conscientie Amalarius, qui lib. 2. cap. 19. Casula, inquit, est generale indumentum sacrorum ducum, & pertinet generaliter ad omnes clericos. Item, Casula dupla est, post tergum inter humeros, & ante pectus. Nullum autem tam ordo Romanus, quam Amalarius ponunt discrimen inter planetam five casulam sacerdotum & aliorum ordinum. Cum enim scriberent de re notissima, & eo tempore omnium oculis subiecta, non satis expresserunt an & quomodo hujusmodi planetæ inter se differrent. In aliis autem auctoribus nihil reperio, quo hic ritus clarius explicetur. Suspicio itaque, Planetæ nomen æquivocum tunc fuisse, & pro veste acceptum, qua sacerdotes & ministri postremo induebantur, quæcumque illa fuerit: sicut hodie, ut supra notavimus, cappam vocamus latum illud indumentum, quo Cardinales, Episcopi, & Canonici amictiri solent, cum publicas & ecclesiasticas functiones obeunt, vel choro assistunt sacris vestibus non induti: sicut etiam cappæ nomen tribuimus externo amictui multorum Religiosorum, atque etiam sæcularium; licet multum ab invicem discrepent. Quod si displicet hæc conjectura, viderint peritiores, quid de hac re statuendum sit; nam eisdem fuisse Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum, atque Acolythorum planetas non credo, nec conveniens & verisimile videtur.*

*De habitu sacro Clericorum. Quid & quale sit Superpellicium.*

XX. **N**unc Clerici minorum Ordinum, cum sacerdoti celebranti ministrant, superpelliceis utuntur, quæ vox barbara est; & ante annos sexcentos incognita; res autem sub aliis nominibus an fuerit ab antiquis designata, incertum est. Qui à temporibus Apostolorum usum superpellicei derivant, vetusta ei vocabu-

la tribuunt; nam quidam esse Ephod contendunt, alii phelonium Græcorum, alii lacernam birrum, de quo in actis Cypriani; alii amphibalum, de quo Remigius in testamento ait, *future Episcopo successori meo amphibalum album paschalem relinquo*: quæ omnia accuratius examinare proposita mihi brevitatis non patitur. Illud sane certum est, tempore S. Hieronymi, ut ipse testatur l. 1. adv. Pelagianos; omnem clerum in sacrificii consummatione candidis vestibus ministrasse. Poteest etiam hoc confirmari ex concilio Narbonensi anno 589. acto, quo sancitum fuit, ne Diaconus, Subdiaconus, aut Leitor, antequam Missa consummetur, Alba se præsumant exuere. Ex quo colligitur, etiam Clericos alba indutos sacrificio assistisse. Sicut autem alba talaris est, ita etiam superpellicium talare olim fuisse Stephanus Tornacensis, qui vivebat anno Christi 1180. testis est *epist. 123. ad Albinum Cardinalem*, cui mittit superpellicium novum, candidum, & talare. Honorius similiter de indumentis Clericorum differens *lib. 1. cap. 232.* vestem esse ait laxam & talarem. Successu verò temporis decurtatam esse concilium Basileense ostendit *sess. 21.* ubi discernens quomodo divinum officium in ecclesia celebrandum sit, præcipit clericis habere tunicas mundas, & superpellicea ultra medias tibias longa. Nunc adeò detruncata sunt, ut vix ad genua pertingant.

#### CAPUT XXV.

*De Missæ apparatus in vasis, supellectili, luminariis, Incenso, Ministris, Cantoribus, & aliis, quæ infra separatim indicantur.*

**P**ost Sacerdotum & Ministrorum indumenta sequuntur ea quæ propius ipsum sacrificium attingunt, sacra scilicet vasa, supellex & ornatus altaris, & reliqua ad Missæ apparatus pertinentia, de quibus breviter agendum est.

*De Calice, ejusque origine & materia. Ligneos quandoque fuisse, lapideos, & corneos; æneos nempe, & stanneos. Actum fuisse de vitreis. Ecclesiam non nisi aureos & argenteos approbasse. Addita his gemma & alia ornamenta. Quidam calices cum ansis. Quidam majores, & minores; ministeriales, & Baptisimi.*

I. A Calice



I. **A** Calice incipio, in quo sanguis Christi, redemptionis nostræ pretium, consecratur. De ejus origine nemo qui credat Evangelio ambigere potest. Ibi enim legimus Redemptorem nostrum in ultima cœna, postquam tradidit discipulis suis sub specie panis corpus suum, accepisse calicem, & dedisse illis ac dixisse, ut omnes ex eo biberent sanguinem suum, qui mox pro illis & pro multis effundendus erat in remissionem peccatorum. Hoc testatur Apostolus se accepisse à Domino, & fidelibus tradidisse, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit; Accipite & manducate, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem postquam canavis dicens, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hinc Feria quinta majoris hebdomadæ, in qua hujus sacrificii institutio recolitur, Natalis Calicis ab antiquis Patribus vocabatur; quia tunc calix à profano usu ad sacrum Christo auctore translatus est. Præclarè Eligius Noviomensis Episcopus hom. 10. in cœna Domini, Vocatur, inquit, hæc dies cœna Domini, vocatur & natalis Calicis, quia hac eademque die mysticum Pascha Dominus cum discipulis celebrans, Sacramenta corporis & sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipse celebrationis initium fecit. Qualis autem fuerit calix, quo Christus primum ulus est, describit Baronius anno 34. nu. 63. Bedæ nixus testimonio his verbis, Non præterimus tamen dicere, quod calix ille, in quo Redemptor noster Jesus Christus sacratissimam Eucharistiam consecravit, ut egregium tantæ rei monumentum, à communi usu selectus, ac summa industria asservatus, ad huc Bedæ temporibus Hierosolymis visebatur, de quo hæc ipse lib. de locis sanctis cap. 2. In platea, quæ Martyrium & Gatha continuat, exedra est, in qua Calix Domini scrinio reconditus per operculi foramen tangi solet & osculari: qui argenteus calix hinc inde duas habens ansulas sextarii Galliçi mensuram capit. A Christo igitur initium calicis habemus, quem ab Apostolis & deinceps à Patribus in sacrificiis adhibitum fuisse extra controversiam est, cum sacrum celebrari sine illo non possit. Ex qua verò materia primis ecclesiæ sæculis fabricari solet, hic primo loco investigandum est. In Concilio Triburiensi sub Formoso cap. 18. celebre apophthegma refertur S. Bonifacii Episcopi Moguntini: Vasa quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ, de quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interroga-

tus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. Honorius quoque in Gemma animæ lib. 1. cap. 89. Apostoli, inquit, & eorum successores in ligneis calicibus Missas celebraverunt. Sed Honorio id asserenti sine legitimo teste non credo: & ex verbis Bonifacii inferri non potest, quod usus lignei calicis communis fuerit in primitiva Ecclesia. Crediderim potius S. Antistitem zelo Dei succensum præteritorum comparatione sua tempora redarguisse, id quod homines pallium solent. Fuisse in aliqua Ecclesia calicem ligneum vel propter rerum penuriam, vel propter incuriam sacerdotum, non inficior, neque enim concilium Triburiense loco citato statuisse, ne quis deinceps sacra mysteria in ligneis vasculis conficere præsumeret, nisi hic abusus alicubi irreplisset. Canones quoque editi in Anglia sub Edgardo Rege cap. 41. calicem fusilem esse decernunt, vetantque ne omnino in ligneo fiat consecratio. Pixidem ligneam & in ea corpus Domini commemorat Rupertus Abbas lib. de incendio Tutiensi cap. 5. Sed hæc conservandæ Eucharistiæ, non conficiendæ destinata erat. Inter abusus etiam recenseo lapideos & corneos calices. De lapideis sive marmoreis mentio fit in vita S. Theodori Archimandritæ apud Surium die 22. Aprilis; narrat enim Gregorius Presbyter ejus scriptor, quod cum monasterium ab illo ædificatum auctum esset, sed argentea suppellectili careret, & vasa tantum marmorea in mysteriis adhiberentur, misit sanctissimus Theodorus Archidiaconum suum ad regiam civitatem, ut argenteum vas ad sacrorum mysteriorum usum emeret. Ex lapide item onychino factos legimus, nam in synodo Duziacensi edita à Cellotio pag. 4. cap. 5. inter crimina Hincmari Laudunensis hoc numeratur, quod calicem onychinum auro & gemmis ornatum à Rege donatum ab ecclesia sustulerit. In actis S. Berneucardi episcopi Hildesheimensis scriptum est, plures ab eo calices datos ecclesiæ, & unum ex lapide onychino, alterum chrysellinum mira industria. Leo Ostiensis in fine lib. 3. chronici Cassin. inter ornamenta à Victore III. Cassinensi ecclesiæ relicta, duos calices onychinos recenset. Similis lapidi onychino est sardonix, ex qua gemma Sugerius Abbas se altaris officii calicem pretiosum comparasse ait in libro de gestis suis, cum regnum administrabat. Cornei meminit Synodus Calcutensis in Anglia sub Adriano I. quæ ejus usum prohibuit



buit cap. 10. Thomas item Bartholinus lib. de medicina Danorum domestica scribit, penes se esse calicem corneum, quo olim in sacrificio Missæ utebantur Norvegi. Fuerunt & calices vitrei, qui proculdubio mundiores & decentiores erant, & ideo antiquior ac frequentior eorum usus. Putant nonnulli, à Zephyrino Papa statutum fuisse, ut calices vitrei essent, in libro enim Pontificali sic de eo scriptum est. *Hic fecit constitutum de ecclesia, ut patenas vitreas ministri ante sacerdotes portarent, dum episcopus Missam celebraret.* At hic de calicibus nec verbum quidem; extendere autem ad calices statutum de patenis, ut plerique faciunt, ego non audeo, Pontifice nihil de illis decernente: cum præsertim nos lateat, ad quem usum portarentur illæ patenæ à ministris, quas probabiliter crediderim distribuendæ potius populo communioni, quàm sacrificio deservisse. Alii huc pertrahunt Tertullianum, qui lib. de pudicitia cap. 7. ait: *Procedant Picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucet interpretatio pecudis illius, ovis scilicet perditæ & à Domino requisitæ, & humeris ejus revectæ.* Et infra cap. 10. *Si forte patrociniabitur pastor, quem in calice depingis.* Et post pauca. *At ego ejus pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi.* Sed hic Tertullianus nihil de materia calicis exprimit, deque sola pictura loquitur, quæ non solum vitreis, sed etiam argenteis convenire possunt, illius præsertim scriptoris stylo, qui metaphoris abundat, & obscuritatem ubique affectavit, ut de illo testatur Lactantius lib. 5. cap. 1. Continent autem citata verba, ut hoc obiter notem, illius jam hæretici adversus Catholicos amarulenta convitia, ac si pastorem ovem perditam gestantem in calicibus pingerent, ut hinc in omne scelus animarentur tanquam poenitentiam summi Pastoris misericordia recepturi post lapsum, quam ipse negabat. Alii ad astruendum vitrei calicis usum plurima coacervant veterum Patrum testimonia, in quibus fracti calicis mentio fit, ac si nihil frangi possit, nisi sit vitreum. At hos redarguunt Grammatici, apud quos frangi dicitur, quicquid rumpi, discerpi, scindi, secari, collidi, conteri, comminui potest. Unde Cicero orat. 6. in Verrem, *Aureus annulus, quem habebat, fractus est & comminutus.* Et lib. 4. ad Atticum epist. 3. *Quinti fratris domus. coniectu lapidum fracta est.* Certiores vitrei calicis probationes probæ notæ scriptores suppeditant. Apostolicis temporibus proximus fuit Marcus hæreticus & magus, qui testibus Irenæo lib. 1. cap. 9. & Epiphanio hæ-

34. vitreum calicem, catholicorum morem amulatus; ut putat Baronius, in mysteriis adhibens, vinum album præstigiis suis mutabat in rubrum, ac si per ejus invocationem sanguis stillaret in calicem. Donatus quoque episcopus Aretinus & martyr calice vitreo utebatur, quem fractum à Paganis fusa oratione reparavit, ut scribit Gregorius Magnus lib. 1. Dialog. cap. 7. S. Hieronymus in fine epistolæ 4. ad Rusticum laudans Exuperium Episcopum Tolosanum, Nihil, inquit, illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro. Casarius item Arelatensis, ut narrat Cyprianus ejus discipulus in vita ipsius, vitreo calice usus est, cujus illa verba referuntur, *An non in vitro habetur sanguis Christi?* quia nimirum aurea & argentea vasa pro redimendis captivis distraxerat. Calicis quoque vitrei fracti, & meritis S. Laurentii martyris in ejus Basilica Mediolanensi reparati meminit Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 46. Quod verò plures, præcipuè in Gallia, tam Episcopi, quàm Presbyteri vitreo calice usi sint, non in aliquam Ecclesiæ legem, neque in Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, sed in temporum calamitatem referendum est ob barbarorum incurfiones, quæ coegerant omne aurum Ecclesiæ pauperibus & in captivitate degentibus erogari, ut Hieronymus & Cyprianus supra citati asseverant. S. Benedictus Ananiensis, ut vitæ ejus scriptor ait, vasa ad conficiendum Christi corpus nolebat sibi esse argentea: siquidem primùm ei fuerunt lignea, deinceps vitrea, sic tandem descendit ad stannea. Sanctus item Columbanus æneo calice usus est, cujus exemplum Gallus ejus discipulus imitatus, vasa argentea recusavit, ut habent ejus acta apud Surium die 16. Octobris. Verùm hæc privata illorum opinio fuit, & idem Benedictus mutata postmodum sententia non solum calices, sed & lampades & candelabra, aliæque ornamenta ex argento admittit. Porro Gratianus de consecr. dist. 1. c. 45. & Ivo p. 2. c. 131. ex quodam concilio Rhemenfi canonem afferunt, quo præcipitur, ne quis in ligneo aut vitreo Calice præsumat celebrare. At quale fuerit hoc concilium, & quo tempore celebratum, nec illi dicunt, nec mihi libet divinare, licet non ignorem, à quibusdam recentioribus ad ævum Caroli Magni referri, qui tamen sui dicti nullam afferunt certam rationem. Pluries itaque veritum, nunquam statutum aut approbatum legimus calicis lignei, aut vitrei, sive lapidei, vel cornei usum. Prohibetur similiter in eodem concilio Rhemenfi calix ex ære vel



vel aurichalco, quia ob vini virtutem parit ceruginem, quæ vomitum provocat. Mandat autem ut si non ex auro, saltem ex argento fiat. Quod si quis tam pauper est, ut argentum habere non possit, saltem stanneum habeat. Richardus verò Cantuariensis Archiepiscopus immediatus S. Thomæ martyris successor in synodo à Rogero Hovedensi relata præcepit, ne consecraretur Eucharistia nisi in calice aureo vel argenteo, & ne stanneum calicem Episcopus benediceret. Cui consonans Petrus Damiani *opuse. 23. cap. 1.* acriter invehitur adversus incuriam sacerdotum, qui stanneis, vel etiam supparis cujuscumque metalli calicibus, eisque sordidus utebantur, quos propriis adhibere labiis vir quilibet potens non dignaretur.

II. Hæc mihi de calicibus ex ligno, vitro, aliâve materia præter aurum & argentum non fabricandis ex veterum monumentis comperta sunt; ex quibus colligitur, orthodoxam Ecclesiam semper & ubique in hoc conspirasse, ut aureis vel argenteis calicibus sacerdotes uterentur. Urb. I. fecisse omnia ministeria sacra argentea, & patenas argenteas 25. apposuisse narrat sub nomine Damasi auctor libri Pontificalis: non tamen huic inferendum, ut quidam perperam faciunt, tunc primum ex argento cusos calices fuisse. Nam liber Pontificalis refert quid ille fecerit, quid verò ab aliis ante ipsum factum sit, & quibus vasis usi sint, non dicit. Contrarium potius evincitur ex facto S. Laurentii martyris integro ferè sæculo ante Urbanum, qui, ut scribit S. Ambrosius *lib. 2. de officiis cap. 28.* jussus à Sixto Pontifice aurum Ecclesiæ pauperibus erogare, martyrium subire maluit, quam S. Pontifici non obedire. Aurum igitur egenis distribuit, vasa sacramentorum vendidit: quia in usus pauperum, ut ibidem docet Ambrosius, vasa ecclesiæ etiam initiata infringere, conficere, vendere licet. Eleganter Prudentius *hym. 2. de coronis* persecutorem introducit petentem à Laurentio inter Ecclesiæ thesauros etiam vasa sacra his verbis.

*Hanc esse vestris orgiis  
Moremque & artem proditum est.  
Hanc disciplinam sæderis,  
Litent ut auro Antistes.  
Argenteis scyphis serunt  
Fumare sacrum sanguinem,  
Auroque nocturnis sacris  
Adstare fixos cereos,  
Tunc summa est cura Fratribus,  
Ut sermo testatur loquax,  
Offerre fundis venditis  
Sesertiorum millia.*

Hic mos fuit primorum Christi fidelium, qui venditis possessionibus pretia Apostolis in communem Ecclesiæ usum afferebant. Non ergo deerant Apostolis nummi, quibus & fratrum necessitatibus providerent, & quæ spectabant ad usum sacrificii compararent. Curasse autem ut ea maximè decencia essent, & ut vasa sacra ex pretioso metallo fabricarentur, non levi conjectura inferre possumus ex eorum pietate & maxima veneratione, qua divina mysteria corporis & sanguinis Christi prosequerentur. Derivata ab illis ad posteros hæc cura & religio est, adeo ut etiam læviente persecutione aureos & argenteos calices ecclesiam habuisse fide dignissimi scriptores testentur. Optatus Milevitanus *lib. 1.* loquens de Mensurio episcopo, *Erant, inquit, ecclesiæ ex auro & argento quàm plurima ornamenta, quæ nec desodere terræ, nec secum portare poterat.* In his autem ornamentis potiorem locum calices obtinuisse, nulli dubium esse potest; nam *lib. 6.* inter scelera Donatistarum hoc etiam recenset, quod calices fregerint. *Fregistis, inquit, calices, Christi sanguinis portatores, quorum species revocastis in massas, mercedem nefariis nundinis procurantes. Emerunt forsitan in usus suos sordida mulieres: emerunt Pagani facturi vasa in quibus incenderent idolis suis.* Ex quibus verbis duo evidenter deducuntur, unum quod etiam sub ethnicis Principibus Christianorum persecutoribus, quibus imperantibus Donatistæ eruperunt in Africa, habebat Ecclesia vasa aurea & argentea: alterum, quàm ineptè viri aliàs non indocti eam Oprati sententiam, *Fregistis calices,* afferant ad probandum, quod calices tunc vitrei fuerint, à qua inconsulta opinione proculdubio recessissent, si integrum Oprati textum legissent: neque enim vitri fragmenta vendi poterant, & in Paganorum vasa conficari. Extant acta Proconsularia adversus traditores sub Diocletiano & Maximiano apud Baronium *to. 2. anno 303.* quorum meminit Augustinus *epist. 165. ad Generosum & in libris adversus Cresconium,* ex quibus constat, raditos à Donatistis non solum sacros codices juxta editum Diocletiani, sed etiam calices aureos & argenteos. Huc item spectat quod Gregorius Turonensis scribit *lib. 1. de gloria Martyrum cap. 38.* in cryptis subterraneis, in quibus olim fideles metu persecutionis sacris operari consueverant, varia ministeria argentea reperta fuisse. Sotis verò persecutionibus sub Constantino Magno & deinceps, cœperunt Ecclesiæ aureis, argenteis, & gemmatis calicibus abundare. Ipse Constanti-



nus, ut liber Pontificalis in Sylvestro recenset, Ecclesias quas aedificavit, sacris donariis locupletans, inter caetera fecisse dicitur calices minores ex auro purissimo XL. pensantes singulos libras singulas: calices ministeriales L pensantes singulos libras binas: calices argenteos XX: pensantes singulos libras decem. Celebre est viri impii convitium, quem cum misisset Julianus Apostata ad expilandum templum Antiochenum, ut refert Theodoretus *lib. 3. hist. Eccles. cap. 8.* sacrorum vasorum, quae Constantinus donaverat, magnificentiam admirans, En, inquit, *cujusmodi vasis filio Mariae ministratur.* Basilicam Principis Apostolorum plurima ex auro & argento vasa & ornamenta possedisse, quando Alaricus Gothorum Rex Urbem diripuit, Paulus Orosius *l. 7.* jucunda & memorabili historia enarrat. Augustinus *conc. 2. in Psal. 113.* explicans versiculum *simulacra gentium, argentum & aurum,* ait: sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quae ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur. Chrysostomus aureum calicem & gemmis ornatum commemorat *hom. 51. in Matt. Agathias lib. 2. de reb. Justin.* gentem Alemanicam templa expilasse ait, amulas, calices, acerras, & alia vasa ex puro auro diripuisse. Ipsemet Chostoes Rex Persarum tamen infidelis, ut refert Theophylactus Simocatta *lib. 5. histor. c. 13.* Sergio martyri crucem auream & gemmatam dono dedit ob victoriam ejus ope obtentam; itemque calicem, & discum, & thuribulum, aurea omnia, ut ejus intercessione prolem haberet à Siræ conjuge, quae erat Christiana. S. Perpetuus Turonensis Episcopus duos calices aureos Ecclesiae suae legavit, ut legimus in ejusdem testamento nuper edito *romo 5. Spicilegii.* Childebertum Regem sexaginta calices aureos gemmis pretiosis ornatos ab Hispania in Galliam detulisse scribit Gregorius Turonen. *lib. 3. hist. Franc. cap. 10.* Omitto reliquos ejusdem vel sequentium saeculorum, quorum testimonia in re clarissima superflua sunt. Inter calices autem aureos, gemmis distinctos, & argenteos, quos Ecclesiis donatos legimus, nonnulli passim occurrunt magni ponderis, non usui, sed ornamento. Conradus Episcopus in Chronico Moguntino sacra vasa illius Ecclesiae describens, calices recenset tantae quantitatis, quod cum ipsis divina mysteria nequaquam poterant celebrari: quorum unus duas habebat ansas, quae poterant manus replere

levantis. Carolus Magnus apud Anastasium in vita Leonis III. obtulisse dicitur calicem majorem cum gemmis & ansis duabus pensantem libras LVIII. Idem Anastasius in Gregorio III. commemorat inter donaria calicem cum gemmis pensantem libras XXXIV. & in Leone IV. calices majores ex argento purissimo, qui pendunt, inquit, in arcu numero X. & alios qui pendunt inter columnas numero XL. pensantes similibras CCLXVII. Et in Paschali I. Fecit calices majores ex argento pendentes numero XLII. qui omnes simul pensant libras CCLXXXI. Habebant hi catenulas & ansas, quibus ante altare diebus Festis appendebatur. Iterum in Leone III. Fecit calicem majorem cum gemmis & ansis duabus pensantem libras XXXVI. Eundem dedisse ait S. Petro calicem aureum praecipuum tetragonum spanoclystum diversis ornatum lapidibus pretiosis, pensantem libras XXXII. nec non & patenam auream spanoclystam mirae magnitudinis gemmis decoratam pensantem libras XXV. & unicas IX. In his observandum, non solum majores, qui ad ornatum erant, sed alios etiam ad usum sacrificii ansatos olim fuisse. Ordo Romanus agens de officio Missae, *Levat,* inquit, *Archidiaconus calicem per ansas, & tenet exaltans illum juxta Pontificem.* Magnum chronicon Belgicum calicem aureum commemorat habentem duas auriculas, quem S. Henricus Imperator Ecclesiae sancti Laurentii obtulerat. Ideo autem ansatos fuisse puto, ut commodius tractari possent, & illis porrigi, qui ex ipsis Christi sanguinem haurire solebant. De calice sancti Remigii, qui propter imagines in eo incisas *imaginatus* dicebatur, & de versibus in eo sculptis legendus Flodoardus *lib. 1. hist. Rhemen. cap. 10. & 18.* Erant & calices baptismi, ut colligitur ex Anastasio in Innocentio I. quibus mysticum poculum lactis & mellis recens baptizatis porrigebatur, de quibus non est hic locus differendi. Constat quoque ex antiquis Ritualibus, plures in uno sacrificio adhibitos olim calices, quorum unus ipsi sacrificanti, & ministris, & aliis sacerdotibus, si qui erant prisco ritu concelebantes, inferebat: alii plures vel pauciores pro numero fidelium communicantium apponebantur, qui grandiores & capaciores erant, & dicebantur ministeriales, quorum saepe fit mentio in vitis Pontificum. Respexit ad hanc calicum pluralitatem liturgia Jacobi, in qua Diaconis praecipitur, ut attollant discos, id est patenas, & calices ad impartendum populo.

Simili



Simili modo in Constitutionibus Apostolicis mo-  
nentur Diaconi prætervolantes bestiolas abigere,  
ne in pocula incidant. Permanit hæc consuetu-  
do usque ad tempora Gregorii II. qui in epist. 14.  
qua respondet consultationibus S. Bonifacii, con-  
stituit, ne plures calices in altari ponerentur, eo  
quod hic usus institutioni Christi non conveni-  
ret, qui omnes de uno & eodem calice commu-  
nicavit: cujus rationis pondus non est meum  
examinare. Observo tamen Gregorii II. sæculo  
communicantium numerum adeo imminutum  
fuisse, ut plures calices necessarij non fuerint.  
Sublata denique communione sub utraque specie,  
mos ille profusus abolutus est. Armenii duos ca-  
lices adhibent in Missa, sed alter patenæ Latino-  
rum, sive Græcorum disci vicem gerit, in quo  
panem consecrandum ponunt, in altero autem  
vinum.

*De patena, ejusque forma & materia. Tan-  
gere vasa sacra quibus liceat. Ad quem  
olim spectaret illorum custodia.*

III. **A**N nexa calici est patena, quæ ejus oper-  
culum est, sic dicta à patendo, qua voce  
usus est Columella l. 12. c. 43. deque vasis apud  
profanos scriptores significat latis & patentibus  
labris. Græci *discos* vocant. Sed discus magis  
cavus & capaciore est, ne panis & micæ excidant.  
Patenas magni ponderis, gemmisque ornatas sæ-  
pè memorat Anastasius inter donaria Pontificum  
penlantes XXV. vel XXX. libras. Et in Leone  
III. meminit patenæ majoris aureæ cum gemmis  
& ansis duabus. Porro istæ cùm tantæ magnitu-  
dinis essent, usui esse non poterant sacerdoti ce-  
lebranti. Erant autem & patenæ ministeriales  
cæteris ampliores, quæ distribuendæ populo Eu-  
charistiæ deserviebant. Erant & Christinales ad  
usum Baptismatis & Confirmationis. Ex eadem  
materia, quæ calices, confatas fuisse, cum par-  
viorumque sit ratio, credibile est. Zephyrinus  
vitreas fieri sancivit, Urbanus argenteas, quod  
qualiter intelligi debeat, jam supra dictum est.  
An Christus consecratum panem in disco seu pa-  
tena posuerit, non expriment Evangelistæ: ejus  
tamen usum ævi Apostolici esse Liturgia Jacobi  
ostendit. Sculptum in patena vultum Salvatoris  
referunt Anastasius in vita Gregorii IV. & Joan-  
nes Diaconus in vita sancti Anastasii Episcopi  
Neapolitani. Utriusque verò tam calicis quam  
patenæ extat in Ordine Romano consecratio,

unctione Christinatis certisque precibus adhibi-  
tis, quem ritum è veteri testamento ad novum  
profluxisse reor. Idem vetitus utriusque tactus  
profanis hominibus decreto Sixti I. à quo ait li-  
ber Pontificalis, constitutum, ut ministeria sa-  
crata non tangerentur, nisi à Ministris. Decreto  
item Concilii Laodiceni sub S. Sylvestro c. 21.  
sancitum est, non oportere Subdiaconum vasa  
sacra contingere. Et concilium Agathense  
cap. 66. statuit, non oportere in sacros mini-  
stros vasa Dominica contingere. Quod verò at-  
tinet ad Subdiaconos, data illis facultas est ea  
tangendi in concilio Bracarensi primo sub Joan-  
ne III. cap. 28. *Placuit ut non liceat cuilibet ex  
lectoribus sacra altaris vasa portare, nisi his qui ab  
Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.* Acolythis  
etiã eandem licentiam concessam ex ordine  
Romano manifestum est. His custodiendis sa-  
crorum vasorum cultos, quem Græci Scevophy-  
laccem & Cemeliarchen vocant, olim deputaba-  
tur, cujus inter officia & dignitates Ecclesiæ  
Constantinopolitanæ meminit Codinus cap. 1.  
Fungebatur hoc officio in Ecclesia Romana S.  
Laurentius, de quo Prudentius sic canit.

*Hic primus è septem Viris,  
Qui stant ad aram proximi,  
Levita sublimis gradu,  
Et cæteris præstantior,  
Clavis sacrorum præerat,  
Cælestis arcanum domus  
Fidis gubernans clavibus.*

Neque licitum unquam fuit extra Scevophy-  
laceum seu Diaconicum, quod Latini Secreta-  
rium dicebant, illa asportare, aut in domibus  
privatis conservare. Hinc Athanasius *Apolog. 2.*  
à calumnia contracti calicis, quam finxerant ad-  
versus ipsum Ariani, sufficienter se purgat di-  
cens locum, in quo contractum poculum jacti-  
tabant, Ecclesiam non fuisse, nec quemquam  
Presbyterum ei loco vicinum repertum esse, cum  
mysticum poculum nusquam nisi apud legitimos  
Ecclesiæ præfides inveniantur. In concilio item  
Chalcedonensi inter crimina, quæ Ibæ Episco-  
po Edesseno objecta fuerunt, secundum hoc fuit,  
quod calicem gemmatum magni pretii inter vasa  
sancta Ecclesiæ sub custodis cura non reposuerit,  
& nescirent quid de eo factum esset. Idem mos  
semper & ubique in Ecclesia invaluit, ut vasa  
ministerii neque in privata domo, neque à pro-  
fanis hominibus, sed in æde sacra à ministris  
Ecclesiasticis sollicitè & cautè servarentur.

N n n 3

De



*De alijs vasis seu instrumentis ad sacrificium spectantibus, ac primum de fistula, qua sanguis Domini e calice hauriebatur. Varia eius nomina. Cur sanguinis communioni Confirmationis nomen tributum. Locus Ambrosii perperam correctus restituatur. De usu fistulae.*

IV. **P**raeter calicem & patenam alia sunt vasa & instrumenta, quae remotius ad sacrificium spectant & ideo non consecrantur. Ea enumerat Ordo Romanus, ubi agit de ordine celebrandae Missae; & passim occurrunt apud Anastasium inter donaria summorum Pontificum. Ab his paucis me expediam, nam si fusius & singillatim cuncta prosequi vellem, nimis in longum extenderetur haec disquisitio. Ordior à digniori divinum Sacramentum proprius attingente, nempe à Fistula seu cannula aurea vel argentea, qua sanguis Christi olim e calice hauriri solebat. Eius usum explicat Ordo Romanus his verbis. *Diaconus tenens calicem & fistulam, stet ante Episcopum, usque dum ex sanguine Christi quantum voluerit, sumat; & sic calicem & fistulam subdiacono commendat.* Conradus Episcopus in chronico Moguntino de Missae apparatu scribens ait, *Erant fistulae quinque ad communicandum argenteae deauratae.* Leo Ostiensis in fine lib. 3. chron. Cassin. inter donaria Victoris III. ad usum sacrificii fistulam unam auream cum angulo, & alias argenteas enumerat. Liber usum ordinis Cisterciensis cap. 52. agens de ritu communionis in Missa solemnii, fistulam inquit necessariam non esse, cum soli Ministri communicant: cum vero plures communicant, fistula uti debent, quam perfecta communione ab utraque parte sugendo, sanguine Domini evacuari jubet. In alijs tamen antiquis Monachorum Ritualibus usus fistulae praescribitur sacerdoti & ministris, caeterisque omnibus communicare volentibus. Ab Anastasio in Adriano siphon nuncupatur. *Obtulit calicem majorem fundatum cum siphone pensantem libras XXX.* Sunt enim siphones, tubi, sive fistulae, quibus aqua in fontibus emittitur. Apud Miraeum in codice piarum donationum cap. 21. extat testamentum S. Everardi comitis anno 937. in quo inter supellectilem sacram *Pipa aurea* nominatur, id est cannula ad hauriendum sanguinem ex calice, ut optime Miraeus in notis explicat. Antiqua Carthusianorum statuta *calamum* vocant. *Ornamenta*, inquirunt,

*aurea vel argentea praeter calicem & calamum, quo sanguis Domini sumitur, in Ecclesia non habemus.* Credo autem, quod per analogiam ad calamum, quo scribimus, etiam pugillarium nomen fistulae inditum sit in Ordine Romano. Pugillares enim numero multitudinis numerantur inter instrumenta sacra, quae Pontifici ad Stationem procedenti praeferebantur: & numero singulari idem liber ait: *Deinde Archidiaconus tradit calicem subdiacono, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum.* Scio quidem, pugillarium nomine à Latinis scriptoribus intelligi tabulas, in quibus olim scribebant, quae Graece *pinacidia* dicuntur: sed postea idem vocabulum translatum est ad stillos seu graphia, sive etiam pennas vel calamos significandos, quibus litterae formantur; & ex hac similitudine idem nomen, ut dixi, fistulae seu calamo tributum est, quo sanguis e calice exugebatur. Populum vero confirmare, est ipsum Dominico sanguine reficere & sanctificare: sicut enim baptizatus unctione Chrismatis & manus impositione ab Episcopo accepta perfici dicebatur, ut loquitur concilium Illiberitanum cap. 38. & 77. unde factum est, ut chrismatis sacramento Confirmationis nomen impositum sit: ita qui acceperant corpus Domini, accepto etiam calice, phrasi illius sacculi confirmari dicebantur, ac si sanguinis potus communionis complementum esset, ut ait Micrologus cap. 19. sicut chrisma complementum quoddam Baptismi censebatur; adeo ut nondum chrismate uncti, sicut observat Albaspinæus ad cit. c. 77. *Illiberitanum*, nec perfecte Christiani haberentur, nec ad Eucharistiam, quae est maximum & perfectissimum Christianorum mysterium, admitterentur. Non quod baptismus sine chrismate non sit perfectum Sacramentum, sed quia per eam unctionem novum gratiae robur additur ad fidei confessionem: & quia usus illorum temporum ferebat, ut fideles sub utraque specie communicarent, calicis participatio veluti complementum Eucharistiae phrasi tunc usitata censebatur. Atque huc credo respexisse Tertullianum lib. 4. adv. Marcionem c. 40. dum ait, *In calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit.* Hoc item seculi dixisse existimo Sixto Pontifici Laurentium Diaconum apud Ambrosium lib. 1. offic. cap. 41. *Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisti Domini sanguinis consecrationem.* Sic enim



enim scriptum est in antiquis codicibus tam editis quam MSS. non dispensationem, ut in vulgatis libris correctum est. Huic autem lectioni nullatenus formidandæ aut corrigendæ, sed omnino restituendæ, favet contextus, nam sequitur, *cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Confors scilicet erat Diaconus consecrationis & consummationis sacramentorum, & Ambrosius modo loquendi illius sæculi, non de consecratione sacramentali sed ministeriali loquutus est. Certus est enim quod Diaconus non consecrabit sanguinem Christi, sed eo à sacerdote consecrato sanctificabat, confirmabat, & quodammodo consecrabit populum, ipsum sanguinem ministrando & dispensando. Petrus Blesensis *epist. 123. ad Episcopum Londonensem* præcitata Ambrosii verba sic explicat. *Nobis enim Diaconis consecratio illius salutaris hostiæ committitur, non ut conficiamus, sed ut conficiantibus humiliter assistamus.* At verò hoc sensu non solum Diaconus, sed omnes astantes dicerentur consecrare: & huc pertinet Guerrici Abbatis sententia *serm. 5. de Purificatione* dicentis: *Non solus sacerdos sacrificat, non solus consecrat; sed totus conventus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat.* Hæc autem explicatio à sensu veteris Ecclesiæ remotior, & minus propria est, cui prior præferri debet, ut dicatur Diaconus consecrare, quatenus sanguinem dispensat, qui est consecratio & sanctificatio nostra, & fons atque essentia sanctificationis. Utitur nunc fistulâ summus Pontifex, cum solemniter celebrat, illâ hauriens quantum vult de sanguine, reliquum ministris relinquens, qui eadem fistulâ ipsum absumunt. Idem usus adhuc permanet in celebri Monasterio sancti Dionysii in Francia Ordinis S. Benedicti, nunc congregationis sancti Mauri, quæ veteri disciplinâ restauratâ, monasticarum Congregationum & merito & numero nulli secunda, doctrinâ & sanctitate mirabiliter floret. Ibi enim Ministri more antiquo sub utraque specie communicant, & sanguinem è calice fistula hauriunt. Apud Græcos fistulæ usum nusquam reperio, nam cochleari communionem corporis simul & sanguinis ministrant, ut suo loco videbimus.

*De Urceis, aliisque vasis ad infundendum calici vinum & aquam. De Calatorio & Aquamanili.*

**V.** UT vinum & aquam calici infundamus, urceis sive urceolis vitreis vel argenteis uti solemus, quos hodie ampullas vocamus. Olim verò singuli fideles vinum in scyphis sive amulis offerebant, ex quo Diaconus calici infundebat, quantum sacrificanti & communicantibus sufficiebat. Ita Ordo Romanus sæpe cum agit de Ordine Missæ, Pontifice, inquit, *oblationes populorum suscipiente, Archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem majorem, quem sequitur cum scypho, continente scilicet aquam, super planetam Acolytus.* Item Ornato altari Archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de subdiacono oblationario regionario, & refundit super eum in verticem. Et alibi inter vasa sacri ministerii amulas argenteas recenset ad vina fundenda. In vitis quoque Pontificum passim reperuntur donatæ Ecclesiis amæ argenteæ & scyphi argentei, ac etiam aurei & gemmis distincti, tum ad usum, tum ad ornatum: nam plures reperiuntur pensantes libras 12. 15. 20. & multò amplius. In actis Proconsularibus supra citatis cum aliis vasis sacris, quæ traditores juxta edictum Diocletiani dedisse leguntur, etiam urcei argentei nominantur. Ordo Romanus inter vasa sacra gemelliones argenteos numerat. quos ornamenta quædam gemmata esse putat Bulegerus *lib. de donariis Pontificum cap. 50.* Rectius autem Vossius *lib. de vitiis sermonis* gemelliones esse ait vasa & urceolos ejusdem generis & formæ similis, ut ferè solent gemini fratres. Non dissimili notione gemellarium lego apud Augustinum *in psal. 80.* & est genus vasis sic dictum quod geminam mensuram contineret. Urceolis sive amulis aut scyphis jungebant antiqui *Colatorium*, quod est vasculum concavum subtilissimis foraminibus in imo fundo perforatum, per quod vinum & aqua ex amulis sive urceolis in calicem refundebantur, ne quid impuri in ipsum efflueret. Illud Ordo Romanus aliquando colatorium, nonnumquam *colum* & *colam* foeminino genere nuncupavit. Ejus meminit Anastasius in Sergio II. & Benedicto III. *Chronicon Moguntinum* sæpius citatum, *Erant, inquit, Cole argenteæ novem, per quas vinum poterat colari.* In Museo Barberino extat parvum colatorium instar cochlearis cum oblongo manubrio. Aliud item argen-



argenteum instar scutellæ, cujus minutissima foramina pulcherrimum opus reticulatum efformant. Mansit Colatorii memoria in antiquis quorundam Monasteriorum Ritualibus, an verò usus adhuc perseveret, incertum mihi est. Lavandis manibus, quoties in ipsa actione Missæ opus est, Ordo Romanus Aquamanile, Aquimanile, & vas manuale assignat, quod etiam barbaro vocabulo Aquamanus dicitur, tum ibi, tum apud Anastasium. Reperitur quoque Aquimanile in Pandectis *de suppellectili legata lib. 3.* sic dictum, ut notat illic Gotofredus, quod ex eo aqua manet in pelvim, vel quod aquam poscere soleant antiqui his verbis. *Aquam manibus*, ut apud Plautum in Truculento, & in Persa. At quoque Concilium Carthaginense IV. subdiaconum in sua ordinatione suscipere de manu Archidiaconi scyphum aquæ cum Aquamanili & manutergio, quia nimirum ad ipsum spectabat aquam ad ministerium altaris præparare, ipsamque lavandis manibus Episcopo, Presbyteris & Diaconis præbere.

Reconsentur sacra Græcorum instrumenta latinis ignota. Ea sunt lancea, Asteriscus, Dicerion, Tricerion, Cochlear & Flabella. Astruitur Flabellorum usus in Ecclesia latina.

VI. **A**lia quædam sacri ministerii instrumenta habent Græci Latinis ignota, nempe *Lanceam*, sive gladiolum lanceæ figuram habentem, qua hostiam consecrandam ab integra panis massa secant. *Asteriscum*, qui duobus arcibus constat radiis ad instar stellæ fultis, quo hostias consecrandas cooperiunt, ne vela eas tangant, & ordinem particularum turbent. *Dicerion*, quod est cereus bifidus, & *Tricerion*, quod est cereus trifidus, quibus Episcopus celebrans sæpe populo benedicit, & utrumque frequenter manibus gestat. *Cochlear* ab ipsis *Labida* dictum, quo utuntur ad communionem fidelibus porrigendam. Hanc vocem Genebrardus & Hervetus in Liturgiis, quas ediderunt, forcipem interpretati sunt, sed male, ut in notis ad Liturgiam Chrysostomi p. 152. doctissimus Goar observat. Habent denique *Flabella*, quibus duo Diaconi ex utroque latere altaris muscas & alias immundas bestiolas prætervolantes abigunt, ne sacra contingant. Sacra *Ripidia* vocant Græci, *ripis* enim & *ripidion* flabellum est. Horum usus in Ecclesia Orientali antiquissimus est, & expressè habetur in

constitutionibus Apostolicis, *lib. 8. cap. 12.* atque in Liturgiis Basilii, Chrysostomi, aliisque Græcis & Syriacis. Manubrium habent lignæ fatis longum, cujus extremitati facies Cherubini sex alis circumdata affigitur, ejusque motu ventilant Diaconi sancta dona certis temporibus, quæ in ordine Liturgiæ notantur. Quod si desint flabella, solent linteola & vela manu apprehendere, & iis ventilare. Nec solum ad abigendas muscas inventa sunt, sed etiam propter quasdam mysticas rationes, quæ ad meum propositum non spectant, & legi possunt apud S. Germanum *in sua Theoria*, & apud Jobium Monachum relatum à Photio in sua bibliotheca c. 222. *lib. 6. cap. 25.* in Ordine Romano & in multis Latinorum ritualibus libris nulla fit mentio flabellorum, ex quo silentio colligunt quidam caruisse Latinos his instrumentis. Sed eorum usum aliquando viguisse tam in Romana, quam in aliis occidentalibus Ecclesiis, fide dignissimis testibus demonstrabo. Joannes Moschus *cap. 150. Præti spiritualis* narrat Episcopum quemdam Italum coram Agapito summo Pontifice Romæ celebrantem, cum sanctæ oblationis orationem non concluderet, eo quod juxta consuetudinem S. Spiritus descensum non videret, rogasse Pontificem, ut juberet ab altari recedere Diaconum, qui flabellum tenebat, quo amoto vidit continuo Episcopus Spiritus Sancti adventum, Hildebertus Turonensis *epist. 8.* cum mississet amico flabellum, de usu ipsius tropologicè dixerit, tum ostendit ad usum sacrificii destinatum illud fuisse dicens: „Dum igitur destinato tibi „flabello descendentes super sacrificia muscas „abegeris; à sacrificantis mente supervenientium „incurfus tentationum catholicæ fidei ventila- „bro exturbari oportebit. Ita fiet, ut quod „susceptum est ad usum, mysticum tibi præ- „beat intellectum. In antiquis Cluniacensium consuetudinibus editis *tom. 4. Spicilegii lib. 2. cap. 30.* usus flabelli his verbis commemoratur. „Unus ministrorum, qui semper duo debent esse, „stans cum flabello propè Sacerdotem, ex quo „muscæ infestatio exurgere incipit, donec finiatur, eas arcere à sacrificio & ab altari, seu ab ipso sacerdote non negligit. Ceremoniale denique Pontificium tempore Nicolai V. quod M. S. extat in bibliotheca Barberina *cod. 2365. cap. de his quæ servanda sunt circa ministerium*, quando Episcopus Cardinalis Missæ solemniter celebrat, propè finem Capituli ait, *Deserant quoque a servo tempore flabella ad ejiciendas muscas à ministerio.* Eadem quoque flabella sæpius con-



commemoratur in descriptione Missæ, quam Papa solemniter cantat. Hodie in Ecclesia Romana, cum summus Pontifex solemniter celebraturus procedit, duo stabella ex pennis pavonum compacta hinc inde portantur, sed nulluseorum intra Missam usus est;

*De Candelabris, aliisque vasibus ad usum luminum. Eam Ecclesia antiquissima esse. Solvitur obiectio ex Lactantio, & ex concilio Illiberitano.*

VII. **C**ommunia omnibus Ecclesiis sunt candelabra, lumina, crux, thuribulum, & libri, de quibus distinctè agendum est. Candelabra, aliaque vasa affabre facta ex auro, argento, aliove metallo, quibus fixæ candelæ, vel elychnia oleo fota accendebantur ad præbendum lumen, ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse in Ecclesia, inde ostendit Baronius anno 58. quia hic usus jam ante vivebat apud Hebræos, quibus in templo & lucernæ succensæ erant, & aureum candelabrum pretiosissimum, Exodi 25. egregiè descriptum. Quàm verò sumptuosa hæc essent, satis expressum habemus apud Anastasium, & alios, qui summorum Pontificum & Principum donaria recensentes, frequenter enumerant pharos coronatos, lampades cum delphinis, canthara cereostata, & lucernas aureas atque argenteas, multique ponderis, in quibus non solum cera & oleum commune, sed aliquando oleum pretiosissimum & opobalsamum incendebatur. His autem vasibus dives erat Ecclesia etiam sub ethnicis Imperatoribus, qui ipsam devastabant: In actis enim Proconsularibus traditæ leguntur in Africa ministris Diocletiani lucernæ argenteæ septem, æneæ undecim cum catenis suis, cereostata duo, candelæ breves æneæ cum lucernis suis septem. Et Prudentius in hymno S. Laurentii in persona Tyranni cecinit;

*Argentis scyphis ferunt  
Eumare sacrum sanguinem,  
Auroque nocturnis sacris  
Adflare fixos cerces.*

Est & canon 3. Apostolorum, ne liceat aliquid aliud ad altare offerre præter oleum ad luminaria, & incensum tempore sanctæ oblationis. Athanasius in epist. ad orthodoxos de Arianorum persecutione, ethnicos ab illis in Ecclesiam introductos conqueritur, qui candelabra deposuerunt, & cereos idolis incenderunt. Eundem luminum usum indicat Paulinus Nat. 3. S. Felicis;

*Clara coronantur densis altaribus lychnis,  
Lumina ceratis adolentur odora papyrus.  
Nocte dieque micant, sed vox splendore diei  
Fulget: & ipsa dies celesti illustris honore  
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.*

Ex quibus apparet, non solum noctu, sed etiam interdiu succensâ lumina, quem morem culpabat Vigilantius dicens, „prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi. At Vigilantio nervosè, ut solet, Hieronymus respondit, Ostendens eum morem universalem esse in oriente, & occidente, non ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Aliam addit rationem Isidorus lib. 7. originum cap. 12. ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Præclare item Micrologus cap. 11. „Juxta „Romanum Ordinem nunquam Missam absque „lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in „typum illius luminis, cujus sacramenta ibi conheimus, sine quo & in meridie palpamus, „sicut in nocte. Hunc usum improbare videtur Lactantius Firmianus lib. 6. div. instit. cap. 2. sic scribens; „Num igitur mentis suæ compos „putandus est, qui auctori & datori luminis „candelas ac cereorum lumen offert pro munere? At si bene perpendatur, solos ethnicos, quos impugnat, reprehendit, quia lumina Deo accendebant tanquam in tenebris degenti, & luce indigenti. Difficilior obiectio sese offert ex c. 34. concilii Illiberitani, *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi, inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt.* Qui sanè canon crucem fixit interpretibus, tum ob prohibitionem, quæ omnium Ecclesiarum consuetudini adversari videtur; tum ob ejus rationem, quia non satis constat, quomodo possint Sanctorum spiritus luminibus inquietari. Variæ Doctorum explicationes extant in commentariis ad ipsum concilium novissimè editis Lugduni, quæ ibidem legi possunt pag. 321. & sequentibus. Sed ut verum fatear, nulla eorum nodum solvere mihi videtur, nec meum est tantas componere lites. Forsitan in illa Provincia ex luminum in cœmeteriis accensione aliqua superstitio irrepsit, quæ citato canoni occasionem dedit, ex cujus ignorantia obscuritas & difficultas in ejus intelligentiâ orta est. Plura de usu luminum in Ecclesia congerit Baronius loco citato.



*Cur sine cruce celebrari Missa non debeat. De hujus ritus antiquitate.*

VIII. **I**Nter candelabra Crux in altari collocari solet, quem ritum antiquissimum esse ostendunt plerique ex canone 3. concilii secundi Turonensis habiti anno 570. *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* De cujus legitimo sensu certant viri eruditi, & adhuc sub iudice lis est. Alii verò multo antiquiorem meritò existimant, utpote qui ab Apostolica traditione proflexerit. Ab aspectu siquidem crucis sacerdoti celebranti passio Christi in memoriam revocatur, cujus passionis viva imago & realis repræsentatio hoc sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruentè exprimens, tanquam idem sacrificium, quod in cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur. Ideò sancti Patres, ut seraphicus Bonaventura testatur *lib. de mysteriis Missæ*, statuerunt ne quisquam Missas agat, nisi in altari adsit imago crucifixi. Ideò etiam Christi cultores maxima semper veneratione signum crucis profecti sunt, adeò ut ad omnem aditum atque exitum, ad vetitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia frontem tererent crucis signaculo, ut loquitur Tertullianus *cap. 3. de corona militis*. Basilius *lib. de spiritu sancto cap. 27.* inter dogmata, quæ sine scripto recepimus ex Apostolica traditione, hoc primo loco commemorat, ut signo crucis signentur, qui spem in Christo collocarunt. Augustinus tract. 118. in Joannem, „ Quid est, inquit, signum „ Christi, nisi Crux Christi? quid signum nisi ad „ hibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi „ aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chris- „ mate unguuntur, sive sacrificio quo aluntur; nihil „ horum ritè perficitur. Nec solum crucis signa- „ culo in omni actu se munire consueverunt fide- „ les, sed & materialem ipsius crucis figuram vene- „ rari, de qua re antiquos canones Antonius Augustinus collegit *lib. 16. juris Pontificii tit. 14.* Crucis aureæ in altari meminit Beda *lib. 2. hist. cap. 20.* Et Jonas Aurelianen. adv. Claudium Taurinen. in præfat. lib. 2. „ Multa, inquit, sunt, „ quæ mos sanctæ Ecclesiæ, sicut à majoribus „ tradita sunt & derelicta, quadam insita atque „ nativa celebratione frequentat. Neque enim „ nostro tempore usus irrepit, figuram crucis in „ basilicis Sanctorum statui, sed mos antiquæ ob- „ servationis legitimus id instituit.

*De Thuribulis, & usu Incensi. Antiquissimum cum esse apud omnes nationes.*

IX. **T**huribulum sive Thymiamaterium, quod etiam suffitorium dicitur ab Anastasio, vas est in quo thura & varii odores incenduntur in solemnibus oblatione, idque ex Apostolica traditione, & Mosaicæ legis exemplo. Nulla est Ecclesiastica ceremonia, cujus crebrior mentio fiat in antiquis & recentioribus omnium gentium Liturgiis, quàm thuris & thymiamatis, quod sæpè inter sacrificandum adoleatur. Solemne hoc fuit omni quantumvis barbaræ & veræ religionis experti, ut nullum sacrificium ritè peragi crediderint sine incenso vel aliquo saltem odorifero suffimento. Magi thure Christum Deum venerati & professi sunt: Simili modo Poætæ à divinitatis protestatione thuris oblationem inseparabilem esse putabant, *Templa tibi statuum*, ait Ovidius, *reddam tibi thuris honorem.* Qua persuasione Christiani idolis sacrificasse censebantur, qui summis digitis aliquot thuris grana in ignem iniecerint, quos *thurificatos* vocabant, ut ab aliis lapsis discernentur, qui libellatici, sacrificati, & idololatræ vocabantur, sicut ex Cypriano docet Baronius *to. 2. ann. 253.* Notum est dictum Tertulliani in Apolog. cap. 9. *examinatorem Christianorum adhiberi ut foculum ut acerram oportebat.* Est autem acerra vas, in quo thus reponi solet. Oblata thymiamateria duo à Constantino Magno ex auro purissimo pensantia libras XXX. itemque aliud aureum cum gemmis pensans libras XV. refert liber Pontificalis in Sylvestro. Idem in Sergio ait: „ Hic fecit thymiamate- „ rium aureum majus cum columnis & cooper- „ culo, quod suspendit ante imagines tres aureas „ B. Petri Apostoli, in quo incensum & odor „ suavitatis festis diebus, dum Missarum solemnibus celebrantur, omnipotenti Deo opulentiùs mit- „ titur. Usus verò adolendi altaria intra solemnibus divini officii vetustissimum esse, indicat Ambrosius ad cap. 1. Lucæ dicens, *atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus.* Eundem ritum explicat expositor Ordinis Romani apud Cassandrum in Liturgiis, *post Credo*, inquit, *thuribula per altaria portantur, & postea ad naves hominum feruntur, & per manus sumus ad os trahitur.* Est & can. 3. Apostolorum supra citatus, quo sancitur, ne quid ad altare offeratur præter oleum pro luminariibus, & incensum tempore oblationis. In libro veterum consue-



consuetudinum monasterii Floriacensis diebus solemnioribus praescribitur, ut ante matutinum & vespertas sacrista thurificet omnia altaria. Idem olim monachi ante privatas orationes observare solebant, praesertim Graeci, ut ex vitis eorum constat. Quod verò ministris altaris, ac postea circumstantibus etiam laicis, thuris suffitus praebere solet; non ad dignitatis praerogativam, ut per abusum irrepserit, sed ad religionem pertinet, ut nimirum excitet ad orationem, & effectum divinae gratiae repraesentet. Unde Apoc. 8. incensa sunt orationes Sanctorum, & in Psalmo canimus, *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Sacerdos item in Ordine Romano benedicens Incensum orat, ut omnes insidiae & phantasmata daemonum, omnesque languores vi odoris ipsius effugentur. Thuris denique usui à tempore Apostolorum in Ecclesia recepto non obstat Tertullianus, qui in apologetico *cap. 30.* ait nos puram precem offerre Deo, *non grana thuris unius assis, non arabicae arboris lacrymas*: Non Arnobius, qui *lib. 7. adv. gentes* late ostendit, thuris usum rem novellam esse, temporibus heroicis, Numaeque Pompilio, ac matri superstitionis Etruriae ignoram: non Athenagoras, cujus haec sunt verba in legatione pro christianis; „opifex ille & pater universorum non sanguine „eget, non nidore, non floribus & suffimentis „fragrantibus, cum ipse sit odor longè suavissimus, cum nulla re indigeat, nihil extra se desideret. Isti, inquam, non obstant, quia de usu thuris in sacrificiis gentium, deque illorum multiplici superstitione loquuntur: nos autem neque thure sacrificamus Deo, neque ipsi suffitum tanquam indigenti offerimus, nec solum credimus sine interno cultu ad religionem sufficere, & ut loquitur Tertullianus *lib. de corona cap. 10.* thus quidem incendimus, *sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola*. Est, quod nova res fuerit suffimigatio in sacris ethnicorum scribente Arnobio, at non fuit nova in sacrificiis veri Dei, ut ex veteri testamento liquet, ex quo in novum profluxit.

*De libris Liturgicis, eorumque veneratione & ornamentis. Quid fuerit Cantatorium.*

X. **D**E libris Liturgicis & ritualibus superfluum videtur scribere, cum sine illis sacrum nequeat celebrari. Fuisse autem ab initio Ecclesiae certas Liturgiarum formulas ab Apostolis & apostolicis viris compositas, ostendi-

mus supra *c. 8.* Refert Gennadius *lib. de script. Eccles.* Voconium Castellanum Mauritaniae oppidi Episcopum, & Musæum Presbyterum Massiliensem, sacramentorum, officiorumque egregia volumina scripsisse, quae si extarent, multa nobis de antiquis ritibus perspecta forent. Digessit quoque Missarum ordinem Gelasius Papa, & post eum Gregorius Magnus: quorum Missalia separatim extabant anno Domini 731. in Abbatia Centulensi, sive S. Richerii. Sic enim recensentur in chronico ejus Monasterii *lib. 3. cap. 3. tomo 4. Spicilegii*, in indice Bibliothecae, *de libris sacrarum, qui ministerio altaris deserviunt, Missales Gregoriani tres; Missalis Gregorianus & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus: Missales Gelasiani XIX.* Librum sacramentorum S. Gregorii edidit Pamelius *10. 2. Liturgicorum*, qui deinde correctior prodiit, notisque eruditissimis illustratus ab Hugone Menardo Monacho Benedictino Congregat. S. Mauri. Porro Missali magna olim adhibita reverentia, & in Capitulari Caroli M. ex Concilio Aquisgranensi decernitur, ut, si opus sit Missale scribere, perfectae aetatis homines scribant cum omni diligentia. Nulli autem sacrorum codicum divino sacrificio inservientium major veneratio exhibita, quam libro Evangeliorum: Nam Evangelium typum gerit Christi in eo loquentis, & ideo in octava Synodo *cap. 3.* decretum est, librum Evangeliorum & sacram Imaginem Domini nostri Jesu Christi æquo honore adorari: & in conciliis idem codex Evangeliorum in sublimi throno editiori loco poni consuevit. Eum theca pretiosissima aurea vel eburnea, gemmisque distincta cum imagine Christi crucifixi includere, aureisque literis scribere mos priscus fuit, quem indicant Gregorius Magnus *lib. 12. epist. 7. ad Theodelindam*, & Gregorius Turonensis *lib. de gloria confess. cap. 63. & lib. 3. histor. Franc. cap. 10.* Consonat Aimonius *lib. 2. de gestis Francorum* narrans à Childeberto Rege avectas ab Hispaniis, inter Ecclesiastici ministerii utensilia, capsas XX. Evangeliorum solido auro fabricatas & gemmis ornatas. Libri quoque Evangeliorum gemmis forinsecus, & auro exornati mentionem facit Simeon Monachus *lib. 2. de Dunelmensi Ecclesia cap. 12.* Leo Orlensis *lib. 3. chronici Casinensis cap. 20. & 74.* inter ornamenta illi Ecclesiae acquisita & relicta à Desiderio Abbate, qui postea Victor III. Romanus Pontifex fuit, enumerat libros Epistolarum & Evangeliorum, ac sacra-



mentororum cum tabulis aureis & argenteis. Flo-  
doardus item *lib. 3. cap. 5.* librum sacramentorum  
ebore, argentoque decoratum commemorat.  
Apud Goldastum *tom. 1. rerum Alemannicarum*  
extat liber de origine Monasterii S. Galli, in quo  
legimus Hartmotum Abbatem librum Evange-  
liorum auro, argento, lapidibusque pretiosis or-  
nasse. Ducas in historia Byzantina *cap. 2.* capta  
Constantinopoli Evangelia adhibitis ornamentis  
mirâ arte compacta, auro argentoque inde revul-  
sis partim venundata, partim projecta conqueri-  
tur. Alia multa passim occurrunt, sed hæc carptim  
relata sufficiunt, ut dignoscamus communem hæc  
librorum Liturgicorum venerationem fuisse. Ho-  
rum ornamentorum rationem reddit Rupertus  
Abbas *lib. 2.* „de div. offic. *cap. 23. dicens.* Co-  
„dices quoque Evangelici auro & argento, lapi-  
„dibusque pretiosis non immeritò decorantur, in  
„quibus rutilat aurum cœlestis sapientiæ, nitet  
„argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculo-  
„rum pretiosi lapides, quæ manus Christi torna-  
„tiles aureæ plenæ hyacinthis operatæ sunt. Re-  
colo me legisse in commentariis rerum Moscovi-  
ticarum, non audere Moscovitas Evangelium  
tangere, nisi prius laverint manus, seque signo  
Crucis munierint, & inclinato capite honorem  
ei exhibuerint: quorum tamen schismaticorum  
reverentiam par esset omnes Orthodoxos imitari.  
Morem, qui nunc viget collocandi super pulvi-  
nar librum Missalem, antiquum esse colligo ex  
Ordine Romano, in quo statuitur, ut perlecto  
Evangelio accipiat subdiaconus pulvinar & Evan-  
gelium à diacono, cumque præcedat. In eodem  
libro inter ea quæ portantur ante Pontificem eun-  
tem ad Stationem, nominatur *Cantatorium*, quod  
nihil aliud esse conjicio, quàm librum seu potius  
tabulam, in qua scriptum erat Responsorium ca-  
nendum post Epistolam; nam infra ait, *post-*  
*quam legerit subdiaconus Epistolam, ascendit can-*  
*tor cum cantatorio, & dicit Responsorium.* De ta-  
bulis, quas cantor in manu tenet, agit Amalarius  
*lib. 3. cap. 16.* sed cum omnia trahat ad sensum  
mysticum, nihil quod ad rem ipsam pertineat inde  
erui potest, nisi quod hujusmodi tabulæ ex osse  
fieri solebant. Forsan ad hoc cantatorium perti-  
nèt, quod Ostiensis *lib. cit. cap. 20.* de Abbate  
Desiderio refert, *Fecit & libellum ad cantandum*  
*ante altare sive in gradu, eumque tabulis eburneis*  
*mirifice sculptis, & argento annexuit.* Nam Re-  
sponsorium post Epistolam in gradu olim canta-  
bant, & hinc Gradualis nomen accepit.

*De palla linea, que Corporale dicitur. Olim  
longior, & latior erat. De sudariolo seu  
Purificatorio, quo tergitur calix. De  
velo, quo tegitur. Addita quedam de  
aliis velis.*

XI. **P**ost vasa & instrumenta proxima est supel-  
lex, & primò quidem palla linea sive sin-  
don, in qua corpus Christi consecratur, cui pro-  
pterea *Corporalis* nomen ab Ecclesiasticis scripto-  
ribus inditum fuit. Apostolos non in nudo al-  
tari, sed pannis seu linteis ornato sacrum celebra-  
se omnino credendum est, ob maximam reveren-  
tiam, qua sanctissimum Christi corpus venera-  
bantur. At verò Sylvester in libro Pontificali  
constituisse dicitur, ut sacrificium altaris non in  
serico, neque in panno tincto, sed tantum in li-  
neo ex terra procreato consecraretur; sicut cor-  
pus Domini in sindone linea & munda sepultum  
fuit. Græci etiam velo lineo quadrato utuntur  
instar nostri Corporalis, quod explicatur lecto  
Evangelio, & expleta synaxi complicatur. *Il-*  
*lud* vocant, de quo Chrysostomus in *Liturgia*,  
& ejus discipulus Isidorus *Pelusiota lib. 1. epist.*  
*123.* appositè ad Sylvestri constitutionem „Pu-  
„ra, inquit, illa sindon, quæ sub divinatorum do-  
„norum ministerio expansa est, Josephi Arima-  
„thenis est ministerium. Ut enim ille Domini  
„corpus sindone involutum sepulturæ mandavit,  
„per quod universum mortaliū genus resurre-  
„ctionem percepit: eodem modo nos proposi-  
„tionis panem in sindone sacrificantes, Christi  
„corpus sine dubitatione reperimus. Nomen  
Corporalis sæpe legitur in Ordine Romano, in  
quo etiam extant tres orationes ad illud benedi-  
cendum, quibus Antistes Deum precatur, ut  
ipsum linteamen cœlesti benedictione sanctificetur,  
ad consecrandum super illud corpus & san-  
guinem Domini nostri Jesu Christi. In eodem li-  
bro palla corporalis nuncupatur: *Ubi*, inquit,  
*palla corporales lotæ fuerint, nullum aliud linte-*  
*amen ibidem debet lavari.* Glaber Rodulfus *Mo-*  
*nachus lib. 5. hist. cap. 1.* applicatione Corporalis  
fugatos morbos, extincta incendia narrans, vocat  
illud *Chrisinale*; quod nomen illi etiam tribuitur  
à Beda in suo *Pœnitentiali*, nescio qua de causa.  
Olim multo longius & latius fuit, quàm hodie  
sit; nam totum altare eo tegebatur, & ideo palla  
ac linteamen vocabatur. Colligitur hoc manifestè  
ex ordine Romano, qui duorum Diaconorum  
operam exigit ad illud expandendum, & com-  
plicandum. Sic enim ait, „Tunc venit subdia-  
conus



„ conus ferens in brachio dextro patenam, & in  
 „ sinistro calicem, & super calicem corporale,  
 „ quod accipiens Diaconus ponit super altare à  
 „ dextris, projecto capite altero ad Diaconum  
 „ secundum ut expandatur. *Item clarius.* Diacono  
 „ nus accipiens Corporale ab Acolyto, alio se  
 „ adjuvante Diacono, super altare distendat,  
 „ quod utique linteum ex puro lino esse contex-  
 „ tum debet, quia sindone munda corpus Do-  
 „ mini legitur involutum in sepulchro: & tanta  
 „ quantitas esse debet, ut totam altaris superfi-  
 „ ciam capiat. *Et infra post communionem.* His  
 „ ita peractis duo Diaconi complicantes corpo-  
 „ rale ponant super calicem. Ideo autem totum  
 „ altare tegebat, ut tot in eo panes commodè pos-  
 „ sent collocari, quot necessarii erant pro multitu-  
 „ dine communicantium, qua cessante & ipsum stric-  
 „ tius factum est. Unicum quoque fuit olim corpo-  
 „ rale, nec, aderat parva illa palla, qua nunc cali-  
 „ cem operimus: cum enim palla corporis latior  
 „ esset, ea etiam utebantur ad tegendum calicem.  
 „ Liber antiquorum Usuum Cisterciensium c. 53.  
 „ ait: *Diaconus posito offertorio super altare, ponat  
 „ calicem super corporale in secundo plicatu anterioris  
 „ & sinistrae dextraeque parti & panem ante calicem,  
 „ revolvens super eum Corporale.* Vetus item Cere-  
 „ moniale Congregationis Bursfeldensis ordinis S.  
 „ Benedicti cap. 44. ait, *Diaconus explicet corporale  
 „ habens tres plicatus in latum, & quatuor in longum,  
 „ medianam latitudinis ponens in medio altaris.* Et in-  
 „ fra. *Plicatu extremae partis corporalis calicem ope-  
 „ riat.* Manet hodie hic ritus apud Carthulianos.  
 „ Ecclesia autem Romana ad tegendum calicem  
 „ parvam adhibet pallam, de qua loquitur Innocen-  
 „ tius lib. 2. de mysteriis Missae cap. 56. dicens: *Du-  
 „ plex est palla, quae dicitur corporale, una quam Dia-  
 „ conus super altare totam extendit, altera quam su-  
 „ per calicem plicatam imponit.* Hunc usum Roma-  
 „ norum sequutos fuisse aetate suo Italos omnes, &  
 „ Alemannos, Gallos verò uno tantum Corporali  
 „ usos testatur Radulfus Tungrensis lib. de canonum  
 „ observantia prop. ultima. B. Joannes de Parma  
 „ Ordinis Minorum septimus Minister Generalis,  
 „ ut ex annalibus Waddingi refert in ejus vita Hen-  
 „ schenius die 19. Martii, fratribus suis praecipit, ut  
 „ pallam divisam à corporali calici superponerent.  
 „ At hic usus jam alicubi vigeat tempore S. Ansel-  
 „ mi Cantuariensis, ut constat ex ejus opusculo de  
 „ sacramentorum diversitate ad Valerianum Episco-  
 „ pum, ipsi enim Anselmo scribens Valerianus ait,  
 „ *inter consecrandum nonnulli ab initio calicem ope-  
 „ runt, quidam corporali, alii panno complicato instar*

*sudarii, quod repertum legimus in monumento non  
 cum linteaminibus positum, sed separatim involu-  
 tum in uno loco.* Cui respondens Anselmus, neu-  
 tram consuetudinem reprehendit, tutius tamen &  
 decentius putat ut calix operiatur, ne quid im-  
 mundum in ipsum cadat. In Missa Ambrosiana  
 est oratio super sindonem, quam dicit sacerdos  
 ante offertorium, cum Diaconus in Missa so-  
 lemni Corporale expandit super altare. Thecam  
 pretiosam sive peram ad reponenda corporalia  
 memorat Conradus Episcopus in Chronico Mo-  
 guntino. De sudariolo seu Purificatorio, quo  
 nunc utimur ad tergendum calicem, nullam apud  
 antiquos scriptores mentionem factam invenio.  
 In Ordine item Romano nihil praescribitur de  
 tergendo calice peracta communionem. Ait enim,  
*Hoc officio juxta altare peracto, & pugillari cum  
 quo confirmetur populus per subdiaconum regiona-  
 rium jam accepto, traditur calix ab Archidiacono  
 eidem subdiacono perferendus Acolyto, ut repona-  
 tur in paratorio.* Et alibi ait: *Diacono nimis cautè  
 procurandum est, ne quid in calice aut patena san-  
 guinis vel Corporis Christi remaneat.* Quomodo  
 autem tam calix quam patena abstergerentur,  
 priusquam reponerentur in paratorio, non dicit.  
 Obscurum similiter est, quid per paratorium in-  
 telligatur, an arca sive armarium, quo universa  
 sacra supellex reconderetur, an capsula soli cali-  
 ci asservando destinata. Monachi olim ad ter-  
 gendum calicem linteolo utebantur in cornu epi-  
 stolae cujusque altaris appenso, ubi etiam erat par-  
 va piscina, in quam secundam calicis abluitionem  
 projiciebant, ut adhuc apparet in antiquis Eccle-  
 siis, praesertim Cisterciensium. Graeci spongia  
 uruntur, qua & calicem & discum detergunt, ut  
 docet Goar in notis ad Liturgiam Chryostomi.  
 177. Eam verò in sacrificio incruento usurpant,  
 quia sacrificii cruenti à Christo oblata pars fuit &  
 instrumentum. Usus veli, quo calix operitur, an-  
 tiquissimus est: nam. c. 72. Apostolorum sancitur,  
 ne quis velum sanctificatum in usus suos conver-  
 tat: & in Conc. Bracarensi III. tempore Adeodati  
 Papae c. 2. illi excommunicatione damnantur, qui  
 Ecclesiastica ornamenta & vela in usus suos trans-  
 ferre, vel aliis donare aut vendere praesumpserint.  
 Hormisda quoque Roman. Pontif. epist. 73. gratias  
 agit Epiphano Constantinopolitano ob calices &  
 vela ab eo sibi directa. Graeci tribus velis sacra  
 tegunt: uno discum, altero calicem, tertio eoque  
 majori utrumque simul. Hunc verò Aevem vo-  
 cant, quia per modum aëris circa terram expansi  
 sacra dona ambit, cujus nomen & formam ab  
 Ecclesia



Ecclesia Hierosolymitana in reliquis orientales derivasse Typicon Sabæ testatur apud Goar in Liturgiam Chrysofomi num. 51. Notandum est autem, veli nomine sæpè aulaa seu peristromata intelligi, quibus Ecclesiæ parietes ornantur: itemque siparium sive cortina, quæ ante portas sanctuarii à Græcis appendi solet. Et ad hoc velum referendas puto orationes veli, seu velaminis, quæ in Liturgia Jacobi Apostoli, & in Basilii Magni Anaphora leguntur, non autem ad velum calicis, ut quidam existimavit. Erat olim apud Latinos aliud velum sive cortina, quæ inter chorum & Presbyterium, ubi chorus in medio Ecclesiæ ante altare & Presbyterium situs est, quadragesimali tempore expandi solebat, de qua usus antiqui Cisterciensis cap. 15. & vetus ceremoniale Benedictinum c. 31. Ejus usum adhuc vigere in quibusdam Ecclesiis Gallicanis à viris doctis & fide dignis intellexi.

*Olim Acolythos sindonem & sacculos ad Missam portasse, & cur. De alia sindone pro recipiendis oblationibus. De velo offertorii.*

XII. **I**N Ordine Romano præcipitur Acolythis, ut sindonem in collo ligatam habeant: & ne absque sindone & sacculis procedant. Et sindone quidem utebantur, ne nudis manibus sacra vasa contingerent: in sacculis verò oblationes reponbant. Describens enim Ordo Romanus ritum Missæ post datam pacem ante communionem ait, „& accedentes subdiaconi „sequentes cum Acolythis, qui sacculos ad hæc „idoneos portant à dextris & à sinistris altaris: „ipsi ergo subdiaconi extendentibus Acolythis „brachia cum sacculis sequentes à fronte, parant „sinus sacculorum Archidiacono ad ponendum „oblationes prius à dextris, deinde à sinistris. An verò istæ oblationes essent consecratæ, libenter à peritioribus discerem. Et sanè primo intuitu suspicatus sum, ne fortè essent eulogiæ post Missam distribuendæ, vel pauperibus mittendæ: sed verba quæ immediatè sequuntur, non conveniunt eulogiis, & satis apertè indicant, quod fuerint consecratæ. „Tum vadunt, inquit, acolythi dextra „lævâque post Episcopos sive Presbyteros cir- „cum altare, ut ipsi sacerdotes incipiant hostias „confringere, patena præcedente, quam duo „subdiaconi regionarii deferunt ad diaconos „causa confractionis, ut ipsi quoque frangant,

„quando Pontifex annuerit eis. *Et paulò post.* „Expleta confractione diaconus minor levata de „subdiacono patena defert eam ad Pontificem, „ut communicet corpore Dominico. Tum de- „scribit communionem cæterorum tam Ecclesia- „sticorum, quàm laicorum. Accedit, quod istæ „oblationes ab altari sumebantur mittendæ in sac- „culos; in altari verò illæ dumtaxat oblationes re- „manebant post offertorium, quæ consecrari de- „bebant. Cujus verò formæ, vel ex qua materia „essent isti sacculi, silet Ordo Romanus, morem „enim describit tunc usitatum & omnibus notum; „nec alibi occurrit mihi apud priscos scriptores vel „minimum horum sacculorum vestigium. Vide- „rint & judicent qui in evolvendis antiquorum „monumentis magis versati sunt. Mihi libuit inter „sacram Missæ supellectilem hos quoque sacculos „ex ordine Romano recensere. Erat & sindon ad „populi oblationes recipiendas. *Oblationes, ait idem „Romanus ordo, à Pontifice suscipit subdiaconus & „ponit in sindone.* Et alio loco clariùs. *Oblationes „à Pontifice suscipit subdiaconus regionarius & por- „rigit subdiacono sequenti, & subdiaconus sequens „ponit in sindone, quam tenent duo Acolythi. Reliquas „oblationes post Pontificem suscipit Episcopus hebdo- „madarius, & ipse manu sua mittit eas in sindonem, „quæ cum sequitur.* Adhuc viget aliquo modo hic „ritus in Ecclesia Metropolitana Mediolanensi, „nam in Missa solemnè celebrans medius inter dia- „conum & subdiaconum descendit ad ingressum „Presbyterii, ubi extensa sindone ante gremium, „quæ per subdiaconum & diaconum hinc inde te- „netur, recipit oblationes panis & vini à duobus „senibus peculiari habitu vestitis: tum descendens „ad ingressum chori inferioris eadem oblationes „accipit à duabus mulieribus provectæ ætatis spe- „ciali item veste indutis. Erat & velum oblon- „gum, quod ab ordine Romano offertorium nuncupatur, „cujus etiam hodie & vocabulum & usus „permanet. *Levat, inquit, calicem Archidiaconus „de manu subdiaconi, & ponit eum super altare „juxta oblationes Pontificis à dextris, involutis „ansis cum offertorio suo. Item. Cum dixerit Pon- „tifex: Per ipsum, cum ipso, levat Archidiaconus „cum offertorio calicem per ansas.* Usus Ordinis „Cisterciensis cap. 53. *Diaconus operis manibus „de offertorio tenens sinistra manu pedem calicis, „dextra autem patenam, offerat sacerdoti.* Nunc „communiter velum offertorii dicitur, & pendet è „collo diaconi cum offertorio sacerdoti: eo- „que utitur subdiaconus cum tenet patenam, quam „porrigit diacono circa finem Dominicæ ora- „tionis.



tionis. Hoc ipsum velum Fanonem vocat Ordo Romanus his verbis. *Postquam viderint calicem, in quo sanguis Domini est, fanone circumdatum, & audierint, sed libera nos à malo, vadunt & præparant calices.*

*Describuntur Altaris & Ecclesiæ ornamenta.*

XIII. **S**pectant etiam ad sacram supellestem pro Missæ celebratione necessariam tegumenta altaris, lintea scilicet, quæ velamina, pallæ, operimenta, mappæ, & mantilia dicuntur: spectant & amicula anteriora, quæ pallia & Frontalia à recentioribus, ab antiquis vestes nuncupantur. Denique ad idem pertinent vasa aurea & argentea, flores, thecæ pretiosæ cum reliquiis Sanctorum, & alia ejusdem generis, quæ licet necessaria non sint, solent tamen ad ornatum altaris adhiberi. Extat in ordine Romano, & in antiquo ordine dedicationis Ecclesiæ apud Menardum benedictio linteaminum. Ivo Carnotensis 2. P. decreti. cap. 132. ex Concilio quodam Rhemensi ait: „Observandum est, ut mensa Christi, id est altare, ubi corpus Dominicum, consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conspectu Dei à sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur: & mundissimis linteis & palliis diligentissimè cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum reliquiis, & quatuor Evangelia. Opratus Milevitanus lib. 6. tanquam morem ubique receptum commemorat, quod altaria linteis operirentur. Ait enim; *quis fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna, altaria scilicet quæ in Africa lignea erant, linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.* Victor Episcopus lib. 1. de persecut. Africana. Proculum quendam ab impio Geiserico in provinciam Zeugitanam adversus Catholicos missum scribit, qui rapaci manu cuncta devastans de pallis altaris camisas sibi & femoralia fecit. Theodoret. l. 1. hist. Eccl. c. 29. loquens de Encæniis sive consecratione templorum, quæ à Constantino Magno Hierosolymis ædificata fuerunt, divinum altare aulæis regalibus, vasisque aureis omni genere gemmarum colloquentibus ornatum fuisse refert. Justinianus epist. ad Hormisdam Romanum Pontificem se duo pallia serica eidem direxisse ait ad ornamentum altaris sanctorum Apostolorum. Adrianum fe-

cisse vestes duas super altare testatur Anastasius, majorem unam ex auro purissimo atque gemmis, in qua expressa Dei genitricis in cœlum Assumptio: aliam de stauracio ornatam in ambitu blattis. Leo III. apud eundem fecit vestem super altare tyriam, habentem gryphas majores, & duas notas chrysoclavas cum cruce: aliasque pretiosissimas pro diversis Ecclesiis. Idem fecit ante Confessionem Principis Apostolorum Angelos ex argento purissimo dextra lævâque, pensantes libras CXLVI. Nec non & alios Angelos duos ex argento purissimo deauratos, stantes in trabe majori & pensantes simul libras LXIII. & alios Angelos quatuor minores ex argento purissimo deauratos, pensantes simul libras LXVIII. Paschalis fecit in altari sancti Petri vestem miræ magnitudinis, pulchram & decoratam nimis, ex auro gemmisque contextam, præfigurantem historiam, qualiter idem Apostolus à vinculis per Angelum ereptus est. Sergius II. fecit vela alba holoserica, ex quibus sacrum circumdatur altare. Narrat Procopius lib. 2. de bello Wandalico cap. 9. quod vasa templi Salomonis, quæ ab urbe Roma Giezericus Rex transtulerat in Africam, & Belisarius ex Africa victo Gilimere Constantino-polim detulerat, Justinianus Imperator Hierosolymam misit, Christianorumque Ecclesiis dono dedit, ut iis nimirum ad ornatum uterentur. Sunt & peristromata, quæ parietibus appendi solent, & ab antiquis vela nuncupantur, de quibus sæpè Anastasius in vitis Pontificum. Ait enim Gregorium III. vela serica alba fecisse ornata blatto circumquaque in Basilica pendentia. Zacharias item ex palliis sericis fecit vela pendentia inter columnas. Adrianus per universos arcus Basilicæ Principis Apostolorum fecit vela numero LXV. de palliis tyriis atque fundatis. Idem in Basilica S. Mariæ ad præsepe fecit vela num. XLII. & in Lateranensi per diversos arcus LVII. Leo III. plura in diversis Ecclesiis, & in Basilica S. Pauli pendentia in arcubus XLIII. Paschalis fecit in Ecclesia S. Petri vela de chrysoclavo per arcus Presbyterii habentia historiam de mirabilibus Apostolorum numero XLVI. Sergius II. obtulit cortinas Alexandrinas pretiosissimo opere contextas & alia vela holoserica & ex auro texta. Nicolaus fecit vela auro texta cum gemmis. De velis ante portas sic canit Paulinus. Nat. 6. *sancti Felicis.*



*Cedo, alii pretiosa serant donaria, meque officii sumptus superent, qui pulchra tegendis Vela serant foribus, seu puro splendida lino, siue coloratis teaturo, iucata figuris.*

Et supra Natali 3.

*Aurea nunc in veis ornantur limina velis.*

Crebra velorum ante portas majores templorum, quas regias vocabant, mentio fit apud eundem Anastasium, ut in Leone III. de Basilica S. Petri, fecit vela alba holoserica majora tria, quae pendent ante regias in introitu: De S. Maria ad Praesepe, fecit velum aliud majus album, quod pendit ante regias majores in introitu. Graeci autem ex veteri instituto portis sacrarii vela appendunt, quae in eorum Typicis & euchologis passim commemorantur. De Floribus positis in altari testimonium habemus S. Augustin. l. 22. de civit. Dei cap. 8. ubi enarrans inter miracula Protomartyris Stephani virum primarium Martialem multum à Christiana religione abhorrentem, conversum ad Christum oratione pro ipso à genere ejus fusa in B. Stephani Oratorio, & admotis floribus ex ejus altari desumptis; Visum, inquit, est genero ejus, ut irer ad memoriam sancti Stephani, & illic pro eo quantum posset oraret: deinde abscedens aliquid de altari florum quod occurrit tulit, eique cum jam nox esset, ad caput posuit: & se credere dixit. Hieronimus in epistaphio Nepociani: Erat sollicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes ceremonias pia sollicitudo disposita. Basilicas Ecclesiae & Martyrum conciliabula diversis floribus & arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit. Sanctus Severus, ut de eo refert Gregorius Turonensis lib. de gloria Confess. cap. 50. solitus erat flores liliorum tempore quo nascuntur colligere, ac per parietes hujus aedis appendere. Loquitur autem de Ecclesia, in qua sepultus fuit. Paulinus natali 3. S. Felicii:

*Ferte Deo pueri laudem, pia solvite vota;  
Spargite flore solani, prae exite limina fertis;  
Purpureum ver spiret hiems, sit florens annus  
Ante diem, san. Tocedat natura diei*

Sunt & alia hujusmodi multa apud veteres Patres, ex quibus deducitur, quanta fuerit illorum cura in adornandis templis & altaribus, non alia sanè de causa, nisi quia in ipsis peragitur sacrificium corporis & sanguinis Jesu Christi, Sanctorumque corpora in eisdem condita sunt.

De his qui altari inserviunt, ac primum de Diacono. Huius ordinis dignitas & origo.

XIV. ET haec quidem de apparatu, qui ad sacrificium extrinsecus adhibetur, dicta sufficiant: nunc de intrinseco agendum est, qui & Ministros sacerdoti inservientes complectitur, & cantores. Primus autem ministerii locus debetur Diacono, qui primo & praecipuo in sacrificii oblatione officio fungitur, caeterisque ampliolem dignitatem habet, quia propius ad altare accedit: ac propterea ab antiquis Patribus ministri nomen antonomastice sortitus est. Hinc Commodianus, qui tempore sancti Silvestri vivebat, in Instructionibus pro Ecclesiastica disciplina per primas versuum literas cap. 68. sic ad Diaconos loquitur:

*Mysterium Christi Diacones exerceite castè,  
Idcirco Ministri sacrite praecepta Magistri.  
Nolite ludere personam Judicis aequi,  
Integrate locum vestrum per omnia docti,  
Sursum intendentes, semper Deo summo devoti.  
Tuta Deo reddite sacra ministeria ara;  
Rebus in aduersis exemplum dare parati.  
Inclinate caput vestrum Pastoribus ipsi.  
Sic fiet ut Christo possitis esse probati.*

Præclare Isidorus de Diaconis scribens lib. 2. de off. eccl. c. 8. Sine ipsis, inquit, Sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti. Illi orare, huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Iphis etiam Sacerdotibus propter praesumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus sit à Diacono. Levitae inservunt oblationes in altaria, Levitae componunt mensam Domini, Levitae aperiunt arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quae operiuntur à Levitis, ne videant qui videre non debent, & sument qui servare non possunt. Eadem repetit & confirmat concilium Aquilgranense primum c. 7. & iis antiquior Epiphanius haeres. 75. tanti facit Diaconi ministerium, ut ne Episcopum quidem absque Diacono unquam fuisse, aut esse posse asseveret. Diaconorum originem multi Doctores S. Hieronymum sequuti epist. 85. ad Evagrium à Levitis antiquae legis repetunt, quibus idcirco tum Diaconorum, tum Levitarum nomen indiscriminatim tribuere solent: quia sicut Presbyteri nostri filiorum Aaron, ita Diaconi Levitarum vice



vice in Ecclesia funguntur, atque ideo in illis istorum typum agnoscimus. Sacri tamen & evangelici diaconatus primordia à libro Actuum Apostolorum cap. 6. sumenda sunt, quando Apostoli septem viros elegerunt, & orantes manus ipsis imposuerunt. Quo exemplo Patres Concilii Neocaesariensis can. 15. hanc legem ediderunt. *Diaconi septem esse debent ex canone, etsi magna sit civitas: Eius autem rei fidem facit liber Actuum Apostolorum.* Sed cum postea crevisset in multis civitatibus numerus Diaconorum, adeo ut Justinianus Imperator *Novella 3. cap. 1.* Regiae Urbis Diaconos centenario numero concluderet, ne hic numerus Apostolico exemplo adversari videretur, aucta est synodus in Trullo sine legitima auctoritate congregata praecitatum canonem Neocaesariensem lugillare, & insuper definire septem primos Diaconos non ab Apostolis sacramentali ordinatione initiatos, sed tanquam oeconomicos & dispensatores cibo & potui distribuendo destinatos, quam falsam opinionem fuisse prosequitur can. 16. Chrysostomi testimonio pro se perperam allegato. At Chrysostomi in c. 6. Actuum, ceterorumque Patrum sensus est, si bene perpendatur, duplex illis ministerium Apostolica ordinatione & manuum impositione collatum fuisse, sacrificio scilicet assistendi, & bona Apostolis oblata pauperibus distribuendi, illud autem primarium eorum munus, hoc secundarium fuit, & praeter illo vix attendendum. Qua de re scribens Ignatius Martyr epist. ad Trallianos ait: *Oportet autem & Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi secundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum & potuum sunt Ministri, sed Ecclesiae Dei.* Clarissimè etiam Cyprianus ep. 65. *Diaconos post ascensum Domini in caelos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiae ministros.* Quod si profano dumtaxat ministerio incubuissent, non tam exactum de illis examen fieri iussisset Apost. 1. ad Timoth. cap. 3. antequam ordinarentur. Ad idem astuendum plerique referunt hos Aratoris subdiaconi versus in historia Apostolica.

*Jura Ministerii sacris altaribus apti  
In septem statuere viros, quos undique lectos  
Levitas vocare placet: cum splendida caepit  
Ecclesia fulgere manus, qua pocula vitæ  
Miscens, & latices cum sanguine porrigat Agni.*

Nec omittenda hoc loco Oprati Milevitani sententia lib. 1. asserentis Episcopos in primo, Presbyteros in secundo, Diaconos in tertio sacerdotio constitutos, quâ loquendi formulâ manifestè ostendit, sacrum esse ipsorum officium, & pro

sacro primis Ecclesiae saeculis habitum. Imò quærundam in Gallia Ecclesiarum olim mos fuit, ut in Diaconorum ordinatione manus eorum chrismate ungerentur, ut docet Menardus in notis ad librum Sacramentorum sancti Gregorii p. 289 ex antiquo Pontificali, & ex Epistola Nicolai I. ad Rodulphum Archiepiscopum Bituricensem.

*De officiis & numeribus Diaconorum. Addita quaedam de Diaconissis.*

XV. **N**eminem latet, plura & diversa esse munera Diaconorum; sed quaedam ex illis abierunt in desuetudinem, quaedam adhuc perseverant. Differunt de his diffusissimè duo viri eruditissimi. Isaacius Habertus ad partem IX. Pontificali Græcorum, & Joa. Mor. l. de sacris ordinat. par. 3. Ego paucis ea perstringam. Primum & præcipuum est Episcopo vel Presbytero sacrum facienti assistere, & quodammodo cooperari, ipsumque in omnibus adjuvare praescriptis ritibus, qui in diversis Ecclesiis diversi sunt. Deinde Evangelium legere, de qua re fusius suo loco: panem & vinum offerre, non quidem consecrando, ut ex can. 2. Concilii Ancyranum malè intellecto deducunt sectarii, sed utrumque sacerdoti consecratur praesentando: munera enim, quæ olim Diaconus è manibus populi accipiebat, nunc ex Prothesi accipit, eaque offert Sacerdoti, Sacerdos Deo. Apud Græcos celebrantem sæpius admonet de iis quæ agenda sunt, unde in Liturgiis ea passim verba Diaconi ad sacerdotem occurrunt, *Benedic Domine, extolle, immola,* & his similia. Populum excitat ad attentionem elatâ voce dicens, *Attendamus.* Ministros inferiores officiis suis applicat, & illis signo, nutu, & aliquando sublato orario indicat quid & quando agere, seu psallere, aut legere debeant. Indignos à communionem submovet: Catechumenis, penitentibus, energumenis, & infidelibus fito tempore edicit, ut ab Ecclesia egrediantur. Postquam oblatio in altari posita est, stabellum tenet & ventilat, ut bestiolas praetervolantes abigat à sacris donis. Curabant olim Diaconi, ut quisque in Ecclesia suum locum teneret, portamque custodiebant, quæ viri ingrediebantur. Dominicum sanguinem, imò & corpus fidelibus distribuiebant, quod Cyprianus lib. de lapsis, Justinus Martyr circa finem 2. Apol. Constitutiones Apostolicas, & plures antiqui Patres clarè testantur. Hic autem mos ante concilium Nicænum adeo invaluerat, ut etiam presbyteris Eucharistiam porrigerent, quam



quam audaciam ipsa Synodus coërcuit *can. 18.* Insuper vetitum eis est *can. 15.* concilii II. Aurelianens. & 38. Carthaginensis IV. ne præsentem Presbytero corpus Domini Fidelibus traderent. In consecratione Chrismatis, ac in omnibus ecclesiasticis officiis Episcopo assistunt, eidemque assistunt prædicanti. Eorum etiam munus est prædicare, quod tamen primario Episcopis convenit: itemque baptizare, si Episcopo & Presbytero absentibus necessitas id postulet, ut sancitum fuit in concilio Illiberitano *c. 77.* In solemnibus vero baptismatis administratione ad ipsos spectat baptizandos instruere, & ad exorcismum, ac deinde ad immersionem detractis vestibus præparare. Secundario autem & extra mysteria eorundem erat distribuere, ut supra diximus, eleemosynas, pauperum mensis ministrare, curam gerere Martyrum & Confessorum, qui in carcere ob Christi fidem detinebantur, eisque necessaria suppeditare, eorum vota & ultimam voluntatem excipere, & ad Episcopum deferre: ecclesiastica negotia apud Imperatorem procurare, sacris virginibus præesse. Missos quoque Diaconos, ut Episcoporum absentium in conciliis vices gererent, ex ipsorum Actis constat, ejusque moris exempla affert Lupus in *notis ad can. 7. Trullanum.* Denique Cyprianus *epist. 13.* permittit Diaconis penitentes reconciliare in absentia Episcopi & Presbyteri, eosque absolvere, non quidem sacramentaliter, sed à penis satisfactoriis, sive ab excommunicatione. Verba Cypriani hæc sunt: „Occur-  
rendum puto fratribus nostris, ut qui libellos à  
Martyribus acceperunt & prærogativa eorum  
apud Deum adjuvari possunt, si incommodo  
aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint,  
non expectatâ presentia nostrâ apud Presbyterum  
quemcumque præsentem, vel si Presbyter  
reperitus non fuerit, & urgere exitus coëperit,  
apud Diaconum quoque exomologesin facere de-  
licti sui possint, ut manu eis in penitentiam im-  
posita veniant ad Dominum cum pace, quam  
dari Martyres literis ad nos factis desiderave-  
runt. Quia vero Episcopi præcipua quæque  
per Diaconos agebant, hinc illi insolescere, se  
Presbyteris præferre, ante illos sedere ausi sunt,  
quorum superbiam sæpius carpunt antiqui Pa-  
tres, & multoties Ecclesiasticis canonibus repressa  
est: sed hæc omitto, quia prolixius parerga  
sunt.

Erant & Diaconissæ, de quarum ordinatione & ministeriis in utraque Ecclesia græca & latina eruditè, ut solet, disserit Morinus *lib. de sacris*

*ordinat. p. 3. exercit. 10.* Multa etiam scitu digna de his congerit Goar in euchologio in notis ad earum ordinationem. Munus illarum præcipuum fuit, ea mulieribus officia præstare, quæ Diaconi viris. Ideo portas custodiebant, per quas illæ ingrediebantur, earumque confessus in Ecclesia ordinabant: principia fidei & ritus baptismi eis exponebant, ipsisque aderant, cum ad immersionem nudabantur. Jussa Episcopi ad eandem referebant, & si aliqua vellet Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum alloqui, eam propter honestatis testimonium comitabantur. Viduarum quoque, & pauperum, sacrarumque Virginum simul cum diaconis curam gerebant. Ante annos ferè sexcentos cessavit in Occidente earum ordinatio & ministerium: in Oriente vero jam defierat vivente Balsamone, ut ipse ait in *notis ad can. 15. concilii Chalcedon.* Multa de illis extant veterum canonum statuta, sed in his immorari non est hujus loci. Licet enim, ut ait Ephiphanius hæc. 79. *Diaconissarum ordo in Ecclesia sit,* non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur. Extat earum benedictio in Ordine Romano, & in antiquis Ritualibus.

*De Subdiaconis. Quando coëperit Subdiaconatus inter sacros ordines recenseri. Quæ sint officia Subdiaconi.*

XVI. **S**ecundus ministrantium locus Subdiaconorum est, quorum licet expressa mentio in sacris literis non reperitur, eorum tamen institutio vel ad Christum, ut recentiores Scholastici existimant, vel ad Apostolos referenda est. Fuisse Romæ septem Diaconos, totidemque Subdiaconos asserit Cornelius Papa in *epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum* apud Eusebium *lib. 6. hist. Eccl. cap. 43.* Eodem ævo Optatum quemdam in Africa Subdiaconum à se ordinatum scribit Cyprianus *epist. 24.* Eorundem mentionem faciunt Ignatius *epist. ad Antiochenos*, Constitutiones Apostolicæ *lib. 8.* & concilium Laodicenum. Ab initio & deinceps per aliquot sæcula Subdiaconatus inter minores ordines numerabatur, nec ei annexus erat cœlibatus. Quamvis enim concilium Illiberitanum *cap. 33.* Subdiaconis indixerit continentiam, certo constat hanc legem nec alibi, nec in ipsa Hispania tunc fuisse receptam, ut Morinus demonstrat.



monstrat. p. 3. *Sacr. ordin. exercit. 12. cap. 5.* Post sextum verò sæculum vix aliqua memoria Subdiaconorum reperitur, qui non fuerint continentiae voto adstricti. Et Romæ quidem jam ab his continentia servabatur tempore Pelagii II. qui sub Subdiaconis Siciliae præcepit, ut more Romanae Ecclesiae nullatenus suis uxoribus miscerentur, ut testatur Gregorius Magnus ejusdem immediatus successor *epist. 42. lib. 1. & 34. lib. 3.* A Romana autem ad alias Occidentis Ecclesias eadem institutio propagata est: qua occasione paulatim cœpit hic ordo à minoribus separari, & majoribus ac sacris accenseri. Nam cum prius extra sanctuarium & altare conferri solebat, invaluit postea quorundam Episcoporum consuetudo, eum intra Missarum solemnias conferentium, & ita sensim majoribus æquiparatus est. Multum nihilominus tempus intercessit, antequam certa & inviolabili lege inter sacros recensitus sit. Etenim Petrus Cantor, qui vivebat anno 1200. relatus à Menardo in lib. *Sacram. pag. 280.* ait: *De novo institutum est, subdiaconatum esse sacrum ordinem.* Subdiaconi officia ex Romano Pontificali hæc sunt. Aquam ad ministerium altaris præparare, Diacono ministrare, Pallas altaris & corporalia abluere, calicem & patenam in usum sacrificii diacono offerre, oblationes quæ veniunt ad altare suscipere, ut ex iis quantum satis est in altari ponatur. Eadem ferè referunt antiquissima Ritualia edita à Morino. Isidorus *epist. ad Ludolfredum Cordubensem Episcopum* ea sic recenset. *Ad Subdiaconum pertinet calicem & patenam ad altare Christi deservire, & levitis tradere, eisque ministrare: urceolum quoque & aquamanile & manutergium tenere Episcopo: Presbyteris & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere.* Ad Alcuinum ejusdem ministerium esse, ut deferat Diacono linteum, super quod consecrandum est corpus & sanguis Domini: & ut peracto sacrificio, quæ superfuerint à diacono colligenda vel deportanda suscipiat. Olim nec calicem, nec patenam, nec oblationes in altari ponebant, sed hæc omnia porrigebant diaconis, eisque serviebant intra Sanctuarium; sed ad altare minimè accedebant. De legenda ab illis epistola nihil legimus in antiqua eorum ordinatione, nec apud veteres scriptores: hoc enim munere Lectoresungebantur, ut suo loco ostendemus. Ex concilio IV. Carthaginensi constat licuisse eis vasa sacra contingere, sed vacua: nam cum corpus & sanguinem Christi continent, id il-

lis prohibitum fuit cap. 21. concilii Laodicensi, quo sancitur, non oportere ministrum (id est Subdiaconum qui diacono ministrat) locum habere in Diaconis & sacra vasa tangere. Sic enim hunc canonem, & quidem rectè, Balsamon interpretatur. Apud Græcos Subdiaconi extra Sanctuarium ordinationem suscipiunt, vasa sacra contingunt, sed non in Missarum solemnias. Ipsa autem vasa abstergunt, ornant, disponunt, ut sacrificio apta sint. Jubente diacono profanos ab Ecclesia expellunt, cum scilicet diaconus dicit, ut catechumeni discedant. Portas Sanctuarii custodiunt, ne quis indignus ingrediatur: & propè illas commorantur, ut sint parati ad jussa diaconi capeffenda; ad altare verò non accedunt. Tricarium & luminaria in sanctuario præparant, epistolam autem in Missa non legunt. Hæc sunt Græcorum Subdiaconorum munia ex Euchologio excerpta, ex quibus liquet eos à Latinis multum differre, nostrisque Acolythis magis quàm Subdiaconis similes esse.

*Minorum Ordinum antiquitas & origo. Afferuntur de singulis veterum Patrum testimonia. Apud Græcos soli Lectores ordinantur.*

XVII. **T**ertia classis ministrantium Clericos minorum Ordinum complectitur, Acolyths scilicet, Exorcistas, Lectores, & Ostiarios; quos antiquissimos esse, & ab Apostolis, vel ab immediatis eorum successoribus institutos Doctores scholastici afferunt, sed non probant. Suspiciatur Arcudius *lib. 6. de Sacram. cap. 9.* omnes minores ordines unica hypodiaconi voce à priscis Patribus comprehensos, eo quod diacono singuli subessent; sed hæc levissima suspicio est. Eorum distincta mentio nec in actis aut epistolis Apostolorum, nec apud Patres primi & secundi sæculi reperitur. Constitutiones Apostolicæ, ex quibus testimonia pro aliquibus ex his Ordinibus accipiunt, posterioris ævi sunt, ut alibi diximus. Nec suffragatur illis epistola Ignatii ad Antiochenos, quam licet admittamus ut legitimam, contra quam sentiant Critici eterodoxi, solidum tamen ex ea argumentum pro omnibus sumi non potest, quia nec singulos enumerat, & inter eos Laborantes recenset & Cantores, miscens simul ordines & officia eccle-



fiastica. Dicendum igitur cum S. Thoma *in supplemento. tertiae. P. qu. 37. art. 2.* quod temporibus Apostolorum omnia ministeria, quae ordinibus minoribus competunt, non à distinctis personis, sed ab uno dumtaxat ministro exercebantur, qui & Ostiarii & Lectoris & exorcistae & Acolythi officio fungebatur. Verba Angelici Doctoris haec sunt. „ In primitiva Ecclesia propter „ paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconibus committebantur, ut patet „ per Dionysium cap. 3. eccl. hierarchiae, ubi „ dicit, Ministrorum alii stant ad portas templi clausas, alii aliud proprii ordinis operantur; alii autem sacerdotibus proponunt super altare facrum panem & benedictionis calicem. „ Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed „ implicite, in una diaconi potestate. Sed postea „ ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod „ implicite habebat in uno ordine, explicite „ tradidit in diversis. Contigit nimirum Ecclesiae, quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno servo contenti sunt, qui solus omnia administrat. Si vero reditus augeantur, servorum etiam augetur numerus; eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores & spectabiliores evadunt. Sic Evangelicae praedicationis initio parvula adhuc & latitans Ecclesia paucis indiguit Ecclesiasticarum functionum ministris. Crescente autem credentium multitudine, & auctis facultatibus ex fidelium oblationibus, cum soli diaconi non possent omnibus incumbere, diversa onera & officia diversis personis distributa sunt; ex quo factum est, ut splendidiore & augustiori apparatu ecclesiasticarum functionum ceremoniae peragerentur. Graeci ex his ordinibus unum tantum agnoscunt, nempe Lectoratum, caeteros praetermittunt: quem morem in Ecclesia orientali vetustissimum esse euchologia ante annos octingentos scripta, antiqui quoque canones conciliorum, quae in illis regionibus celebrata sunt, & Graecorum Antistitum, quorum doctrinam & sanctitatem Christianus orbis ubique colit & veneratur, exempla ac monumenta evincunt. Agit de hac re saepe laudatus Morinus *par. 3. exerc. 14.* Quod si alicubi praeter Lectores alios etiam legimus; certum est eos nudum ministerium habuisse absque ulla ordinatione vel manuum impositione, sed sola designatione & arbitrio Episcoporum. In Ecclesia autem occidentali distinctam mentionem omnium ordinum minorum habemus in concilio Romano sub Sylvestro, nam *can. 7.* Acolythi, Exorcistae,

& Lectores; *can. 9.* Ostiarii nominantur. In concilio item Carthagenensi IV. sub Anastasio *can. 6.* & sequentibus materia & forma singulorum praescribitur. Non ignoro haec duo concilia à quibusdam Criticis supposititia censerentur, sed quicquid de illis sit, alia suppetunt certiora ab antiquioribus testimonia. Nam Cornelius Papa in epistola supra citata ad Fabium Antiochenum apud Eusebium asserit, suo tempore fuisse in Ecclesia Romana Acolythos duos & quadraginta, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos. Tertullianus Lectorum meminit *lib. de praescript. Sap. 41.* ubi perstringens haereticorum ordinationes tamquam temerarias & incondantes, *Hodie, inquit, diaconus, qui cras Lector.* A Cypriano quoque memorantur *epist. 24. 33. 34.* Acolythos vero idem nominat *epist. 42. 55. 78.* & Exorcistas *epist. 76.* Quod hodie etiam geritur, ait, ut per Exorcistas voce humana & potestate divina flagellerentur, & urantur, & torqueantur diabolis. Tertullianus item *lib. de spectaculis cap. 26.* exemplum refert mulieris, quae theatrum adiit, & inde cum daemone rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi; *Constanter, & iustissime quidem, inquit, feci: in meo eam inveni.* Et ejusdem aevi Minutius Felix Exorcistas quoque describit adjuvantes daemones per Deum vivum, per Deum verum. An vero isti de Exorcistis loquantur, tamquam de clericis ad hoc officium specialiter ordinatis; vel potius Presbyteri eo tunc munere fungerentur, sicut revera sancti sunt Episcopi, ut narrat Eusebius *lib. 5. hist. cap. 16.* agens de Montano & falsis ejus Prophetis, incertum est. Omitto alia Tertulliani loca, quae à quibusdam afferri solent ad hujus ordinis antiquitatem ostendendam, *ut de Idololatria cap. 11. de anima cap. 57. de corona milit. cap. 11.* in his enim de solempni exorcismo sermo est, qui Baptismo praemitti solet. Negat Auctor constitutum. Apostolicarum *lib. 8. cap. 26.* Exorcistam ordinari: *nam hoc minus, inquit, spontanea Dei erga homines benevolentia & gratia est, qui illud nimirum gratis dat cui vult.* Et quidem initio Ecclesiae communis erat haec gratia cunctis fidelibus, ut habetur Marci ult. *In nomine meo demonia ejicient.* Postea vero subtrahita hac potestate constituit Ecclesia ordinem, qui daemonia expelleret: & conc. Antiochenum *cap. 10.* facultatem tribuit Chorepiscopis ordinandi exorcistas. Illud autem hoc loco praetermittendum non est, quod narrat Severus in vita S. Martini,



tini. Nam cum dixisset Hilarium Pictaviensem Episcopum sæpe tentasse diaconi officium Martino imponere, & hunc semper restitisse, subdit: „Intellexit vir altioris ingeni hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit. Ex quo liquet tempore S. Hilarii, qui obiit anno, ut plerique existimant, 367. ordinem Exorcistarum ab aliis distinctum, & inter humiliores seu minores computatum existisse, adeo ut injuriæ tribui posset, quod vir aliquis eximius ad illum assumeretur. S. Felicem primo Lectorem, deinde Exorcistam ordinatum fuisse Paulinus in *ejus Natali 4.* testatur his versibus.

--- *Primis Lector servivit in annis,  
Inde gradum cepit, cui minus voce fidei  
Adjurare malos, & sacris pellere verbis.*

*Que sint officia singulorum Ordinum minorum. Discrimen inter Ministros Regionarios, Stationarios, Basilicarios, & Oblationarios. De Archypresbyteris & Archidiaconis.*

XVIII. **O**fficia singulorum Ordinum ex Romano Pontificali hæc sunt. Acolythi debent ceroferrarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare. Olim ex ordine Romano ferebant patenam, sindonem, sacculos, & chrisma ante Pontificem, quando procedebat ad Stationes: vasa sacra diaconis porrigebant, manutergium portabant, & aquam ad lavandas manus ministrabant. Exorcistam oportet abjicere demones, & dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; & aquam in ministerio fundere. Lectoris munus est scripturas in Ecclesia legere, unde & nomen accepit: & panem ac omnes fructus novos benedicere. Antiquitus epistolam & Evangelium legebant, ut suo loco patebit. Apud Græcos Lector, qui illis est Anagnostes, omnes scripturas legit præter Evangelium: cereos & lampades accendit: ignem affert, cum aqua calida calici infundi debet, de quo ritu infra agemus: luminaria fert ante mysteria in magno introitu, cum scilicet è prothesi ad altare deferuntur:

hymnos Cantoribus præcinit: panem, vinum, & aquam defert Sacerdoti, cum sacris operaturus est: Ecclesiam ornat & præparat quæ in ea sunt necessaria. Ostiarius percutit cymbalum & campanam: Ecclesiam & sacrarium aperit & claudit: & librum aperit ei qui prædicat. Ex his autem ministris quidam in Ordine Romano, & apud Anastasium in vitis Pontificum dicuntur Regionarii, qui per Regiones distributi Pontifici in illis ministrabant. Alii Stationarii, qui eidem aderant in Stationibus celebranti. Erant & Basilicarii seu Palatini, qui in Basilica Lateranensi per vices serviebant. Erant denique Oblationarii, ad quos spectabat oblationes suscipere, & deferre Archidiacono. Abiit nunc in desuetudinem hæc distinctio, quæ Diaconos, Subdiaconos, & Acolythos tantum comprehendebat. Desierunt quoque minorum ordinum officia, quæ plerumque a pueris, & ab hominibus mercede conductis, nullisque ordinibus initiatis exercentur. Præcis temporibus nemo clericus ordinabatur, qui alicui Ecclesiæ non esset addictus. Admissi autem pueri in consortium cleri primo literas, cantum, & ritus ecclesiasticos edoceri solebant, ut passim legimus in vitis Pontificum: tum Ostiarii, deinde Lectores ordinabantur, & sic per gradus ad reliquos ordines ascendebant, cum prius singulorum officia exercuissent. Atque hinc oriebatur, ut rerum Ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus fuerant ab ipsa penè infanzia enutriti. Collabi cœpit hæc disciplina ante annos circiter quingentos, donec paulatim ad illos mores deventum est, quibus nunc utimur & vivimus.

Episcopo solemniter celebranti plures ministri assistunt, qui cum Presbyteri vel diaconi sint, non est de illis specialis disquisitio instituenda. Eminent inter Presbyteros Archipresbyter, inter Diaconos Archidiaconus, de quorum officio & dignitate quicquid ex præcis Ecclesiæ usu dici potest, vir diligentissimus Jo. Morinus in unum collegit, & solerter discussit lib. de Sac. ord. P. 3. exerc. 16. Isaacius item Habertus de antiquo gradu & officio Archidiaconi eruditè disseruit ad P. 9. *Archieratici observat.* 6. His igitur prætermisissis reliquum est, ut de Cantoribus agamus, quorum officium versatur in quibusdam Liturgiæ partibus decantandis.



*Cantus Ecclesiastici origo. Quando cæperit  
Organorum usus. Olim plebs fidelis in  
Ecclesia canebat: tum instituti  
Cantores.*

XIX. **A** Primordiis Ecclesiæ psalmos & hymnos in conventu Fidelium decantatos fuisse Apostolus asserit ad Ephesios scribens cap. 5. loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus: quæ verba de mutuo & alterno cantu intelligenda esse Interpretes docent: nec sectarii audent negare hunc usum semper in Ecclesia viguisse. De hymnis & psalmis canendis, inquit August. epist. 119. c. 18. ipsius Domini & Apostolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta. Uberimè tractarunt hoc argumentum viri docti, quos cito in Tract. de Divina Psalmodia cap. 17. §. 2. n. 3. Sed & Plinius ethnicus scriptor de cantu primorum Christianorum testimonium perhibuit in epist. ad Trajanum, quæ eorum mores describens ait, solitos fuisse stato die ante lucem convenire, & carmen Christo quasi Deo dicere secum invicem, alterna videlicet modulatione. Quod autem Theodoretus lib. 4. hist. eccl. cap. 26. Ephrem Syro, & Augustinus lib. 9. confess. cap. 7. Ambrosio Mediolanensi ecclesiastici cantus originem tribuisse videntur, id explicat Theodoretus de hymnorum modulatione, & certa quadam harmonia, quam Ephrem ad Harmonii impias cantiones explodendas instituit: Ambrosius verò ad fidelium in Ecclesia excubantium consolationem hymnos & psalmos secundum morem orientalium partium cantari præcepit; quem morem à Mediolanensi Ecclesia ad alias penè omnes Occidentis migrasse asserit Augustinus: quod certè non absolute de cantu intelligi potest, quem semper usitatum fuisse constat, sed de modo canendi alternatim, quem Ambrosius introduxit, cæteri imitati sunt. Notabile est quod Synodus Antiochena ad S. Dionysium Papam apud Eusebium lib. 7. hist. c. 30. scripsit: nam inter scelera Pauli Samosatani refert; quod psalmos in honorem Domini Jesu Christi canis solitos, ex quo arguitur ecclesiastici cantus antiquitas, aboleverit, & mulieres magno Paschæ die psalmos quosdam in Ecclesia canere ad sui ipsius laudem instituerit. Postea labentibus annis musicæ vocali addita est organica sive instrumentalis tempore Vitaliani Papæ, ut plerique existimant, de cujus usu in Ecclesia disserui loco citato Divi-

næ Psalmodiæ num. 4. At in Galliis ignota fuisse organa ante Pipinum auctor est Sigebertus anno 766. referens à Constantino Imperatore ipsi dono missa; antea nunquam visa: idemque narrant Annales Metenses anno 757. Tempore Apostolorum & aliquot subsequentibus sæculis universus fidelium cætus Sacerdoti solemniter celebranti respondere, & simul cum clero psallere solebat, ut ex Liturgia S. Jacobi, & ex l. 8. Constitut. Apostolicarum manifestum est. Cyprianus l. de orat. Sacerdos, inquit, parat fratrum mentes dicendo Sursum corda, ut, dum respondet plebs Habemus ad Dominum, admonetur nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere. Justinus Martyr Apol. 2. idem asserit dicens, Præpositum preces fundere, & populum faustè acclamare Amen. Chrysostr. mus etiam hom. 36. in 1. ad Cor. Confirmat hunc morem dicens, conveniebant olim omnes & psallebant communiter. Hoc nunc quoque facimus. Et Hier. Præf. l. 2. comment. in ep. ad Gal. Romanæ plebis fidem laudat magno studio & frequentia ad Ecclesias & ad Martyrum sepulchra concurrentis, ubi, inquit, ad similitudinem cælestis tonitruum Amen reboat. Cæsarius denique Arlaten. ut Cyprianus in ejus vita commemorat, compulit laicos & populares homines psalmos & hymnos promere, altaque & modulata voce instar clericorum alios græcè, alios latinè profas & antiphonas decantare, ne illis spatium suppeteret ad fabulas in Ecclesia effutiendas. Quia tamen vix fieri poterat, quin ecclesiasticæ harmoniæ contentus populi canentis imperitiâ turbaretur, Patres concilii Laodiceni c. 15. statuerunt, non oportere præter canonicos cantores qui suggestum ascendunt, & ex diptera seu membrana cantant, quod nos dicimus ex libro, non autem memoriter, alium quemlibet in Ecclesia psallere. Verùm hic canon non fuit ubique receptus, ut ex allatis Cæsarii & Chrysostr. testiimoniis constat: idemque ipse Chrysostr. clarè ostendit hom. 1. de verbis Isaïæ vidi Dominum, in qua acriter reprehendens psallentis populi cacophoniam & immodestiam, non eos ut fileant monet, sed ut scitè & modestè concinant. In Gallia popularis cantus consuetudinem sublata existimo paucis annis post Cæsarium: Synodus enim II. Turonen. 4. sancivit, ut laici secus altare, quo sacra mysteria celebrantur, inter clericos tam ad vigiliâs quàm ad Missas stare penitus non præsumant; sed pars illa, quæ à cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum.

Schola



*Schola Cantorum Romæ & alibi instituta.  
Quale fuerit olim Ecclesiastici cantus  
studium. De Cantorum ordina-  
tione in Ecclesia orientali.*

XX. **C**Um in cantu ecclesiastico & clericali disciplinae vigor, & christiana religio- nis, sacrarumque functionum majestas maximè eluceat; summo semper studio Romani Pontifices, & aliarum Ecclesiarum Antistites curarunt, ut Clerici à teneris annis canendi regulas ediscerent, dato eis magistro, qui, ut scitè loquitur Tertullianus lib. de Pallio cap. ult. *primus esset in formator litorum & primus edomator vocis.* Idèd Romæ Schola Cantorum instituta fuit, cujus originem Petrus Episcopus Urbevetanus in scholiis ad vitam Leonis IV. sic describit. „ Quamvis „ circa tempora Sylvestri Papæ plures fuerint in „ Urbe Ecclesiæ, non tamen singulæ clericos vel „ Monachos habebant, qui in illis officia obirent. „ Presbyteri enim titulis, & Diaconis præfecti, „ suo quisque tantùm officio vacabant, illi Sacra- „ mentis administrandis, hi pauperibus procu- „ randis. Ideoque ordinata fuit schola Cantorum, „ quæ in Urbe communis erat, & stationes, pro- „ cessiones, ac festa principalia Ecclesiarum Urbis „ sequebatur: qua in schola pueri in cantu, le- „ ctione, & moribus sacris instituebantur, in com- „ muni vivebant, & Primicerium, cujus tunc ma- „ gna erat in Urbe dignitas, Præfectum habe- „ bant. Hinc ad reliquas civitates eadem insti- „ tutio propagata est: nam Leidradus Lugdunen- „ sis Archiepiscopus ad Carolum Magnum scri- „ bens ait, *Habeo scholas Cantorum, ex quibus plerique  
ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint.* Syn- „ odus Valentina sub Lathario c. 18. *Ut de scholis  
tam divinæ quàm humanæ literaturæ, nec non &  
ecclesiasticæ cantilenæ juxta exemplum Prædeces-  
sorum nostrorum aliquid inter nos tractetur, & si  
potest fieri, statuatur & ordinetur.* Crodogangus  
Metensis Episcopus, in regula Canoniorum à  
Luca Dacherio primum edita to. 1. *sui Spicilegii*  
de Cantoribus & schola Cantorum agit cap. 50.  
Primam verò hujus collegii sive scholæ insti-  
tutionem quidam Hilario Papæ, alii Gregorio  
Magno tribuunt, cui etiam debetur Ecclesiastici  
cantus in meliorem formam instauratio. Licet  
enim, ut diximus, ab initio Ecclesiæ usus canendi  
Romæ fuerit, nescimus tamen quales ante Gre-  
gorium fuerint ecclesiasticæ modulationes, quæ  
canentium disciplina. Joan. Diaconus in ejusdem

Gregorii vita lib. 2. c. 6. scribit eum constituisse  
scholam Cantorum, & ei cum nonnullis prædiis  
duo habitacula fabricasse, unum sub gradibus Ba-  
silicæ B. Petri Apostoli, alterum sub domibus  
Patriarchæ Lateranensis. Porro cantus ab eo in-  
stitutus ille est planus & unisonus, quem ab ipso  
Gregorianum nuncupamus, progrediens per cer-  
tos limites & terminos tonorum, quos modos seu  
tropos vocant Musici & octonario numero defi-  
niunt, secundùm naturalem generis diatonici di-  
spositionem. Huic cantui, quo hætenus usa est  
Ecclesia occidentalis, cum Galli & Germani non-  
nulla miscuissent, Religiosissimus Imperator Ca-  
rolus Magnus ad primigeniam S. Gregorii har-  
moniam restitui curavit, ut idem Joannes Diaconus  
ibidem asseverat. In vita ipsius Caroli à Mo-  
nacho Engolismensi conscripta c. 8. inter scripto-  
res historiæ Francorum, prolixè narratur: con-  
tentio habita Romæ inter Gallos & Romanos  
Cantores, quis meliùs caneret; quam litem dire-  
mit Carolus pro Romanis latâ sententiâ, utpotè  
qui à B. Gregorio instructi fuerant; petitque ab  
Adriano Papa cantores, quos misit in Galliam,  
ut veram cantandi normam docerent. Qua in re  
admirabilis fuit pii Regis sollicitudo, ut fufius  
docet Monachus Sangallensis in lib. de ecclesia-  
stica cura Caroli Mag. c. 7. & sequentibus. Ordo  
Romanus ait ex prædicta schola pueros nobiles  
cubicularios summi Pontificis fieri consuevisse.  
Transferebantur nimirum in Oratorium Ponti-  
ficis, quod olim cubiculum vocabatur, ut docet  
Baronius in Martyrologio ad diem XI. Junii, &  
inter clericos Pontificios numerabantur. Sic  
à tenera ætate enutritus fuit Sergius I. de quo  
hæc regert Anastasius. „ Hic veniens Romam  
„ tempore Adeodati, quia studiosus erat & capax  
„ in officio cantilenæ, scholæ cantorum pro do-  
„ ctina est traditus, & Acolythus factus per or-  
„ dinem ascendens à Leone II. in titulo S. Su-  
„ sannæ Presbyter ordinatus est. Sergius item  
II. cum puer esset à Leone III. scholæ Cantor-  
um traditus ad erudiendum literis & cantilenæ  
melodiis, ascendens deinde per omnes gradus  
Summus Pontifex creatus est. Similia scribit  
Anastasius de Gregorio II. Stephano III. & Pau-  
lo I. Hujusmodi scholam, in qua pueri cantu &  
literis ac moribus instruerebantur, ducentis ferè  
annis ante Gregorium Magnum extitisse in Afri-  
ca, Victor Episcopus indicat lib. 5. de persec.  
*Africana sub impio Rege Hunerico*, ubi describens  
multitudinem fidelium pergentium in exilium,  
separatos ex illis ait, suggerente quodam Ter-  
chario,



chario, qui, cum Lector Catholicus esset, accesserat Arianis, duodecim infantulos strenuos & aptos modulis cantilenæ, quos ipse in Ecclesia discipulos habuerat. Hi revocati Carthaginem, & variis suppliciiis affecti, ut orthodoxam fidem desererent, in ea semper constantes tormentis supervixerunt. Quos nunc Carthago, ait victor, miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum, eborum conspiciat, puerorum. Unà degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur. Favet Augustinus, qui, quantum vigeret in Africa studium ecclesiastici cantus, luculenter ostendit lib. 10. confessionum c. 33. In Gallia quoque Carolus Magnus lib. 1. capitularium c. 72. hoc de eisdem scholis decretum edidit. Scholæ legentium puerorum fiant: psalmos, notas cantus, computum, grammaticam, per singula monasteria vel episcopia discant. Quandopam Romæ sublata sit schola Cantorum sub Primicerio communiter vivens, nusquam reperio. Adhuc tamen vigeat sæculo decimo tertio, nam Cæsar Rasponus Cardinalis in erudito opere de Basilica Lateranensi lib. 2. cap. 4. ponit conventionem anno 1232. initam inter Lateranensem Ecclesiam, & Primicerium ac scholam Cantorum, qua assignantur quidam proventus ipsi Primicerio cum decem Cantoribus pro officio in die sancti Joannis Baptistæ, & in Stationibus ejusdem Ecclesiæ. Apud Græcos ordinantur Cantores eodem ritu quo Lectores, ut constat ex Euchologio, & ex variis Ordinationum Græcarum libris editis à Morino. Diversum tamen à Lectore ordinem Psalteris sive Cantor non constituit, ut observat Habertus ad par-

tem IV. Pontificalis Græcorum observ. 4. nisi quod ille recitat, hic concinit: unde illi in ordinatione liber Apostolicus, huic psalterium præbetur. At verò Maronitis diversa est Lectoris & Cantoris ordinatione, estque apud illos Cantoratus gradus ad Lectoratam. De disciplina psallendi hæc sancivit synodus Trullana can. 75. Eos qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere; nec aliquid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt & apta non sunt, adsciscere; sed cum magna attentione & compunctione Psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre. Congessit in notis ad hunc canonem plura, quæ ad cantum ejusque disciplinam spectant, Christianus Lupus. Diaconos psallere in Ecclesia Gregorius Magnus prohibuit in Concilio Romano, cujus acta in ejus Regesto descripta sunt lib. 4. epist. 44. sed solos subdiaconos, & clericos minorum ordinum hoc munere fungi constituit; ac propterea scholam Cantorum pro puerorum institutione aut primus erexit, aut restituit. Clericos autem Ecclesiæ adscriptos debere per seipso psallere Justinianus Imperator edixit C. de Episc. & clericis leg. 42. §. 10. additque causam edicti dignam ponderatione. Nam qui constituerunt vel fundaverunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias, ut per eas debeant sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis à ministrantibus piis clericis Deus colatur. Et initio dixit se ideo hoc sanxisse, ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione clericis appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentis.

FINIS LIBRI PRIMI.

RERUM



R E R U M  
LITURGICARUM  
LIBER SECUNDUS.

*Quo singulae Missae Partes ac ritus singillatim explicantur.*

**D**iscussis in primo libro, ut vires meae tulerunt, omnibus quae ad Missam, ejusque originem, progressum, disciplinam, variosque ritus, & apparatus pertinere visa sunt; suscepti operis ratio exigit, ut in hoc secundo singulas ejus partes in ordinem digestas aggrediar, illarumque causas, institutionem, incrementa, mutationes, & si quid in illis abditum, obscurum, & difficile occurrit, ex antiquis monumentis & praxi Ecclesiae, quantum fieri poterit, seorsum expediam & explanem. Ordior autem à proxima Sacerdotis ad celebrandum praeparatione, postquam totum Liturgiae contextum ab accessu ipsius Sacerdotis ad altare usque ad recessum, Deo opitulante, explicabo.

CAPUT PRIMUM.

*Sacerdotis ad celebrandum praeparatio in quo consistat. Premittenda peccatorum confessio. Quaedam obiter de prisco usu confessionis. Apologiae, preces praeparatoriae, & psalmi. Reconciliatio & pax cum omnibus. Puritas animi. Olim in usu erat noctis antecedentis Pervigilium. Ieiunium necessarium, & carnis munditia. Lotio manuum, & nitor vestium. Orationes recitandae à Sacerdote, dum sacris vestibus induitur. Panis & vini proxima praeparatio.*

**S**acerdos Missam auspiciaturus primò se ipsum ad tantum opus disponit, ut sit purus mente & corpore: tum ea praeparat quae spectant ad sacrificium. Et animae quidem puritatem comparat sacramentali confessione, si aliquis culpae sibi conscius sit. Id enim Apostolus

praecipit dicens: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Ecclesiastica autem consuetudo, sicut Patres Concilii Tridenti docent *sess. 23. cap. 7.* declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Ideò Chrysostomus initio suae Liturgiae ait: Sacerdos divinum mysterium peracturus, ante omnia confiteri, & cum omnibus reconciliatum se habere debet. Et in Liturgia Basilii exclamat Pontifex, *Sancta Sanctis:* cujus formulae idem quoque Chrysostomus meminit *homil. 61. ad pop. Antioch. & homil. 17. in epist. ad Hebraeos.* In Antiquo Missali Romanae Ecclesiae monetur Sacerdos celebraturus, conscientiam suam per puram confessionem optime praeparare. Atque ut antiquius testimonium proferam, hoc ipsum Cyprianus apertissimè docet lib. de Lapsis, ostendens quàm sit perniciosum ad Eucharistiam accedere, & corpori Domini



Domini ac sanguini vim inferre ante expiata delicta, ante criminis exomologesim, ante purgata conscientiam. Tum post narrata quædam exempla divinæ vindictæ adversus indignè communicantes, eos laudat, qui nullo crimine idololatriæ maculati, vel ob solas de illo cogitationes confitebantur. „ Quanto, *inquit*, & fide majores, „ & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam „ tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud „ Sacerdotes Dei, dolentes & simpliciter confidentes, exomologesim conscientia faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam „ parvis licet & modicis vulneribus exquirunt. Quæ verba de secreta & auriculari confessione intelligenda esse quis dubitet? publicam enim de cogitationibus, deque modicis peccatis Ecclesia numquam admittit. Quod etsi parergon, nolui hoc loco tacitus præterire propter Eterodoxos, qui privatam pœnitentiam ex publica sumpsisse originem contendunt, cum potius publicæ delictorum pœnitentiæ privata confessio semper adnexa fuerit; quod fufius probare ad propositum mihi argumentum non spectat. Tertullianus lib. de Baptismo cap. 20. „ Nobis, *ait*, gratulandum est, „ si non publicè confitemur iniquitates aut turpitudines nostras. *Et de Pœnitentia cap. 10.* Ple „ rosque hoc opus, *id est confessionem*, ut publicam „ tionem sui aut suffugere, aut de die in dies dif „ ferre præsumo, pudoris magis memores quàm „ salutis: veluti illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescencia „ sua pereunt. Hac autem comparatione Patres antiqui & recentiores uti solent adversus illos, qui ob verecundiam turpia quædam & graviora crimina in arcano pœnitentiæ tribunali, quod semper in Ecclesia fuit, Sacerdoti abscondunt, momentaneam confusionem æternæ præferentes. Sed revertor ad Cyprianum, qui Confessionis necessitatem ante communionem rursus exaggerat epist. 10. clerum suum reprehendens, quod Lapsis ausus fuerit Eucharistiam dare, *nondum pœnitentiã acta, nondum exomologesim facta, nondum manu eis ab Episcopo, & clero imposta.* Quod licet de reconciliatione cum Ecclesia, & absolutione à pœnitentiis intelligatur, hæc tamen sacramentalem confessionem adjunctam habebat. Si autem Sacerdoti rem divinam facturo nihil confessione expiandum occurrat, ejus tamen sententiæ meminisse debet, quam per os Sapientis protulit Spiritus sanctus, *de propitiato peccato noli esse sine metu*; quia nimi-

rum de obtenta peccatorum remissione nemo in hac vita securus est. Ideo antiqui Sacerdotes suam semper infirmitatem suspectam habentes, humanique cordis pravos & profundissimos recessus formidantes, in quibus sæpè latent minuta & occulta peccata, scientes quoque multa non advertentibus irreperere, multa è memoria excidere, cum timore & tremore in opera pœnitentiæ incumbebant, & sacris operaturi prolixis precationibus, quas Apologias vocabant, ad ostium divinæ misericordiæ pulsabant, ut ab omni macula expurgarentur. Plures hujusmodi Apologia extant in præcis Sacramentorum libris, quarum præcipuæ apud Menardum legi possunt pag. 242. & infra in Appendice. Dicuntur autem Apologia, quia in his Sacerdos excusat & purgat se, quod peccator & indignus ad sacra mysteria accedere præsumat. Observat Menardus, eas olim legi consuevisse ante offertorium, cum peractâ Missâ Catechumenorum incipiebat Missa Fidelium; sed in ea quam edidit Illyricus, & in Codice Chiffo de quo Lib. I. Cap. XII. actum est, pleræque dicuntur ante Introitum, & dum *Gloria in excelsis*, & Graduale cantantur. Unam hinc transcribo, ex antiquissimo Missali Serenissimæ Reginae Sueciæ, quod vetus Gallicanum esse ante tempora Pipini supra indicavi.

*Apologia Sacerdotis.*

**A**Nte tuæ immensitatis conspectum, & ante tuæ ineffabilitatis oculos, ô Majestas mirabilis, scilicet ante sanctos vultus tuos, magne Deus & maximæ pietatis ac potestatis omnipotens Pater, quamlibet non sine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate, vilis admodum peccator accedo, & reus conscientia testis adfesto. Accuso me tibi, & non excuso: & coram testibus confiteor injustitiam meam tibi Domino Deo meo. Confiteor inquam, confiteor sub testibus injustitiam impietatis meæ, ut remittas impietatem peccati mei. Confiteor quod nisi remittas, rectè me punias. Habes me confidentem reum; sed scio, non nisi verbis emendantem. Verbis enim placo, operibus offendo. Culpam sentio, emendationem differo. Subveni ergò, subveni pietas ineffabilis. Ignosce, ignosce mihi Trinitas mirabilis. Parce, parce, parce supplico, Deus placabilis. Exaudi, exaudi, exaudi me rogo his verbis illius Filii tui clamantem, Pater æternæ Deus, peccavi in cœlum & coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me ut unum de mercenariis tuis. *Et nunc Pater misericors unicum, miseri*



miseri cordiæ tuæ portum! Christo favente peto, ut, quod per me vilescit, per illum acceptum ferre digneris. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

II. Præter Apologias erant aliæ orationes præparatoriæ, quas Georgius Pachymeres mox citandus *protesticas* vocat, quod ante Teleten seu sacrificium dicerentur. Hujusmodi est celeberrima illa S. Ambrosii à celebri scriptore contra fidem veterum Codicum Anselmo Cantuariensi adscripta quæ incipit, *Summe Sacerdos, & vere Pontifex.* In Missa veteri ex codice Ratoldi Abbatis apud Menardum pag. 259. hæc initio leguntur. *Antequam Episcopus Missam celebret, ingrediatur quoddam oratorium, & secundum cordis compunctionem se ipsum libamine orationis Deo offerat.* Tum mandat dici hanc orationem, quam prisca Monachorum Ritualia recitari in ingressu Ecclesiæ præcipiunt post diei Dominicæ processionem. „ Via „ Sanctorum omnium Jesu Christe, qui ad te venientibus claritatis gaudium contulisti, introitum templi istius Spiritus sancti luce perfunde, „ qui locum istum Sanctorum tuorum Martyrum „ nomine vel sanguine consecrasti: præsta quæsumus omnipotens Deus, ut omnes isti in te credentes obtineant veniam pro delictis; ab omnibus liberentur angustiis, impetrent quicquid petierint pro necessitatibus suis, placere semper prævaleant coram oculis tuis, quatenus per te „ & per S. Petrum militem tuum muniti, mereamur aulam Paradisi introire. Amen.

Preces verò præparatoriæ, easque prolixas semper in usu fuisse, crebris Sanctorum exemplis docemur, qui tamdiu in oratione perseverabant, donec gratiâ Spiritus sancti mirabiliter imbuti, ejus virtute & impulsu ad celebrandum excitarentur. De summa enim puritate, quæ ad tantum ministerium requiritur, longè aliter ac nos sentiebant. Narrat Dionysius *epist. 8. ad Demophilum*, sanctum Carpum virum ob mentis puritatem ad Dei contemplationem aptissimum nunquam sacros mysteriorum ritus auspiciatum fuisse, nisi prius ipsi inter præparatorias orationes sacra quædam & propitiâ visio apparuisset. Idem refert Joannes Moschus in *Prato spirituali c. 27.* de quodam presbytero, qui post nocturnos hymnos sedens propè sanctum altare Missarum solemniam non incipiebat, quousque vidisset Spiritum sanctum altare obumbrantem. Sic eodem referente *cap. 150.* quidam Episcopus coram S. Agapeto Pontifice celebrans tempore oblationis diu perstitit non concludens orationem, quia jux-

ta consuetudinem Spiritus sancti descensum non vidit. Et hic quidem quorundam Sanctorum mos fuit, omnibus autem Sacerdotibus indiscriminatim. S. Bonaventura *lib. de præpar. ad Missam cap. 5.* sic loquitur. „ Proba te ipsum ex „ quanta charitate, & quali fervore accedis. Non „ solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam „ venialia peccata per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem ac per „ distractionem dissolutæ vitæ & malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & indispositum & ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres & stipulæ venialium per afflatum Spiritus & flammam charitatis ventilentur & consumantur exardescente igne cordis, & ex consideratione propriæ vilitatis. Ullus quoque quorundam psalmorum ante Missam antiquus est. Vetus Missa ab Illyrico edita antequam Sacerdos sacris vestibus induatur, dici mandat, si tempus permiserit, flexis genibus coram altari septem Psalms pœnitentiales cum Litaniam & aliis prolixis precibus, post quas sequuntur alii septem psalmi, nempe *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Fundamenta ejus. Domine Deus salutis mee. Credidi propter quod. Memento Domine David.* Codex Chisius tres tantum psalmos à Sacerdote sacris vestibus induto cum circumstantibus clericis dicendos præscribit, videlicet *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine.* Idem præscribuntur in codice Tiliano apud Menardum pag. 266. Missale Hispalense editum anno 1534 jubet dici septem Psalms Pœnitentiales, vel *Quam dilecta*, cum reliquis, qui hodie notantur in Missali Romano, & leguntur in plerisque Missalibus M. SS. Bibliothecæ Vaticanæ. Micrologus cap. 1. *Presbyter, cum se parat ad Missam, juxta Romanam consuetudinem decantat hos psalmos; Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Credidi,* Deinde *Kyrie eleison. Pater noster*, cum precibus, & oratione pro peccatis. Quidam præmittunt hymnum *Veni creator Spiritus.* Cæterùm de his psalmis nec Ordo Romanus in prima, tertia, & quarta descriptione Missæ, nec Amalarius, nec Alcuinus loquuntur, ex quorum silentio conjicio, circa ann. Domini 900. ante Missas solemnes recitari cœpisse. Psalmos autem pœnitentiales cum Litaniam idem Ordo Romanus in secunda descriptione Missæ commemorat dicens: *Duo Presbyteri cum septem diaconis coram Episcopo stantes ministrant ei, cantantes cum illo septem psalmos pœnitentiales cum Litaniam.*



III. Spectat etiam ad animæ puritatem comparandam, ut Sacerdos, quantum est in se, pacem cum omnibus habeat, nec ulla sit ei querela adversus aliquem. Ita Chrysostomus initio suæ Liturgiæ & Pontificale Græcorum in principio ordinis Liturgiæ Patriarchalis. Hoc autem Domini præceptum est: *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Ita Matthæi c. 5. Cum enim sacrificium symbolum pacis sit, & mutæ unionis professio ac protestatio, necessaria profus est ante sacram synaxim cum fratribus reconciliatio, ne sacramentum unionis & pacis sine pace & unione recipientes, mendaces coram eo inveniamur, qui est Deus pacis & dilectionis. Præclare Tertullianus lib. de Oratione c. 10. „ Memoria præceptorum viam orationibus sternit ad „ cælum, quorum præcipuum est, ne prius ascen- „ damus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ „ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resol- „ vamus. Quid est enim ad pacem Dei recedere „ sine pace? ad remissionem debitorum cum re- „ tentione? Quomodo placabit patrem iratus in „ fratrem? Habemus de hac re veterem formulam lib. 2. const. Apostol. qua diaconus clamabat, *ne quis contra aliquem, ne quis in simulatione.* Sequitur apud Chrysostomum loc. cit. expurgatio cordis à pravis cogitationibus, ut nimirum, sicut ait Augustinus tract. 26. in Joannem, *Innocentiam apportemus ad altare.* Scribit Dionysius c. 3. *eccl. hierarch.* à divina sacrificii excelitate olim submotos non eos dumtaxat, qui à christianæ vitæ sanctitate desciverant, sed & eos qui à deteriore quidem vita recesserant, nondum verò animos à pristinæ impuritatis phantasmatis expurgaverant. „ Ideò his demum tam augusta patere mysteria, „ qui ad divini ac deifici habitus immobilitatem, „ vimque ætuosam pervenere, qui soli Deo unicè „ adhæreant, quique omnino irreprensibiles „ sint atque immaculati. Suffragatur Chrysostomus hom. 17. in ep. ad Heb. „ Vox illa, ait, in „ nostras aures incurrens, alios quidem repellit & „ ejicit, alios autem introducit & sinit. Nam „ quando dicit SANCTA SANCTIS, hoc „ dicit: si quis non Sanctus, non accedat. Non „ solum inquit à peccatis purus, sed etiam sanctus. „ Sanctum enim non facit solum liberatio à pec- „ catis, sed etiam præsentia spiritus & bonorum „ operum abundantia. Non solum, inquit, volo „ vos à cæno esse liberatos; sed albos esse & spe- „ ciosos,

IV. Olim quoque in usu erat apud Græcos totius noctis antecedentis pervigilium, cum postera die sacrum mysterium celebrandum foret, quod non solum à Sacerdotibus, sed etiam à populo servabatur. Testatur Socrates lib. 2. *hist. eccl. cap. 8.* ubi referens Athanasii fugam ait, *vesperæ quidem erat, populus autem per totam noctem vigilabat, quia synaxis futura erat.* Et Georgius Pachymeres à Petro Possino magno rei literariæ bono novillimè editus, ex cod. M. S. Bibliothecæ Barberinæ lib. 1. *hist. Michaelis Palæologi cap. 11. A vespera,* inquit, *nocturnæ decantatæ sunt preces, postera quippè die sacrum facere Præsul decreverat.* Nec aliena fuit ab hoc instituto Romana Ecclesia, nusquam enim legimus vel in Ordine Romano, vel in libris Sacramentorum Missarum solemnia peracta fuisse, nisi prius in Ecclesia vigiliæ nocturnæ cum laudibus persolutæ essent. Quem ritum etiam nunc servandum esse docent Regulæ Missali Romano præfixæ, quibus horam celebrandi determinant.

Hæc de animæ dispositionibus. Ad corpus pertinent jejunium & munditia. De jejunio, quod celebrans servare debet à media nocte antecedente, dictum est supra Cap. XXI. Lib. I. Munditia est duplex, in ipso corpore & in vestimentis. Prima in castitate consistit, quæ quantoperè sit necessaria Sacerdoti, passim docent sancti Patres, & alii doctissimi scriptores, qui de sacrorum hominum continentia integros tractatus ediderunt. An verò nocturna illius sine culpa eveniens sequentis diei celebrationem impediatur, quæstio anceps est, in cujus solutione dissident ab antiquis receptiores, sed nec illi quidem inter se conveniunt. Augustinus serm. 244. de Temp. *Post pollutionem,* inquit, *quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet; nisi prius præcedat compunctio & elemosyna, & si infirmitas non prohibet, etiam jejunium.* Simili rigore utuntur veteres libri Pœnitentiales. Antiqua verò Cisterciensium & aliorum Monachorum statuta eâ sordè scedatos, non solum à celebratione, sed ab omni quoque altaris ministerio arcebant. Alii arbitrio Patris spiritualis, vel propriæ cujusque conscientiæ dictamini rem decernendam dimitunt. Mihi regula servanda videtur à Gregorio Magno præscripta lib. 12. *epist. 31.* in responsione ad xi. interrogationem Augustini Episcopi Anglorum, quam Gratianus Decreto inseruit *distinct. 6. cap. 1.* ut nimirum quisq; consideret ex qua radice inquinatio illa processerit. Longior illa est, quam ut debeat hæc tota transcribi, & utilis legi poterit apud Grego-



Gregorium. Facit etiam ad hoc argumentum collatio XXII. Cassiani de nocturnis illufionibus, quæ est secunda Abbatis Theonæ.

V. Accedit lotio manuum; quam ex quodam naturæ instinctu ipsimet ethnici sacrificio præmittabant; nec manuum dumtaxat, sed etiam totius corporis. Id de Græcis & Ægyptiis testatur Herodotus in Euterpe. De Romanis Perlius Satyra 2.

*Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis  
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.*

Et Tibullus lib. 2. eleg. 1.

*Casti placent superis, pura cum veste venite,  
Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Euclio item apud Plautum in Aulularia act. 4. sc. 2. Nunc lavabo ut rem divinam faciam. Est & illud Hesiodi, *Illotis manibus sacra tractare est nefas*. Eadem religio Hebræis fuit, legimus enim cap. 30. Exodi positum in templo labrum æneum cum aqua, ut, quando sacerdotes ingressuri erant tabernaculum testimonii, & accessuri ad altare, manus antea lavarent. Simile vas ad eundem finem, sed multo capacius in ingressu templi posuit Salomon, quod *Mare æneum* nuncupavit. Hinc probabile est, hunc ipsum morem ad Christianos fluxisse, ut canthari & lutheres aqua pleni, vel etiam fontes ante fores templorum collocarentur, ut supra indicavi Cap. XX. Lib. I. quatenus sacrificia vel preces oblaturi puras ad Deum manus levarent, sicut Apostolus scripsit 1. ad Timoth. c. 3. & externa lotionem internæ puritatis admonerentur. *Quæ ratio est*, ait Tertullianus lib. de orat. cap. 11. *manibus quidem ablutis, spiritu verò sordente orationem obire?* Et Chrysofostomus hom. 61. ad pop. Antioch. *„Dic mihi, immundissime manibus ad sacrificium eligeres accedere? Non ut ipse puto; sed nec omnino malles accedere, quam manibus illotis.* Ita in parvo quidem es tam reverens, fordidam autem habens animam accedis, & aures tangere. Eodem spiritu Anastasius Synaita orat. de sacra synaxi adversus eos declamat, qui lotis quidem manibus, sed polluta conscientia corpus Domini suscipiunt. Dorotheus denique serm. 9. narrans cuiusdam Monachi suspicionem, qui putabat se summo mane vidisse fratrem manducantem, ait: *Vidit ipsum manus abluentem, ut ad communionem accederet.* Ex veteri igitur Ecclesiæ instituto Sacerdos lavat manus ante sacrum, Deum interim exorans, ut, sicut ex-

terius abluuntur manuum inquinamenta, sic ab eo mudentur interiùs sordes mentis: est enim corporis munditia interioris innocentia professio. Quæ de causa non solum à corpore, sed etiam à vestimentis omnis immunditia abesse debet: idque summoperè curabant prisca ævi Fideles ad Eucharistiam accessuri. Anastasius in præcitata oratione de sacra synaxi, *„Multi quidem non laborant, qua puritate & pœnitentia ad sacram mensam adeant; sed quibus vestimentis exornentur. Idem docet Chrysofostomus hom. 52. in Matthæum, „In nonnullis Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi studeant, quo modo manibus lotis, mundis induti vestimentis in Ecclesiam ingrediantur: quomodo autem animam atque mentem suam puram offerant Deo; nullam prorsus habent curam. Luculentius autem orat. de S. Philogonio; „Hortor vos, inquit, ne negligenter ad divina mysteria accedatis. Absurdum enim est, tantam habere curam corporali, ut appetente festo multis ante diebus vestem è seriniis depromptam diligenter appares, omnibusque modis temetipsum ornes, nitentumque reddas: animæ verò neglectæ, sordentis, squalidæ nullum habere respectum. Neq; damnat Chrysofostomus corporis & vestium munditiam, sed animæ cultum præferendum docet: nam & ipse moriturus priusquam communionem acciperet, exutus prioribus vestimentis candida & nitentia sumpsit, ut Palladius scribit in ejus vita. Hebræos quoque templum ingressuros mundis se vestibus induisse doctissimus inter illos Philo testatur, qui lib. de Cherubim eos similiter reprehendit, qui dabant operam, ut candidis, & diligenter emaculatis vestibus amicti templum subirent: mentem verò maculosam in ipsa penitissimâ sacraria inferre non verebantur.*

VI. Vestibus autem communibus superaddit Sacerdos sacrata vestimenta eo ordine quo supra Lib. I. Cap. XXIV. quo de illis disserui, recensita sunt, nisi quod quædam Ecclesiæ, ut Ambrosiana & Lugdunensis, amictum sumunt post albam. Ad singula verò certas preces in Missali descriptas recitat, quæ in diversis Ecclesiis diversæ sunt, verbis non sensu. Earum nec Ordo Romanus, nec Amalarius, nec alii ejusdem sæculi Scriptores mentionem faciunt. Desunt quoque in antiquioribus Missalibus M. SS. & in libro Sacramentorum S. Gregorii. Ex quo suspicor ante annum 900. non fuisse saltem ubique in usu. Extant autem apud Menardum in veteri



Missâ ex codice Ratoldi Abbatis Corbeiensis, qui obiit ann. 986. sed versibus conceptâ, ministro ad singulas vestes petente ab Episcopo, ut eas benedicat. *Minister*, inquit, *administret super humerale & dicat*, Jube benedicere, *respondet Episcopus*.

*Virtus summa Deus, cunctorum rector optimus,  
Tu benedic nostrum, quo nunc ornatur, amictum,  
Ut servire tibi valeamus cor de pudico.*

Postea ministret ei albam, & dicat ut supra. Respondet Episcopus.

*Vestibus Angelicis induti, rex pietatis,  
Possimus libare pii libamen odoris.  
Clemens & pro a purges contagia mentis,  
Ac citius delenda mala contra agia mentis.*

Et sic de reliquis, ritu videlicet Græcorum, qui, ut constat ex Liturgia Chrysostomi, antequam sumant sacra indumenta, ea semper benedicunt. In alia Missâ ex Codice Tiliano scripto anno 1032. extant ad singulas vestes breves orationes apud eundem Menardum. Ad amictum, „ Obumbra „ Domine caput meum umbraculo sanctæ fidei ; „ & expelle à me nebula ignorantia. *Ad albam*, „ Indue me Domine vestimento salutis, & cir- „ cumda me lorica fortitudinis. *Ad Zonam*, Do- „ mine accinge in me custodiam mentis meæ, nec „ ipsa mens inflectatur spiritu elationis. *Ad Sto- „ lam*, Stola justitiæ circumda Domine cervi- „ cem meam, & ab omni corruptione peccati „ purifica mentem meam. *Ad Casulam*, Indue „ me Domine ornamento charitatis & pacis, ut „ undique munitus virtutibus, possim resistere „ vitiiis, & hostibus mentis & corporis. *Ad Ma- „ nipulam*, Da mihi Domine sensum rectum & „ vocem puram, ut implere possim laudem tuam. Auctor Micrologi, quem Pamelius vixisse putat tempore Gregorii VII. de præparatione ad Missam ita scribit cap. 23. *Presbyter cum se parat ad Missam, in primis cantat psalmos*, Quam dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi. *Deinde Kyrie eleison, Pater noster. Vers.* Ego dixi Domine: Convertere Domine: Fiat misericordia: Sacerdotes: Protector noster: Domine exaudi. *Oratio.* Aufer à nobis Domine iniquitates nostras & peccata nostra, ut mereamur puris mentibus ad sancta sanctorum introire. *Alia.* Actiones nostras. *Paratus autem venit ad altare.* Nec alias commemorat orationes. In Missâ Illyrici sunt speciales preces ad singulas vestes, quæ infra legi possunt in Appendice. In alia Missâ ex Codice Chi-

sio sunt ipsæmet, quæ supra scriptæ sunt ex Codice Tiliano. In Missâ Romano impresso Venetiis anno 1534. præmittitur ordo celebrationis Missæ seorsim etiam excusus per D. Joannem Burchardum Argentinum, Decretorum Doctorem & Magistrum ceremoniarum D. Papæ, qui ait orationes, dum induitur Sacerdos, non ex præcepto, sed ex devotione dici & posse iis dimissis recitari Psalmum *Miserere*, aut alium convenientem. An verò hodie hæc sententia tuta sit, scholasticis discutiendum relinquo.

VII. Sic indutus Sacerdos, & omni ornatus Missatica paratura, ut auctor vitæ S. Udalrici Episcopi Augustani loquitur, panem & vinum ad usum sacrificii præparat, quod à Latinis in Sacratio, à Græcis in Prothesi fit. Et Latini quidem nulla ceremonia in pane præparando utuntur, nisi quod hostiam patenæ superponunt & præparant ante Missam. Vinum verò infundunt calici & aqua miscent in altari, post panis oblationem eo ritu, qui infra suo loco explicabitur. At Græci majori apparatu hoc ipsum præstant in minori altari ad lævam majoris posito, in quo dona sacrandæ primò proponuntur, & primam quodammodo sanctificationem precibus Sacerdotis accipiunt. De qua re cum in concilio Florentino Græci à Latinis interrogati fuissent, illorum nomine Episcopus Mitylenensis legitime ac canonicè respondisse fertur: & quamvis non sit scripta ejus responsio, credibile tamen est nihil aliud eum dixisse, quàm quod S. Germanus, & post eum Cabasilas, & alii Græcorum rituum explanatores scribunt, hæc omnia quæ fiunt in Prothesi ad præparationem pertinere, & ad ea referri, quæ paulò post in summo altari gerenda sunt. Græcus itaque Sacerdos sacris vestibus indutus procedens ad prothesim seu mensam propositionis, lavat manus cum ministris dicens: *Lavabo inter innocentes manus meas*, & quæ sequuntur usque ad finem Psalmi. Tum Diaconus præparat discum sive patenam lancis profundioris figuram habentem & ponit in parte sinistra, calicem verò ad dexteram: sumitque Sacerdos manu sinistra panem, dextera sanctam lanceam, nempe gladiolum ad instar lanceæ huic ministerio deputatum, & cum ea signum crucis facit super sigillum oblatae. Est autem sigillum crucis effigies pani impressa. Post hæc scindit ipsum sigillum in partes & ponit in disco, & attollit, adoleatque incensum, & Diaconus infundit vinum & aquam in calicem; multæque interim orationes recitantur, qui in Liturgia Chrysost. legi possunt. Imitantur vini & aquæ præparationem, antequam Missam



Missam inchoent quidam Latinorum, ut Carthusiani, Prædicatores, & veteri ritu Cistercienses ac quidam alii. Statim enim ac pervenerunt ad altare, vinum calici infundunt, & aquam miscent, brevique oratione benedicunt. Plerique autem sanguinis & aquæ, quæ de latere Christi emanarunt, mysterium commemorant: quem ritum in Ecclesiis Gallicanis passim viguisse testatur Saussaius in Panoplia sacerdotali par. 1. lib. 8. c. 20. art. 5. Sed redeo ad Græcos. Observant illi hunc morem, ut facta majoris hostiæ oblatione plures deinde particulas sigillatim offerant, quas *meridas* vocant: quia cum sacrificium plures fines & effectus habeat, iis significandis particulas multiplicat. Et primam quidem hostiam, ut debitum Deo cultum reddant, in memoriam Salvatoris nostri Jesu Christi offerunt. Secundam ad honorem gloriosæ Virginis Mariæ, ut Deus ipsius precibus sacrificium acceptare dignetur, sive ut gratias ei agant pro beneficiis ipsi Virgini & nobis per ipsam collatis. Tertia est in honorem sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum, & aliorum quos nominant. Quarta pro salute viventium, quorum nomina recitant quotquot voluerint, ut eis Deus peccata dimittat, & omnia bona largiatur. Quinta pro defunctis, eorum item nominibus recitatis. Quod si Sancti aliquis solemniter ea die celebrentur, propriam illius venerationi particulam fecerunt & offerunt. Possunt etiam pro quocumque voluerint, sigillatim offerre. Similiter & reliqui Sacerdotes celebranti assistentes, & Diaconi, si velint, tollunt particulas pro iis quoque nominatim, qui sibi commendati sunt. Nec Diaconi propterea censendi sunt officium sibi non debitum sacrilegè usurpare, ut credit Arcudius lib. 3. de Sacram. c. 13. non enim de hac oblatione loquuntur canones ab eo citati; sed de alia quæ fit in altari & ad solos Sacerdotes pertinet. In hac verò, quæ illi prævia est, & à consecratione longius remota, nihil aliud facit Diaconus, nisi quod particulas scindit, & in disco reponit à Sacerdote postea consecrandas. His peractis thus adoleatur, tum ipsi donis, tum velaminibus, & prothesi, ac toti sacrario, & aliquot orationibus, psalmoque quinquagesimo recitatis finis imponitur primæ parti Liturgiæ, quæ est præparatio donorum, & primum offertorium. Porrò particulas illas simul cum majori hostiâ à Sacerdote consecrari certissimum est, quicquid in contrarium asserant quidam Græci recentiores hoc perperam negantes. Primus autem hujus erroris disseminator fuit Si-

meon Thessalonicensis, quem Arcudius egregiè confutat lib. cit. à cap. 10. usque ad 18.

## CAPUT. II.

*Sacerdotis ad altare duplex processio. De ritu Confessionis ante Missam, præmissò psalmo Judica me Deus. Confessio generalis omnium gentium more probatur. Variæ ejus formulæ. Sanctorum post eam commemoratio cum osculo Altaris.*

I. Sacerdotis ad offerendum sacrificium eundis duplex est processio: una è propriis ædibus ad Ecclesiam, altera in ipsa Ecclesia à Sacrarario ad Altare. Et prima quidem, si de Episcopo sermo sit, fieri solebat cum ingenti pompa & apparatu. Crux enim & luminaria præibant, ut Nicephorus lib. 13. cap. 8. & Marcus Diaconus in vita S. Porphyrii Episcopi scribunt. Sequebatur Clericorum, & Presbyterorum ingens comitatus, cujus antiquissimum testimonium habemus in Concilio Laodiceno c. 56. *Quod non oporteat presbyteros ante processionem Episcopi introire sacrarium & sedere, sed cum Episcopo debent ingredi.* Magnum Basilium vidit Ephrem Syrus procedentem in Ecclesiam in die sancto Theophaniæ & circa eum venerandum clerum candidatum & obsequentem ei, ut auctor vitæ ejus asseverat. Ambrosius gestus indecoros reprehendens lib. 1. de officiis cap. 18. ait se justisse, ne quidam Clericus unquam præiret sibi, quia velut quodam insolentis incessus verberare oculos suos feriebat. Hinc procedere aquad Antiquos nihil aliud est, quàm in Ecclesiam ad synaxim celebrandam convenire. Augustin. lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *sedebam jam processurus*, nempe in Ecclesiam ad sacrificium offerendum. Leo Magnus epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum, *qui nostris processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit.* Diurnus Pontificum cap. 45. de dedicando Orationario intra Monasterium, *sic tamen ut non illic publica processio teneatur*, id est, publica Missa, quæ, ut alibi observavimus, in Monasteriis vetita erat. Altera processio ad altare, sive Episcopus celebret sive Presbyter, antiquo more qui adhuc viget, solemniter fieri solet. Utramque sic describit Ordo Romanus.

„ Denuntiata Statione diebus festis primo majori, ne præcedit omnis Clerus Pontificem ad Ecclesiam,



,, clesiam, exceptis qui in obsequio illius comitan-  
 ,, tur, qui ordine suo scribuntur, expectantes Pon-  
 ,, tificem in Ecclesia. Sed dum venerit Pontifex  
 ,, propè Ecclesiam, exeuntes Acolythi & Defen-  
 ,, fores ex regione illa, cujus die ad officium fuerit  
 ,, in obsequio, præstolantur eum loco statuto, an-  
 ,, tequam veniat ubi descensurus est. Porro Defen-  
 ,, fores qui fuerint, quando & à quo instituti, deque  
 ,, illorum statu, munere, & jurisdictione, latè differit  
 Morinus l. de sacris ordinationibus parte 3. exer-  
 cit. 16. c. 6. & duobus sequentibus. ,, Similiter &  
 ,, Presbyter Tituli vel Ecclesiæ ubi statio fuerit,  
 ,, una cum Majoribus domus illius civitatis, vel  
 ,, patre Diaconia; si tamen illa Ecclesia Diaconia  
 ,, fuerit, cum subdito sibi Presbytero & mansio-  
 ,, nario thymiamateria deferentibus in obsequium  
 ,, illius, inclinatio capite dum venerit. Acolythi  
 ,, quidem cum Defensoribus primùm, deinde Pres-  
 ,, byteri cum suis, petita benedictione divisim hinc  
 ,, inde partibus, prout militant, præcedunt Ponti-  
 ,, ficem usq; ad Ecclesiam. Cum verò Ecclesiā in-  
 ,, troierit Pontifex, non ascendit continuò ad altare,  
 ,, sed prius intrat in Secretarium sustentatus à Dia-  
 ,, conibus, qui eum susceperunt de sella descen-  
 ,, dentem. Ubi cum intraverit sedet in sella sua. Et  
 ,, Diaconi salutato Pontifice egrediuntur è secre-  
 ,, tario, & ante fores ejusdem mutant vestimenta  
 ,, sua. Et parat Evangelium qui lecturus est, refera-  
 ,, to sigillo ex præcepto Archidiaconi super pla-  
 ,, netam Acolythi. Pontifex autè per manus Sub-  
 ,, diaconorum regionariorum mutans vestimenta  
 ,, solemnè, ordinabiliter compositis per Primice-  
 ,, rium & Secundicerium vestimentis ejus ut bene  
 ,, sedent, novissimè per diaconum & subdiaconum,  
 ,, cui ipse jusserit, pallio superinduitur & configi-  
 ,, tur per acus in planeta retro, & ante, & in hume-  
 ,, ro sinistro. Deinde Subdiaconus regionarius por-  
 ,, rigit ei mappulam inclinans se ad genua ipsius. His  
 ,, ita compositis invitante ad regiam Secretarii  
 ,, præfati Subdiacono scholam, quartus scholæ qui  
 ,, semper nuntiat Pontifici de cantoribus, aditans  
 ,, ante faciem Pontificis, & nutum ejus ad psallen-  
 ,, dum expectans, statim dum innuit ei, egreditur  
 ,, ante fores Secretarii & dicit, *Accendite*. Qui  
 ,, dum incenderint, statim Subdiaconus sequens  
 ,, tenens thymiamaterium aureum pro foribus  
 ,, ponit incensum, ut pergat ante Pontificem. Et  
 ,, ille quartus scholæ ad priorem, vel secun-  
 ,, dum, sive tertium inclinatio capite dicit, *Do-  
 ,, mini jubete*. Tunc statuntur duæ acies in cho-  
 ,, ro per ordinem ab utroque latere, & mox inci-  
 ,, pit prior scholæ antiphonam ad introitum. Sub-

diaconi verò de schola levant planetas cura finit,  
 ,, ut nimirum expeditiores sint ad ministrandum.  
 ,, Quorum voces, *cantorum scilicet*, Diaconi dum  
 ,, audierint, continuò intrant ad Pontificem in  
 ,, Secretarium. Tunc Pontifex elevans se dat ma-  
 ,, num dexteram duobus Presbyteris, & illi oscu-  
 ,, latis manibus ipsius procedunt cum ipso susten-  
 ,, tantes eum, præcedentibus ante eos Diaconi-  
 ,, bus septem. Tunc ministri cum thymiamaterio  
 ,, & thuribus non amplius ternis procedunt an-  
 ,, te ipsum mittentes incensum, & septem Aco-  
 ,, lythi portantes septem cereostata foras Ecce-  
 ,, siam accensa procedunt ante Pontificem usque  
 ,, in chorum. Post thuribula portatur Evange-  
 ,, lium propius Episcopo. Eadem autem procef-  
 ,, sio fit ab austro in septentrionem. Tunc proce-  
 ,, dit Pontifex, & antequam veniat ad scholam,  
 ,, dividuntur cereostata quatuor ad dexteram, tria  
 ,, ad sinistram. Et pertransit Pontifex in caput  
 ,, scholæ, & in gradu superiori inclinatio capite ad  
 ,, altare primò adorat sancta, & stat semper incli-  
 ,, natus usque ad versum prophetalem; nimirum  
 ,, usque ad versum Psalmi, qui post introitum can-  
 ,, tatur. Hæc Ordo Romanus de processione sum-  
 ,, mi Pontificis ad Missam, prout illa ferebant tem-  
 ,, pora. Eadem multò fustius describitur in eodem  
 libro in tertia Missæ descriptione. Turmas enim  
 præcedentium Pontificem, eorumque ordinem &  
 nomina accuratè exprimit. Tum aut equum  
 Pontificis præcessisse Acolythum stationarium  
 gestantem Chrisma in mappula involuta cum an-  
 pulla; aliosque Acolythos portantes sacculos, sin-  
 donem, aquam manus, calicem, patenam, scyphos,  
 pugillates, gemelliones, colatorium, amas, cruces,  
 Evangelia, & omnem sacram supellectilem. Sunt  
 & alia minutiora, quæ ibidem legi possunt. Ho-  
 die summus Pontifex solemniter celebraturus  
 hoc ordine procedit. Præcedunt nobiles Laici,  
 tum Acolythi, Clerici Camerae Apostolicae, Sub-  
 diaconi, & unus Acolythus ferens thuribulum,  
 & alii septem Acolythi cum septem candelabris.  
 Sequitur Subdiaconus, qui epistolam lecturus est,  
 ferens crucem, quem ab utroque latere comitan-  
 tur duo ostiarii cum virgis. Deinde Poenitentiarium  
 cum planetis, tum Abbates, Episcopi, Archiepi-  
 scopi, & Patriarchæ cum mitris: Postea Diaconi,  
 Presbyteri, & Episcopi Cardinales: & post eos  
 Pontifex sub conopæo, quod octo Principes sive  
 oratores Regum, aut alii ex nobilioribus portant.  
 Assistunt Pontifici duo Diaconi Cardinales, eo præ-  
 cedente, qui lecturus est Evangelium, postremam  
 Pluvialis Pontificii partem sustinente nobiliori  
 Laico,



Laico, qui ibi adfit, quacumque fulgeat dignitate. Subsequitur longo ordine familia Pontificia, omnesque Palatini, ac demum Protonotarii & Prælati, qui non sunt induti vestibus sacris, omnes cum cappis quas vocant, seu specialibus indumentis, quibus in publicis functionibus uti solent.

II. Cæterorum Episcoporum processio erat secundo loco in ipso Ordine Romano, ubi Missa describitur ex Patrum Occidentalium institutione. Ejus modus hic est. Processionem coram Episcopo acturis à custode Ecclesiæ in Sacrario ornamenta præbenda sunt, Presbyteris cappæ, Diaconis stolæ & Dalmaticæ, Subdiaconis sibi congruæ vestes & mappulæ in sinistra manu ferendæ, Acolythis candelabra & thuribulum portaturis casulæ. Tertia verò impleta procedunt Diaconi de sacrario dividentes se in duas partes, quatuor ad dexteram, tres ad sinistram. Et tunc procedit Episcopus, eoque innuente cantatur Introitus. Post hæc ponit incensum in thuribulo, & osculatur Evangelium: & procedunt Acolythis cum candelabris; primum unus, deinde duo & duo, & Subdiaconi similiter, atque post eos Diaconi. Et sic procedit Sacerdos in chorum ducentibus eum duobus Presbyteris cappis indutis. Hæc summam ibidem. Nunc autem quomodo fiat hujusmodi processio, Ceremoniale Episcoporum, & alii libri rituales indicant, qui omnium manibus teruntur. Sunt tamen diversarum Ecclesiarum diversæ consuetudines, quas si vellem singillatim describere, nimis in longum hoc caput protraheretur. Unam ex his non omitam, quæ est Ecclesiæ Turonensis, ex libro de processionibus Ecclesiasticis Jacobi Eveillon Canonici Andegavenfis cap. 5. In Ecclesia, inquit, Turonensi magno splendore & apparatu procedit hæc pompa. Agmen ducit Thesaurarius longo intervallo præcedens & cereum accensum candelabro argenteo præferens, affectante apparitore, qui turbam submoveat. Sequuntur ordine singularim incedentes, sed longo ab invicem spatio sejuncti, septem pueri symphoniæ albis & tunicis vestiti cum singulis candelabris & cereis ardentibus. His succedunt sex subdiaconi tunicis quoque, & cætero sui ordinis cultu insignes, quorum unus crucem sublimes effert, tres deinde sanctorum Reliquias, duo reliqui libros argenteos inauratos Epistolarum & Evangeliorum missalium gestant. Tum Diaconus & Subdiaconus majores ad præcipuum altaris ministe-

rium præcincti: post hos qui crucem Archiepiscopalem & pastorem baculum præferunt. Postremo loco progreditur Archiepiscopus Pontificali ornatu conspicuus cum duobus assistentibus Canonicis, & totidem Clericis seu Capellanis. Pluviale Pontificium ab utraque parte sublevantibus. Hoc ordine procedunt à secretario in navim Ecclesiæ secundum dextrum chori latus, atque inde per medium chorum ad altare: exceptis dumtaxat pueris ceterariis, qui cum ad summum chorum venerint, ibi ad lineam directi consistunt, quatuor à dextera, tres à sinistra parte, & prætereunte Pontifice omnes candelabra sua ordinatim disposita in solo ante aquilam pulpiti collocant, atque inde se cedentes duo ad altare pergunt, reliqui scholæ cantorum se adiungunt. Atque hunc procedendi ritum antonomastice *Ordinem* vocant. Eiusdem processionis mentionem faciunt Amalarius lib. 3. cap. 5. Rupertus Abbas lib. 1. cap. 28. & Gemma animæ lib. 1. cap. 7. qui tamen symbolicas dumtaxat ipsius rationes edisserunt.

III. Sacerdos cum pervenerit ad altare stans in infimo ejus gradu, præmissis psalmo *Judica me Deus*, recitat cum ministris Confessionem, quæ finita ascendens ad altare dicit orationes *Aufer à nobis*, & *Oramus te Domine*: & si sit Episcopus solemniter celebrans, osculatur Evangelium. Deinde ipsa Ara incensatur, choro interim introitum concinente. In Ordine Romano cum sint quatuor Missæ descriptiones, quæ ferè coincidunt, non nisi in secunda, quæ ex institutione Patrum occidentalium dicitur esse, mentio fit confessionis, nulla tamen ejus formula præscripta. *Pontifex*, inquit, *postquam in medietatem chori perducitur, Presbyteris qui eum ducebant sive Diaconibus manus ejus osculantibus, propriaque repetentibus loca, inclinans se Deum pro peccatis suis deprecatur. Tunc erectus primum duobus Presbyteris, deinde Diaconis omnibus pacis oscula dabit per ordinem.* Post hæc ascendens ad altare, primo Evangelium, deinde ipsum altare osculatur. Quæ quidem oscula tum ministrorum, tum Evangelii, & altaris, in omnibus ferè antiquis Ritualibus sancita sunt. Quod verò Missam generalis confessio antecedit, ritus antiquissimus est, ut mox ostendam; sed diversæ in diversis Ecclesiis ejus formulæ sunt. Præmittitur signum crucis, à quo omnia auspiciari semper christianis solemne fuit, teste Tertull. qui *l. de cor. mil. c. 3.* inter ea quæ ex traditione sine ullius scripturæ testimonio usurpantur,



hoc etiam recenset. Sequitur Psalmus *Judica me Deus*, cum Antiphona *Introibo ad altare Dei*; quem tempore S. Ambrosii dici consuevisse asserunt recentiores, qui de Missæ sacrificio scribunt, sed perperam; liber enim de initiandis cap. 8. & liber quartus de Sacramentis cap. 2. quæ duo loco ab illis citantur; nec de sacerdote, nec de Missa loquuntur; sed de recenter baptizatis. *His abluta plebs*, ait Ambrosius loco priori, *dives insignibus ad Christi contendit altaria dicens: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquile juventutem, caeleste illud festinat adire convivium.* Et libro citato de Sacramentis, *Veniebas*, inquit, *desiderans ad altare, quo acciperes Sacramentum. Dicit anima tua*, Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Deposisti peccatorum senectutem, sumpisti gratiæ juventutem. Hoc præstiterunt tibi sacramenta caelestia, Baptismi videlicet & Confirmationis*, de quibus in præcedentibus sermo fuit. Citant quoque in hunc psalmum Augustini commentarium; verùm si quis ipsum attentè legerit, nihil reperiet de ejus ante synaxim recitatione. In Missa edita ab Illyrico ponitur hic psalmus peracta confessione ab Episcopo recitandus postquam osculum pacis præbuit ministris. In alia veteri Missa codicis Chisii idem psalmus cum Antiphona *Introibo à Sacerdote & ministris alternatim dici ante confessionem* statutus est, ut hodie fit. Micrologus quoque cap. 23. *Paratus*, inquit, *Sacerdos venit ad altare dicens Antiphonam*, Introibo ad altare Dei, & psalmum *Judica me Deus, post quem sequitur confessio.* Alia Missa ex codice Tiliiano apud Menardum, postquam Episcopus indutus est vestibus sacris, ait, *osculetur duos Presbyteros & duos diaconos incipiens per se*, Introibo ad altare Dei cum psalmo *Judica me Deus.* Ex Missali antiquo Bibliothecæ Vaticanæ num. 4772. Sacerdos hunc psalmum recitat cum antiphona, dum pergit ad altare, quò cum pervenerit, dicit confessionem. Eundem ritum servant Carmelita. Missale Romanum à Paulo III. recognitum & Lugduni editum ann. 1550. dicit hunc psalmum præcipit à solo sacerdote manifestè vel sub silentio antequam accedat ad altare. In aliis verò tam editis quàm M. SS. Missalibus multò ante Paulum III. idem mos statuitur, quo nunc utimur: cujus etiam mentionem faciunt Stephanus Brulefer Armoricus, qui vivebat ann. 1480. in *declaratione mysteriorum Missæ*, &

Guibertus de Tornaco, qui floruit ann. 1266. lib. de officio Episcopi cap. 17. vir denique sacrorum rituum peritissimus Paris Crassus in M. SS. ceremoniali summi Pontificis cap. 65. arbitrarium suo tempore fuisse ait hunc psalmum dicere vel omittere. Licet enim ex consuetudine etiam in Missis pro defunctis diceretur, nulla tamen id lege stabilitum erat. Ex his autem benè perpensis intelligimus, ante annos ferè octingentos, quò tempore scriptus fuisse videtur Codex Chisius, hunc psalmum cum sua Antiphona ante Missam recitari consuevisse, eum tamen ritum nec ubique receptum, & quandoque mutatum, donec Pius V. in postrema Missalis recognitione ab omnibus, qui Romanis ritibus utuntur, eum confessioni præmitti præcepit.

IV. Expleto psalmo, tam Sacerdos, quàm ministri confitentur alterutrum peccata sua, asserentes generalibus verbis se in multis deliquisse; quod naturæ instinctu fit. Justus enim in primordio sermonis accusator est sui, ut ait Sapiens Prov. 18. secundum versionem septuaginta Interpretum. Hinc sacerdotes & prophetae veteris testamenti ea verba veluti formulam consuetam deprecationibus suis præmittebant, *Peccavimus, Domine, injustè egimus, iniquitatem fecimus*; & hæc generalis confessio omnia illorum sacrificia præcedebat, ut testatur R. Moses Majemonides in lib. Jad tract. de penitentia, & tract. de precibus totius anni. Hinc etiam Jacobus Apostolus Liturgiam suam à peccatorum accusatione exorditur his verbis: *Peccatorum multitudine inquinatum ne me spreveris, Domine Deus noster. Ecce enim accedo ad divinum hoc & supercaeleste mysterium; & indignus quidem, sed de tua bonitate confusus emitto tibi vocem: Deus sis mihi peccatori propitius. Peccavi in caelum & coram te, neque dignus sum qui oculos obvertam huic sacræ & spiritali mensæ, in qua unigenitus filius tuus & Dominus noster Jesus Christus mihi qui peccator sum & omnibus maculis labefactatus mysticè proponitur in sacrificium.* Sic in ea, quæ Marci Evangelistæ nomen præfert, Sacerdos initio petit à Deo remissionem peccatorum & propitiationem omni populo suo. Sic Basilius in prece, qua sacris operaturus uti solebat, totus est in petenda peccatorum remissione. „ Ne respexeris, inquit, me impurissimum peccatorem, meæve causæ iratus sis populo tuo. Ne memineris Domine turpium sermonum, quos ex ore meo protuli, ut non exaudias preces meas. Parce pravitati meæ, elue maculas peccatorum meorum, exterge sordes cordis



cordis mei, emunda mentem meam ab omni pu-  
 tredine delictorum. Simili modo in Ordine ob-  
 lationis, quem scripsit Severus Patriarcha Alex-  
 andrinus, Sacerdos initio petit veniam peccato-  
 rum, recitans psalmum quinquagesimū. Et paucis  
 interjectis ait: „peccavi tibi, propitius esto pec-  
 catori, suscipe deprecationem meam, & condo-  
 na mihi delictum meum, Domine dominator  
 omnium miserere mei Consentiant Æthiopes,  
 quorum Sacerdos initio Missæ sic ait: „Tu scis  
 Domine, quod huic mysterio sancto, quod ex te  
 procedit, immundus sum. Non est mihi facies  
 appropinquandi, neque os laudem tuam aper-  
 riendi, & gratias agendi. Sed solum propter  
 multitudinem miserationum tuarum parce mi-  
 hi Domine quia peccator sum. Iisdem ferè ver-  
 bis Basilii Magni Liturgiam inchoat, quam ex  
 veteri lingua Ægyptiaca & ex Arabica in Lati-  
 num transtulit Victorius Scilach Maronita.  
 Domine, inquit, qui nosti corda omnium: san-  
 cte qui quiescis in sanctis; qui solus sine peccato  
 es: qui potes dare veniam peccatis. Tu Do-  
 mine nosti nos non esse dignos, neque esse paratos,  
 sed indignos hoc ministerio tuo sancto. Non  
 mihi est facies ut accedam ad ingrediendum,  
 atque ut os aperiā coram gloria sancta tua: sed  
 secundum multitudinem clementiæ tuæ parce  
 mihi peccatori. Eumdem ritum servant Maro-  
 nitæ, quorum Sacerdos in principio Liturgiæ re-  
 citat ante altare hanc orationem, „Rogo te Deus,  
 ut facias me dignum accedere ad altare tuum  
 mundum sine macula & sordibus, quia servus  
 peccator sum, & commisi peccata & absur-  
 da coram te, neque sum dignus accedere ad al-  
 tare tuum mundum, neque ad sacramenta tua  
 sancta: sed rogo te, o pie, o misericors, o ama-  
 tor hominum, respice me oculo misericordiæ.  
 Et postea dicit totum psalmum *Miserere mei Deus*.  
 Sacerdos quoque Armenus cum vestibus sacris in-  
 ductus est, ante altare inclinatus dicit confessio-  
 nem more Latinorum, ut ex eorum Liturgia con-  
 stat edita Romæ typis Congregationis de Propa-  
 ganda fide; cui consonat eisdem synopsis apud  
 Cassandrum cap. 12. Liturgicorum. Idem mos  
 reperitur in aliis Liturgiis orientalium, atque huc  
 pertinent tot Latinorum Apologiæ, de quibus  
 supra loquutus sum.

V. Confessionem, qua nunc utitur Romana  
 Ecclesia, Pontianum Papam, sive Damasum  
 instituisse ajunt plerique recentiores, quorum  
 assertio sine legitimo teste nullius apud me ponde-  
 ris est. Non dubito, quin aliqua formula generalis

confessionis antiquissima sit & Apostolicæ tradi-  
 tionis; sed hanc specialem, quæ hodie in usu est,  
 Pontiano vel Damaso assignare, tacentibus hac de  
 re præcis scriptoribus, non audeo. Ad eam alludit  
 in suo Pœnitentiæ Egbertus Episcopus Eboracensis,  
 qui vivebat anno 730. „Dic ei cui con-  
 fiteri vis peccata tua: mea culpa, quia nimis in  
 cogitationibus, locutione, & opere peccavi. *Tunc  
 sequitur benedictio super pœnitentem.* Misereatur  
 tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia  
 peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet  
 te in omni opere bono, & perducatur ad vitam æ-  
 ternam. Quæ formula extat in antiquis Missa-  
 libus Romanis, & aliarum Ecclesiarum, ex quibus  
 nonnullæ sunt, quæ adhuc ea utuntur. In Missa  
 Illyrici non exprimitur forma confessionis, sed  
 omittitur; sicut & alia, quæ communia erant &  
 omnibus nota. *Coram altare, inquit, stans cum pro-  
 cessione proferens confessionem dei indulgentiam mi-  
 nistris.* Missa vetus Menardi ex codice Ratoldi  
 Abbatis loco confessionis ponit hanc orationem:  
*Suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ:*  
 quæ extat in Missa Illyrici. Eadem oratio Con-  
 fessionis vicem supplet in Codice Tiliano, alia ad-  
 dita quæ incipit, *Deus propitius esto mihi peccatori.*  
 In Codice Chisio confessio his verbis concepta  
 est: „Confiteor Deo omnipotenti & istis, quorum  
 scilicet Reliquiæ in eo altari sunt, & omnibus  
 Sanctis ejus, & vobis fratribus, quia ego miser  
 peccavi nimis in lege Dei mei, cogitatione, ser-  
 mone, & opere, pollutione mentis & corporis,  
 & in omnibus malis, quibus humana fragilitas  
 contaminari potest; propterea precor vos, ut  
 oretis pro me misero peccatore. Sequuntur ora-  
 tiones pro absolutione, ut infra in Appendice.  
 Brevius concipitur apud Micrologum cap. 23.  
 Confiteor Deo omnipotenti, istis & omnibus  
 Sanctis, & tibi frater; quia peccavi nimis co-  
 gitatione, locutione, opere, & in pollutione  
 mentis & corporis. Ideo precor te, ora pro me.  
 Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi  
 omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, &  
 confirmet te in omni opere bono, & perducatur  
 nos pariter Jesus Christus filius Dei vivi in vitam  
 æternam. Amen. Indulgentiam & remissionem  
 omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis  
 omnipotens & misericors Dominus. Amen. In  
 antiquis consuetudinibus Monasterii Cluniacensis  
 l. 2. c. 30. apud virum eruditissimum Lucam Dacherium  
 to. 4. sui *Spicilegii* statuitur, ne confessio  
 verbis amplioribus quàm istis dicatur. *Confiteor  
 Deo & omnibus Sanctis ejus, & vobis Pater, quia  
 peccavi*



peccavi in cogitatione, locutione, & opere: mea culpa, precor vos orare pro me. Harum consuetudinum verustum exemplar vidi in Bibliotheca Vaticana Palatina nu. 564. In Missali Romano M. S. Bibliotheca Barberine num. 1861. confessio his verbis exprimitur. *Confiteor Deo omnipotenti, & B. Mariae Virgini, & beatis Apostolis Petro & Paulo, S. Augustino, S. Hieronymo, & omnibus Sanctis, & vobis Pater, me graviter peccasse per superbiam in lege Dei mei, cogitatione, delectatione, omissione, consensu, verbo, & opere, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatissimam & gloriosam Virginem Mariam, & omnes Sanctos & Sanctas, & vos Patrem orare pro me.*

VI. In Missali Ecclesiae Sarisburiensis in Anglia, edito Parisiis an. 1555. hic ritus inchoandi Missam praescribitur. Cum Sacerdos induit se, incipit. *Veni Creator Spiritus, cum oratione, Deus cui omne cor patet. Sequitur psalmus Judica me Deus, cum Antiphona, Introibo, qua post Psalmum repetita, dicit Kyrie eleison, Pater noster, Ave maria. His dictis accedit ad gradum altaris & ait, Confitemini Domino quoniam bonus: Quoniam in saeculum misericordia eius. Confiteor Deo, B. Mariae, omnibus Sanctis, & vobis, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, & opere: mea culpa: Precor S. Mariam, omnes Sanctos, & Vos orare pro me. Misereatur tui omnipotens Deus, dimittat tibi peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet & confirmet in omni opere bono, & perducatur te ad vitam aeternam. Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae poenitentiae, gratiam & consolationem S. Spiritus tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. Adjutorium nostrum in nomine Domini: Sit nomen Domini benedictum. Deinde osculatur Diaconum & Subdiaconum dicens, Habere osculum pacis & dilectionis, ut apti sitis sacrosancto altari ad perficiendum officia divina. Missale Hispalense de mandato Alfonso Manrique Cardin. & Archiepiscopi editum an. 1574. hanc habet confessionem. *Confiteor Deo B. Mariae, & omnibus Sanctis eius: & vobis fratres manifesto omnia peccata mea, quia peccavi nimis per superbiam cogitatione, locutione, opere & omissione, & in cunctis vitis meis malis, mea culpa. Misereatur, ut in Romano. Indulgentiam & remissionem & absolutionem omnium peccatorum nostrorum, & spatium verae ac fructuosae poenitentiae per gratiam S. Spiritus tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. Sequuntur tres orationes, Ausere a nobis, Sancti Spiritus Domine corda nostra mundet infuso. Exaudi quaesumus Domine supplicium preces. Item oratio, Deus qui de indignis dignos facis. Tum signat se & accedit ad altare.**

Missale Augustanum ab Othone Cardinali Episcopo ante annos centum editum initium Mis-

sa sic exhibet. Sacerdos stans ante altare ait, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia. Amen. Sequuntur verlus, Et introibo ad altare Dei. Confitemini Domino quoniam bonus. Tum flexis genibus sic confitetur. Ego reus & conscius omnium malorum meorum, Confiteor Deo Patri omnipotenti, & B. Mariae semper Virgini, & omnibus Sanctis, & vobis in Christo, quod ego miser & indignus peccator peccavi nimis in vita mea, mala cogitatione, locutione, consensu, visu, ore, opere, & omissione, mea culpa, mea gravissima culpa. Ideo precor gloriosissimam Virginem Mariam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, atque Andream, Udalricum, Sebastianum, Vitum, sanctas Mariam Magdalenam, Catharinam, Barabaram, Afram cum sodalibus suis, istos & homines, & omnes Sanctos Dei & patronos, & vos orare pro me peccatore. Amen. Absolutio. Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnibus peccatis vestris perducatur vos Dominus noster Jesus Christus sine macula cum gaudio in vitam aeternam. Amen. Oratio. Indulgentiam, remissionem, & absolutionem omnium peccatorum nostrorum, spatium vitae ac verae poenitentiae, cor semper poenitens, & felicem consummationem per gratiam Spiritus Sancti Paracliti tribuat nobis pius Pater & misericors Dominus. Amen. Versus. Exurge Domine adjuva nos. Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oratio. Exaudi quaesumus Domine supplicium preces.*

Ecclesia Lugdunensis sic peragit Confessionem. Et introibo ad altare Dei. Pone Domine custodiam ori meo. Confitemini Domino quoniam bonus. Confiteor Deo omnipotenti. Misereatur vestri omnipotens Deus. Amen. Fratres per virtutem sanctae crucis, & per intercessionem beatae & gloriosae semperque Virginis Mariae, & per merita omnium Sanctorum Dei. Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat nobis omnia peccata, & perducatur nos Dominus noster Jesus Christus cum suis Sanctis ad vitam aeternam. Amen. Absolutionem & veram remissionem omnium peccatorum vestrorum per confessionem, contritionem, poenitentiam, & per satisfactionem & emendationem vitae tribuat nobis omnipotens Pater, pius & misericors Dominus. Amen. Adjutorium nostrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum. Orationes. Conscientias nostras. Adsit nobis quaesumus Domine virtus Spiritus Sancti. Amen.



„Amen. Et gratia S. Spiritus illuminare digne-  
 „tur hodie sensus, corda, & corpora nostra.  
 „Amen. Pœnitentiam peto pro omnibus pec-  
 „catis & offensionibus meis. Pater noster. Et  
 „vobis fratres. Ave Maria. *Oratio ante altare.*  
 „Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam defi-  
 „deras peccatorum, me miserum fragilemque  
 „peccatorem à tua non repellas pietate, neque  
 „aspicias ad peccata & scelera mea, & immun-  
 „das turpesque cogitationes, quibus flebiliter à  
 „tua disjungor voluntate, sed ad misericordias  
 „tuas, & fidem devotionemque eorum, qui per  
 „me peccatorem tuam expetunt misericordiam.  
 „Et quia me indignum medium inter te & popu-  
 „lum tuum fieri voluisti, fac me talem, ut dignè  
 „possim exorare misericordiam tuam pro me,  
 „& pro eodem populo tuo. Et adijunge voces  
 „nostras vocibus Angelorum tuorum, ut, sicut  
 „illi te laudant in excessa beatitudine, ita nos  
 „quoque eorum interventu mereamur te laudare  
 „in hac peregrinatione. Per Dominum.

VII. In Missa, cui S. Gregorii nomen tribu-  
 tum est, edita Parisiis studio Joannis à S. Andrea  
 cum interpretatione græca Georgii Codini, Sa-  
 cerdos sic incipit, *Confitemini Domino quoniam*  
*bonus; & respondet minister, Quoniam in seculum*  
*misericordia ejus.* Deinde Sacerdos dicit: *Confiteor*  
*Deo, B. Virgini Mariæ, & omnibus vobis fra-*  
*tres, quia peccavi nimis verbo, opere, cogitatione, &*  
*omissione. Ideo precor vos ut oretis Deum pro me.*  
 Tum respondent qui adsunt per ministrum. *Mise-*  
*recatur tui omnipotens Deus, & tribuat tibi remis-*  
*sionem peccatorum tuorum, & liberet te ab omni malo,*  
*salvetque te & confirmet in omni opere bono, & per-*  
*ducatur ad vitam æternam. Per Dominum nostrum.*  
 Deinde precatur Sacerdos: *Absolutionem & re-*  
*missionem omnium peccatorum nostrorum tribuat no-*  
*bis omnipotens Dominus.* Sequitur, *Adjuvium no-*  
*strum, & oratio, Aufer à nobis.*

Missale Romanum Pauli III. auctoritate edi-  
 tum hanc brevissimam confessionis formulam ha-  
 bet. *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper*  
*Virgini, B. Petro, & omnibus Sanctis, & vobis fra-*  
*tres, quia peccavi, mea culpa: precor vos orare pro*  
*me.* Verumtamen in multis M. SS. ante annum  
 1300 eadem profus legitur, quæ nunc in Missali  
 Pii V. statuta est. In veteri ritu Mozarabum  
 nulla erat confessio, sed eam addidit Cardinalis  
 Ximenez: vicem autem confessionis supplebant  
 aliæ orationes, quæ Libro I. Cap. II. in illius  
 Missæ descriptione legi possunt. In ordine Roma-  
 no & aliis vetustissimis Ritualibus multæ sunt for-

mulæ confessionis generalis admodum proluxæ,  
 & multa peccata continentes, quæ vix queant  
 in uno homine reperiri. Hæ verò à publicè pœ-  
 nitentibus in Ecclesia fieri solebant, & non per-  
 tinent ad nostrum institutum. In ipsa autem ge-  
 nerali confessione pectora tundimus latentes in  
 conscientia culpas eâ tunctione accusantes & casti-  
 gantes, cujus ritus mentionem faciunt antiqui  
 Patres. Gregorius Nazianzenus orat. 15. *Tem-*  
*plum cum ciliciis ingrediamur, ac diu noctuque in-*  
*ter gradus & altare pectora tundamus.* Augusti-  
 nus serm. 8. de verbis Domini. „Sequutus est  
 „sonus tunctionis pectoris vestri, audito scilicet  
 „quod Dominus ait, *Confiteor tibi Pater.* Tun-  
 „dere autem pectus, quid est, nisi arguere,  
 „quod latet in pectore, & evidenti pulsu occul-  
 „tum castigare peccatum? Confiteor audistis,  
 „qui confitetur non attendistis. Adeo videli-  
 „cet assueti erant fideles tunctioni pectoris, cum  
 peccata confitebantur, ut audito hoc verbo *Con-*  
*fitetur,* statim pectus manu pulsarent. Idem Au-  
 gustinus in Psal. 146. „Quid aliud significat pe-  
 „ctorum tunctio? Nisi fortè putamus ossa nostra  
 „aliquid peccasse cum tundimus pectus. Sed  
 „significamus nos cor conterere, ut à Domino  
 „dirigatur. Sic Publicanus apud Lucam percu-  
 tiebat pectus suum dicens, *Deus propitius esto mi-*  
*hi peccatori.* Et qui morti Christi Domini præ-  
 sentes fuerant videntes prodigia quæ facta sunt,  
 revertebantur percutientes pectora sua. Hoc au-  
 tem ductu naturæ fit, quia de corde exeunt co-  
 gitationes malæ & omnia peccata, & percutientes  
 pectus culpas nostras agnoscimus & fateamur.

VIII. Confessione subduntur aliquot versiculi  
 ex Psalmis, qui in diversis Ecclesiis diversi sunt:  
 tum sequitur oratio, *Aufer à nobis,* quæ extat  
 in vetustissimis Missalibus & in Ordine Romano  
 in officio dedicationis Ecclesiæ post Litanias, ejus-  
 que meminit Micrologus cap. 23. sed apud illum  
 præcedit confessionem. Est etiam in Missali Mo-  
 zarabico sic concepta: „*Aufer à nobis quæsu-*  
 „mus Domine cunctas iniquitates nostras, & spi-  
 „ritum superbiæ & elationis cui resistis, & reple  
 „nos spiritu timoris, & da nobis cor contritum  
 „& humiliatum quod non spernis, ut ad sancta  
 „sanctorum puris mereamur mentibus introire.  
 „*Eodem sensu Maronitæ initio Missæ sic orant:*  
 „*Fac nos Domine Deus lotis jam cordibus to-*  
 „*stris & emundatis ab omni conscientia mala*  
 „*& cogitationibus sordidis dignos introire ad*  
 „*sancta sanctorum tua alta & excelsa, & splen-*  
 „*didè ac purè stare ante altare tuum sanctum, &*



ministrare tibi victimas spirituales & excelsas, in fide & veritate. Denique Sacerdos ascendens ad altare ipsum in medio osculatur dicens hanc orationem: *Oramus te Domine per merita sanctorum tuorum, quorum Reliquia hic sunt, & omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea.* Idem autem Sanctos commemorat, quorum Reliquia ibi sunt, quia sine illis altare non consecratur, ut supra ostendimus, cum de Templis ageremus. Nota vero Orthodoxae fidei apud veteres erat Sanctorum memoriis communicare; & illic offerre sacrificium, ubi illorum corpora asservantur. Testis est Optatus Milevitanus lib. 2. arguens Macrobius Donatistam, quod memoriis Sanctorum non communicaret tamquam Schismaticus. Ibi, inquit, id est Romae, sunt duorum memoria Apostolorum. Dicitur si ad has ingredi potuit, ita ut obtulerit illis, ubi Sanctorum memorias esse constat. Testis Hilarius lib. adversus Constantium, *Audi haeretice, ait, damnationis publicum sensum & intellige te divinae religionis hostem, & inimicum memoriis Sanctorum.* Quamvis enim communicatio cum Sanctis per fidem, spem, & charitatem praecipue intelligatur; semper tamen Christiani Martyrum sepulchra venerati sunt, & super illa altaria erexerunt, eorumque Reliquias habere optaverunt, ut cum iis etiam mortuis, quantum fieri potest, communicarent.

## CAPUT III.

*De Introitu & ejus institutione. Antiphona quid sit. Hymnum Gloria Patri Apostolicae traditionis esse. Omnes introitus ex Psalmis, paucis exceptis. Tropi aliquando iis additi. Quaedam illorum exempla. De veteri versione Psalmorum, quae Italica dicitur, ejusque usu in Missa. Eam adhuc vigere apud nonnullos in divinis officiis. Graecorum duplex Introitus.*

**I.** **D**Um Sacerdos ad altare procedit, chorus psallit antiphonam, quae ritu Romano Introitus, Ambrosiana Ingressa dicitur; quia nimirum tunc canitur, cum Sacerdos intrat ad altare. Ejus institutio ab his qui Ecclesiasticos ritus explanant, Caesestino Papae unanimi fere consensu tribui solet. Auctor enim libri Pontificalis in ejus vita sic scribit. *Hic constituit ut CL. Psalmi David ante sacrificium psallerentur antiphonatum, quod ante non fiebat, nisi tantum recitabantur epistola Pauli & S. Evangelium & sic Missa fie-*

*bant.* Quomodo autem haec Psalmorum modulatio intelligenda sit, an de aliquibus tantum versiculis, & de quibus, an de aliquo integro psalmo diverso pro diversitate officiorum, an de antiphona ex psalmis excerpta, obscurum est. Amalarius lib. 3. c. 5. postquam dixit additum Missae hoc officium à Caesestino, ait: *Quod nos ita intelligebamus, ut ex psalmis exciperet antiphonas, quae psallerentur in officio Missae.* Nam antea incubabatur Missa à lectione: qui mos adhuc retinetur in vigiliis Paschae & Pentecostes. Consentit Valtridus Strabo cap. 22. dicens: *Antiphonas ad Introitum dicere Caesestinus Papa instituit, sicut legitur in gestis Pontificum Romanorum, cum ad ejus usque tempora lectio una Apostoli tantum & Evangelium legerentur.* Subscribunt Micrologus & Berno Abbas, uterque cap. 1. At Honorius in Gemma animae libro 1. *Caesestinus, inquit, Psalmos ad introitum Missae cantari instituit, de quibus Gregorius Papa postea antiphonas ad Introitum Missae modulando composuit.* Ego autem Honorio, tamen recentior sit, libentius adhæreo, quam Amalario. Priscus enim auctor, qui gesta Pontificum scripsit, ait, Caesestinum constituisse, ut psalmi antiphonatum cantarentur. Quid est autem canere antiphonatum, nisi alternis choris? quem modum loquendi licet recenset Vossius inter vitia sermonis lib. 4. c. 3. non audeat tamen de hac voce ut barbara contendere, cum in re nova novam fingere licuerit. *Antiphona* teste Isidorol. 6. c. 19. *Originum, ex graeco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatim psallentibus.* Statuit igitur Caesestinus psalmos alternatim cantari ante Missam, sed postea Gregorius Magnus unam ex illis antiphonam selegit pro Introitu, & alias pro Responsorio, offertorio, & communione, quas in unum congeffit, & ex his librum composuit, quem Antiphonarium nuncupavit. Alii Graduale vocant, quia nonnullae ex illis, quae post epistolam dicuntur, in loco eminentiori cantari solebant, ad quem Cantores per gradus ascendebant. Cum autem Introitus & reliqua omnia reverà antiphonae sint, in codice tamen Gregoriano solus Introitus antiphonae nomen peculiariter sortitus est; (post quem olim integer psalmus cani consueverat. Testatur Augustinus, qui eodem quo Caesestinus tempore vixit, lib. 2. *Retractat. c. 11.* coepisse tunc apud Carthaginem hunc morem, ut hymni ad altare de Psalmorum libro dicerentur, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum: quod cum Hilarius



vir Tribunicus acriter reprehenderet, asserens fieri non oportere, scripsit adversus ipsum Augustinus, pro defensione introductæ Psalmodiæ: quem librum sic recenset Possidius in Indiculo, *Contra Hilarium de canticis ad altare liber unus*. Atque utinam hæc extaret, multa enim in ipso haberemus, quibus hic tractatus illustrior redderetur. Genezardus lib. de Apostolica Liturgia c. 17. manifesti erroris eos arguit, qui dicunt Cælestinum instituisse, ut Psalmi in Introitu Missæ cantarentur, antiquiorem enim ritum putat ex Dionysio l. de Eccl. hierar. c. 3. §. 2. ubi ait: „ Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus ab ejusdem sufficione initium faciens univrsum circuit chori ambitum, donec rursum ad altare divinum rediens. sacrum inquit Psalmorum melos, omni ordine ecclesiastico sacram ipsi Psalmodiam succinente. Supponit autem Genezardus tamquam certum, id quod supra ostendimus valde dubium esse, hunc scilicet Dionysium esse illum Areopagitam Pauli Apostoli prædicatione ad fidem conversum. Quod licet ei concedamus, non tamen inde sequitur errasse præfatos scriptores, qui hanc institutionem Cælestino tribuerunt. Scimus enim diversos fuisse mores græcorum & latinorum, & forsitan Cælestinus consuetudinem, quæ dudum vigerat in orientalibus Ecclesiis, transfudit ad occidentales. Sunt etiam quidam recentiores aliâ non indocti, qui tempore Cassiani Psalmos in monasteriis Aegypti ad Missam decantatos fuisse asserunt, quia nimirum lib. 3. Institut. cap. 11. ille scripsit, „ die Dominico unam tantummodo Missam ante prandium celebrari, in qua Psalmorum, atque orationum seu lectionum pro ipsius Collectæ vel communionis dominicæ reverentia solemnius aliquid ac propensius impendentes in ipsa Tertiam Sextamque pariter consummatam reputant. Verum Missa hoc loco non pro sacrificio, sed pro conventu Monachorum ad persolvendum divinum officium accipitur, quamvis in hoc conventu ipsum etiam sacrificium comprehendatur. Sensus igitur Cassiani est, quod cum cæteris diebus Tertiam & Sextam per intervalla persolverent, sicque fierent duæ Monachorum dimissiones, sive Missæ; die Dominico semel tantum ad Ecclesiam conveniebant, ac ibidem unico contextu Tertiam, & postmodum Liturgiam, ac demum Sextam recitabant, quæ peractâ discedebant, & sic unam tantum Missam seu dimissionem agebatur.

II. Post Introitum olim, ut dixi, integer Psal-

mus; nunc unus ejusdem versiculus decantatur cum *Gloria Patri*: qui versus ab antiquis Patribus hymnus glorificationis dictus est. Nicephorus l. 9. eccles. histor. c. 24. ejus auctorem facit Flavianum Monachum Antiochenum: alii verò à Synodo Nicæna institutum asserunt; sed vetustiorum esse & ab Apostolis traditum fuisse demonstravi in Lib. de divina Psalmodia c. 16. §. 6. Athanasii & Basilii testimonio. Cum enim fideles ab initio Ecclesiæ in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizati essent, ipsis tribus personis hunc hymnum glorificationis canere didicerunt. Primus qui eum mutavit, Aëtius fuisse dicitur Ecclesiæ Antiochenæ diaconus Arianismi instaurator, sic cani instruens, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: quæ verba licet per se nullam hæresim contineant, subdole tamen ab Arianis usurpabantur, ut illorum æquivocatione suam impietatem celarent. Illis in sensu Orthodoxo usus est S. Leo serm. 1. de Nativitate dicens, *Agamus dilectissimi, gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu Sancto*. At verò Basilius cum eisdem verbis sermonem ad populum conclusisset, catholicis displicuit, & pro illorum defensione librum apologeticum edidit, quem de Spiritu sancto ad Amphilo-chium inscripsit, sed non omnibus satisfecit. Adeo verum est, oportere Catholicum Doctorem irreprehensibilem esse, & à vocibus abstinere, quæ communiter suspectæ habentur, & pias aures offendunt, quamvis veræ sint & Orthodoxæ in eo sensu, quo scribentes vel prædicantes eas accipiunt & docent. Ideo Apostolus Timotheo præcepit, ut depositum custodiret, & profanas vocum novitates devitaret. Sed non est hujus loci hæc fufus prosequi. Additamentum *Sicut eras in principio*, putat Baron. ann. 325. num. 173. hymno glorificationis accessisse concilii Nicæni decreto adversus Arianos, qui dicebant de Filio, erat quando non erat. Alii verò existimant antiquis esse, & ad illud alludere Tertullianum lib. de spectaculis cap. 25.

III. In Antiphonario S. Gregorii omnes Introitus ex Psalmis Antiquo more desumpti sunt, paucis exceptis, quos Durandus lib. 4. Rationalis cap. 5. vocat irregulares, ut *Puer natus est nobis* in die Nativitatis Domini: *Viri Galilæi* in die Ascensionis: *Spiritus Domini* in die Pentecostes: *Nunc scio verè* in die sancti Petri: & alii pauci ex aliis scripturis. Sunt & aliqui, qui nec quidem ex Scriptura sacra excerpti sunt, ut *Salve sancta parens*: *Gaudemus omnes in Domino*, *Benedicta sis sancta Trinitas*, quibus caret Antiphonarium Grego-



Gregorianum. Disto versu *Gloria Patri* repetitur Introitus, quem nonnullae Ecclesiae ter psallunt in diebus solemnioribus. Ambrosiani nunquam repetunt, nisi in Missis defunctorum; sed ipsa Ingressa, quam vocant, semel sine Psalmo & Gloria recitata, Sacerdos dicit *Dominus vobiscum*; & sequitur immediatè *Gloria in excelsis Deo*, si dici debeat, alioquin oratio. Mozarabes postremam tantum partem bis repetunt, eo ritu quo Responsorialia cantat Romana Ecclesia: ut in Missa Nativitatis Domini, „ Benedictus qui venit, alleluja, In nomine Domini, alleluja, alleluja. *Versus*. Deus Dominus & illuxit nobis. „ In nomine Domini. Gloria & honor Patri & „ Spiritui Sancto in saecula saeculorum, Amen. „ In nomine Domini. *Joannes Beles* in suo libello de divinis officiis cap. 35. & Guillelmus Durandus testantur suis temporibus in quibusdam Ecclesiis tropos ante Introitum cantari consuevisse diebus solemnioribus ad majus gaudium representandum. Tropus autem idem est ac conversio, quoniam, ut ait Beles, istic quaedam fieri solent conversiones. Ad Troparia Graecorum hujusmodi Tropos accedere ait Pamelius in Praefatione Tomi secundi Liturgicorum. Nullum eorum vestigium inveni apud Scriptores, qui ante annum Christi millesimum libros de divinis officiis ediderunt. Quare Durando nullo modo credendum est, illorum institutionem Gregorio Magno adscribenti, nec Joanni Petro Ferrero Ravennati, viro alioquin erudito, qui Durandum sequitur lib. 6. de mirifici verbi libamine, qui extat M. S. in Bibliotheca Vaticana. Aliquando tropus ponitur immediatè ante Introitum, ut in festo Nativitatis ante illum Introitum *Puer natus est nobis* praecedat Tropus iste, *Ecce ad est de quo Prophetae cecinerunt dicentes*. Puer. Aliquando ipsi intermiscetur, una parte chori ipsum Tropum, altera Introitum continente: quorum extant exempla in antiquis Monasteriorum libris; à Monachis enim privata quorundam Abbatum auctoritate, ut prisca ferebant tempora, haec additamenta originem traxisse puto, qui non solum Introitus, sed alias etiam Liturgicas preces eodem modo, ut suis locis indicabo, interpolarunt.

*In die Pentecostes.*

**H**odie Spiritus Sancti gratia repleantur corda nostra, dicite esai. Spiritus Domini, Missus à sede Patris, Replevit orbem terrarum alleluja, igneis linguis. Et hoc quod continet, penetrabilia sentiendo, omnia. Omnipotentia Patri atque Filio

equalis. Scientiam habet vocis. Quod dies testatur praesens & fidelibus & incredulis. Alleluja, alleluja, alleluja. Adde me Tropos aliquando legisse exametro carmine compositos, quales sunt isti.

*In die sancti Stephani.*

**E**tenim federunt Principes, & adversum me eloquebantur. Nulli unquam nocui, neque legum iura resoluvi. Et iniuri persequuti sunt me. *Christe tuus fueram tantum qui a vite minister.* Adjuva me Domine. *Ne tuis in dubio frangar certamine miles.* Quia servus tuus exercebatur in tuis justificationibus.

*Dominica Palmarum.*

**I**srael egregius Psalter, clarusque poeta, sic quondam Christo David cantaverat almo. Domine ne longè facias miserationes tuas à me, sed celerem mihi confer opem, rex inclite caeli. Ad defensionem meam aspice, libera me de ore leonis, Qui cupit insontem morsu lacerare ferino. Et à cornibus unicornium humilitatem meam.

IV. Illud autem hoc loco non est praetermittendum, quod, cum omnes Introitus ex psalmore versibus ut plurimum compositi sint, Gregorius eorum auctor non eam Psalterii versionem sequutus est, qua hodie omnes Ecclesiae in divinis officiis utuntur; sed veterem quae ante S. Hieronymum in usu erat, & à sanctis Patribus Itala & vulgata dicebatur: atque idem in Responsorialibus, Tractibus, Offertoriis, & Communionibus exactissime observavit. Quae res cum non nihil habeat caliginis, breviter elucidanda est; plerique enim ignorant quae fuerit ista versio, & ex quibus fontibus emanarit. Id verò ut clarius explicetur, paulò altius ejus initium repetendum est. Notum est omnibus vel mediocriter eruditis, quantae olim auctoritatis fuit ante & post Christi adventum septuaginta duorum interpretum Graeca ex Hebraico sermone translatio. Illa enim Judaei in Synagogis utebantur, teste Tertulliano, qui de ea differens c. 18. Apologetici in fine ait, *sed & Judaei palam ledebant.* Eadem usi sunt Hebraeorum doctissimi Philo, & Josephus, ut ex libris ipsorum liquet. Sed & Apostoli ac fideles in exordio nascentis Ecclesiae eam publice in Ecclesiasticis conventibus legebant, ut Cyrillus Hierosolymitanus docet *Catech. 4.* in qua differens de his Interpretibus, eorumque auctoritate, *Hos, inquit, solos studiosè meditare, quos & in Ecclesia securè unquam recitamus.*



*hinc. Multo prudentiores se erant Apostoli, veteresque illi Episcopi Ecclesie antistites, qui hos tradiderunt. Idem asserit Irenaeus l. 3. c. 25. dicens postquam enarravit ipsorum Interpretum historiam. „ Apostoli consonant praedictae interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum „ traditioni. Etenim Petr. & Joan. & Matth. & „ Paulus & reliqui deinceps, & horum sectatores „ prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemad- „ modum Seniorum interpretatio continet. Qua de causa apud Christianos in magna semper veneratione fuit. Sed cum postea scriptorum vitio corrupta fuerit, ut Sancti Patres Justinus martyr in dial. cum Tripitone, Augustinus, de civit. Dei lib. 15. cap. 13. & Hieronymus Epist. 108. conqueruntur; eam primum Origenes, deinde Lucianus martyr, postmodum Hesychius, ac denique Hieronymus à mendis expurgarunt. An verò Origenes prototypum viderit, quod Tertullianus loco citato Apologetici credidit suo tempore integrum Alexandriae extitisse; & quando illud interierit, incertum est; nec mei instituti aut otii est in hujus rei disquisitione immorari. Cum igitur graeca ista translatio tantae apud omnes auctoritatis fuerit, omnes Latinae versiones, quae post Christi Domini in caelum ascensionem ac deinceps primis illis temporibus ante sanctum Hieronymum factae sunt, non ex Hebraeis fontibus immediate, sed ex Graeco textu LXX. expressae sunt. Erant autem eae versiones innumerabiles, quia ut scribit S. August. l. 2. de doct. Christ. c. 11. quicumque sibi videbatur aliquantulum facultatis utriusque linguae Graecae & Latinae habere, ausus est novam cudere interpretationem. Verum inter omnes illa praestantissima, & communiter ac ubique recepta fuit, quae Itala dicebatur, teste ipso Augustino qui libro citato cap. 15. ait: *in ipsis interpretationibus Itala caeteris praefertur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.* Cum autem Vulgatae & Veteris nomine tempore S. Hieronymi haec insignita fuerit, consequens est, eam caeteris antiquiorem fuisse, majoremque inter alias auctoritatem habuisse. Dicta est etiam Romana, quia illam ab initio recepit Romana Ecclesia. Et fortassis haec prima fuit ex graeco textu translatio ab aliquo Apostolorum discipulo facta, & à primis Ecclesiae fundatoribus visa & approbata, atque ab his ad Successores simul cum deposito fidei tradita, qua non solum sedes Apostolica, quae Latina versione nullo unquam tempore caruit; sed & reliquae Occidentales Ecclesiae utebantur; quamvis in*

eam aliquot mutationes irrepserint, vel Scriptorum audacia sive oscitantia, vel Episcoporum licentia, qui quaedam verba vel sententias ad suae regionis idiotismos accommodarunt. Porro hujus versionis integrum corpus nullibi extat, solumque psalterium remansit cum canticis, quae in divinis officiis recitantur. Sunt & aliquot ejus particulae in expositionibus sanctorum. Cum enim versio sancti Hieronymi, ut Ildorus scribit lib. 6. orig. cap. 3. caeteris melior & Hebraicae veritati magis consona aestimaretur, ac ideo ceperit in Ecclesiis legi, in conciliis citari, in commentariis exponi, vetus illa, quasi jam minimè necessarii esset, paulatim negligi coepit, donec tandem omnino interit, ac perpetua oblivione sepulta est. Suspicio autem id contigisse ducentis & amplius annis post Hieronymum: nam tempore Gregorii Magni utraque in usu erat & vetus & nova, ut ipse in fine Epistolae dedicatoriae expositionis in Job ad S. Leandrum Episcopum indicat, ubi novam versionem, Hieronymi scilicet, se exponere dicit, & quando causa comprobationis exigit, nunc novam nunc veterem assumere: *ut quia, inquit, sedes Apostolica, cui auctore Deo praesideo, utraque utitur, mihi quoque labor studii ex utraque fulciatur.* Solum autem Psalterium antiquissimae illius versionis, quae fidem Ecclesiae nascentis in Occidentalibus regionibus nutriverat, deplorabile naufragium evasit, quia cum illo in decantandis divinis officiis uterentur fideles, ipsumque longo usu memoriae mandassent, non potuit ab illis obtineri, ut novam translationem ediscerent, ac veterem, cui assueti erant, dimitterent. Hoc est illud Psalterium, cujus occasione ad ista digressus sum, ex quo Gregorius Introitus & reliqua excerptit, quae in suo Antiphonario continentur. S. Hieronymus jussu Damasi Papae hujus Italicae versionis errores quosdam magis conspicuos correxit: tum plebeios aliquot & soli Italiae familiares loquendi modos usitatoribus commutavit, reliquam versionem ob perspicuitatem latinis sermonis reliquit: istudque Psalterium sic emendatum illud est, quod nunc in Breviariis & in corpore Bibliorum extat, atque ideo à veteri non differt, nisi in his quae Hieronemendavit. Sed quia haec versio sic correctae hebraicis fontibus in plurimis non respondebat, aliam iterum fecit quae extat inter opera ejus, & quoniam ex hebraico textu immediate translata est, à vulgata nova & veteri ex Graeco textu LXX. Interpretum desumpta, plurimum discrepat tam in verbis quam in sententiis, ut quisque potest ex utriusque



collatione perspicere. Hæc autem ideò recepta non fuit, quia duæ priores quotidiano usu in Ecclesiis frequentatæ sine magna divini officii perturbatione non poterant abrogari. Priori editione pura, qualis erat ante S. Hieronymum, utebantur olim omnes Ecclesiæ Occidentales; Romana præsertim cum omnibus suburbicariis, ut constat ex antiquorum Patrum commentariis in Psalmos; donec idem Psalterium ab ipso Hieronymo interpolatum primum quidem in Gallia, nescio quo tempore, unde Gallicanum nuncupatum est, deinde in aliis regionibus introductum fuit. In omnibus autem Urbis Romæ Ecclesiis vetus illud permansit usque ad Pium V. qui ipsum sustulit, & in sola Basilica Vaticana reliquit, in qua nunc etiam religiosissimè recitatur, & novissimè sublati mendis, quæ irreperant, pristinae integritati restitutum est.

V. Eadem versione utuntur hodie vetusto more Ambrosiani, licet alicubi discrepet à Romana. In Breviario quoque veteri Hispanico secundum regulam S. Isidori, quod Mozarabicum dicitur, extat idem Psalterium, quo utuntur in divinis laudibus Clerici ex institutione Francisci Ximenez Archiepiscopi Toletani hoc ritu psallentes. In Italia extra diocèsim Romanam & Mediolanensem suspicor ejus usum sublatum ante annos plus minus sexcentos, nam Bruno Altensis ex Abbate Cassiensi Episcopus Signiensis, qui obiit anno 1125. initio expositionis Psalterii ait, Cum adhuc adolescentulus essem, exposui Psalterium secundum aliam translationem, quæ videlicet translatio pluribus in locis tantum differt ab hac, qua utitur Romana Ecclesia, ut nullo modo secundum illius expositionem hæc translatio intelligi possit. Et illa quidem multos habet expositores: hæc autem si aliquis exposuerit nescio. Exponit autem Psalterium illud vetus, quo suo tempore utebatur Romana Ecclesia, & postmodum semper usa est usque ad Pium V. ut dixi. Ex quo fit, ut Romæ dumtaxat recitaretur, in aliis vero Italiæ Provinciis illud in usu erat, quod adolescens exposuerat, quodque jam multos habebat expositores, utpotè ubique receptum. Alexander IV. in sua Constitutione quæ est sexta in Bullario Ordinis Eremitarum sancti Augustini, mandat Priori Generali & reliquis fratribus in Tuscia, ut recitent officium juxta morem Romane Ecclesiæ, excepto Psalterio, quia nimirum vetus illud jam solius Urbis Romæ proprium erat. Miror autem, cur Bruno dicat se nescire, an Romanum aliquis exposuerit: nam

exposuit Cassiodorus, cujus elegantissima Commentaria eo tempore non erant ignota. Augustinus quoque in sua explanatione hanc versionem sequutus est, quam omnibus præferendam esse docuerat. Magnus item Gregorius semper in scriptis suis testimonia ex psalmis secundum hanc versionem profert, ut ex collectione S. Patris constat. Qua de causa semper dubitavi, ne expositio in septem Psalmos penitentiales, in qua versio à Hieronymo interpolata explicatur, perperam illi adscripta sit. Licet enim Apostolica sedes utraque versione nova & veteri uteretur, ut ex ipso supra ostendimus, Psalterium tamen excluditur, quod semper Romæ secundum veterem translationem permansit. Accedit alia conjectura ex ipsa expositione, in qua stylus & spiritus Gregorii deesse videtur. Sed hoc obiter à me observatum peritioribus discutiendum relinquo. In Bibliotheca Cardinalis Barberini extat Breviarium M.S. in quo habetur Psalterium Romanum. Inter Codices item M.SS. Bibliothecæ Chisæ sunt aliquot Breviaria ad usum Ecclesiarum seu Monasteriorum Romane diocesis, in quibus idem Psalterium legitur. At hæc scripta videntur circa annum Christi millesimum in aliis post annum MC. vel propè scriptis extat Psalterium commune: ex quo superior conjectura confirmatur, quod nimirum Italica versio extra Urbem deserit ante annos propè sexcentos. Atque utinam qui hujus mutationis fuerunt auctores, rem attentius considerassent, sacrorumque rituum & Ecclesiasticæ antiquitatis peritos in consilium adhibuissent; non tamen facile à Gregorii Magni institutione discessissent. Hoc enim semper & sollicitè præcaverunt sapientissimi Patres, à quibus divina officia Deo inspirante ordinata sunt, ut summa uniformitas esset inter ea, quæ in horis canonicis & in Missa cantari debent, sibi que mutuo consonarent Missale & Breviarium. Hoc Isidorus & Ambrosius seu quicumque fuerunt antiqui ritus Hispanici & Mediolanensis auctores, in illis Ecclesiis sedulo observarunt. Et ob hanc ipsam causam Romana Ecclesia vetus Psalterium non mutavit, quia ex illo Introitus & reliqua, quæ ex psalmis in Missa cantantur, desumpta sunt. Inconveniens enim & merito visum est, quod idem psalmus & idem canticum aliis verbis in officio cantaretur. Hæc autem dissonantia ablato nunc veteri Psalterio sæpe occurrit. Cæterum ista hoc loco notare libuit, non ut quemquam carperem, sed ne præca Ecclesiæ disciplina ignoraretur.

VI. Græci



VI. Græci duplicem habent ad altare accessum sive introitum, parvum & magnum. Parvus seu minor fit, cum Diaconus traditum sibi à Sacerdote librum Evangeliorum defert ad altare; magnum, cum Sacerdos sacra dona è prothesi ad sanctum bema solemnè ritu deportat. Parvi ritus hic est. Diaconus petit à Sacerdote benedictionem, cui ille benè precatur dicens: *Benedictum regnum Patris & Filii & Spiritus sancti, nunc & semper & in secula seculorum.* Tum à Diacono alta voce dicuntur preces, quas irenicas id est pacificas vocant, quia à precatione pro pace incipiunt. His intermiscuntur tres Antiphonæ, seu, ut illi loquuntur, tria Antiphona, vel typica, aut alia cantica juxta diei exigentiam. Quibus peractis, Sacerdos acceptum librum Evangeliorum tradit Diacono, qui egrediens è porta prothesis elevatum ante faciem suam defert per Ecclesiam præcedentibus luminaribus, & Sacerdotibus, ipsoque celebrante subsequenticibus, & *Venite adoremus Christum* alta voce concinentibus. Diaconus verò elevans & ostendens S. Evangelium dicit, *Sapientia: Regni*, monens populum, ut sapientiam teneat, quæ in Evangelio continetur, & erectus stet. Porro omnes ipsum Evangelium profunda inclinatione venerantur, & modulibus quibusdam decantatis in altari collocatur. Major introitus post dimissionem Catechumenorum initio Missæ fidelium solemniori apparatu, præsertim cum Pontifex celebrat, fieri consuevit. In porta enim, quæ prothesi proxima est, Clerici cereas faces accensas præferentes Diaconos egredientes excipiunt & præcedunt longa per Ecclesiam processione. Ipsi autem Diaconi thus continuo adolent, tum unus Sacerdos panem in disco repositum & opertum velamine gestat, & alius calicem etiam opertum ante pectus defert. Hos sequuntur Sacerdotes concelebantes more ipsorum, qui altaris sacra instrumenta, lanceam, spongiam, librum, vel facras reliquias portant, cantoribus interim hymnum cherubicum concinentibus, donec ad altare pervenientes sacra in eo dona deponunt. Hi sunt Introitus Græcorum, quos elegantè & diffusè explicant Cabasilas in expositione Liturgiæ, Simeon Thessalonicensis lib. de templo, & sanctus Germanus in theoria rerum Ecclesiasticarum.

## CAPUT IV.

*Alterni cantus origo. De precatione Kyrie eleison. Eam semper & ubique in usu fuisse. Cur à latinis græcè dicatur. Quò ritu cantari consueverit. Ipsi addita aliquot verba. Prolixæ preces olim post Kyrie eleison. Hymnus Gloria in excelsis à quibus compositus & auctus. Prisco more à solis Episcopis dicebatur. Insevit eidem quidam versiculi.*

I. **P**ost introitum chorus divinam implorat misericordiam alternatim psallens *Kyrie eleison*. Cantum verò alternum scribit Socrates lib. 6. cap. 8. à S. Ignatio Episcopo Antiocheno in Ecclesiam introductum fuisse, ostensâ ei cœlitus Angelorum visione, qui Hymnos alter ad alterum Sanctissimæ Trinitati concinebant. Ac Theodoretus lib. 2. cap. 24. eam consuetudinem ad Flavianum & Theodorum refert, qui sub imperio Constantii Antiochiæ floruerunt: quod tamen non absolute de quocunque alterno cantu, sed de Psalmis Davidicis alternatim canendis intelligendum esse ex verbis ipsius Theodoretii colligitur. De quo ritu psallendi agens Basilius Magnus Epist. 63. ad Clericos Neocæsarienses, eo restatur usos fuisse Ægyptios, utramque Lybiam, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Euphratem habitabant. Constantinopoli autem hunc morem inter Catholicos B. Joannem Chrysostomum introduxisse, asserunt Socrates lib. 6. & Sozomenus lib. 8. cap. 8. Verumtamen in monasteriis serius receptus est, nam tempore Cassiani, ut ipse scribit lib. 2. Institut. cap. 5. 8. & 10. unus in medio cæteris audientibus & tacentibus psalmos modulabatur. Quod si loquamur de Ecclesia Occidentali, Paulinus in vita Ambrosii, & Augustinus in confessionibus l. 9. cap. 6. & 7. testes sunt ab eodem S. Ambrosio id primum Mediolani institutum secundum morem Orientalium partium, cæteris per orbem Ecclesiis imitantibus. Hunc verò canendi ritum primus omnium Damasus Papa Apostolica auctoritate confirmasse dicitur, & ubique servari præcepisse. Porro ipsum *Kyrie eleison* non humana institutione, sed occulto quodam naturæ instinctu usurpari cœpisse manifestum est. Cum enim homo multis miseris ab ipsa infantia ob culpam primi parentis veluti hæ-



reditario jure subjectus sit, ad illius opem implorandam natura ipsa impellente excitatur, qui solus miseris misericordiam prestare, & tot malis oppressam sublevare potest. Ideo in veteri testamento hæc precandi formulæ frequentissimæ sunt, *Domine miserere: Miserere mei Deus: Miserere nostri Deus omnium*, & aliæ ejusdem generis. Quin etiam gentes fidei lumine destitutæ, duce proculdubio natura, à suprema omnium causa præsidium iisdem verbis postulabant, ut scribit *Atrianus l. 2. dissertat. Epistetic. 7.* dicens, *Deum invocantes precamur eum Kyrie eleison.* Primæ siquidem notiones omnibus ratione utentibus communes sunt, utque ait *Minutius Felix*, omnium iste est consensus, vulgi iste naturalis est sermo, non solius Christiani contentis oratio. Eadem precatio in Ecclesiasticis officiis apud omnes nationes in usu est. Sæpè enim repetitur in *Jacobi Apostoli, Græcorumq; Patrum Liturgiis*; ipsamque suo idiomate usurpant *Syri, Armeni, & alii Christiani Orientales*, quorum ritus antiquissimi sunt. Quis autem à Græcis eam ad Latinos traduxerit, incertum est. *Amalarius, Strabo, Micrologus, & alii* ferè omnes *Officiorum Ecclesiasticorum explanatores* tam veteres quam recentiores, *Gregorio Magno* hoc tribuunt. Sed multis annis ante *Gregorium* viguisse hanc consuetudinem in Romana Ecclesia ex Concilio secundo *Vasensi* sub *Felice IV.* constat c. 3. *Quia*, inquit, *tam in sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales atque Italiae Provincias dulcis & nimium salutaris consuetudo est. intronmissa, ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad Matutinos, & ad Missas, & ad Vesperam Deo propitio intronmittatur.* Imò ipse *Gregorius lib. 7. epist. 64. ad Joannem Syracusanum*, respondens quorundam murmurationibus, qui dicebant, ipsum velle in Romanam Ecclesiam ritus *Constantinopolitanæ* introducere, ait: *Kyrie eleison nos neque diximus, neque dicimus sicut à Græcis dicitur: quia in Græcis simul omnes dicunt; apud nos autem à Clericis dicitur, & à populo respondetur: & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.* Quod autem *Gregorius* asserit, à Græcis simul dici, id nunc etiam observant; universus enim cœtus simul concinit *Kyrie eleison.* Ex his item *Gregorii* verbis patet, olim toties dici consuevisse *Christe eleison*, quoties *Kyrie* dicebatur: at nunc ter tantum *Christe*, sexies *Kyrie* dicimus.

Cur verò hæc supplicatio græcè potius quam latine à latinis dicatur, varias comminiscuntur rationes sacrorum rituum expositores, quas non est mei instituti examinare. Dicunt Latini in *Missæ Kyrie eleison* græcè, dicunt etiam Hebræicè *Amen, Alleluja, Sabaoth, & Osanna*: quia fortassis sic ab initio Ecclesiasticarum precum institutores voces istas usurparunt, ut ostenderent, unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis & Græcis primum, deinde ex Latinis coadunata est: vel quia mysteria nostræ fidei tribus hæc linguis ab *Apostolis & Evangelistis*, eorumque immediatis Successoribus conscripta fuerunt: quæ quidem lingua in titulo crucis quodammodo consecratae sunt. Sed quæcumque fuerit causa hujus institutionis, certissimum est, eam antiquissimam esse. Nam *Augustinus Epist. 178.* quæ est publica ipsius altercatio cum *Pascensio Ariano*, testatur, quod, sicut hæc voce *Homousson* à cunctis fidelibus una creditur *Trinitatis substantia*; ita ista *Kyrie eleison* unius *Dei* natura à cunctis Latinis & barbaris rogatur ut misereatur. Tum ait licere non solum barbaris lingua suæ, sed etiam Romanis dicere *si hora armenæ*, quod interpretatur *Domine miserere*, lingua scilicet *Gothica*, quam *Roma à Gothis* capta didicerat.

II. In quorundam monasteriorum libris *M. SS.* ad usum chori vidi ipsum *Kyrie* interpositis quibusdam clausulis interpolatum, quas privata auctoritate introductas puto. Legi in *Chronico Angliæ* sub nomine *Joan. Bromtoni Abbatis Cisterciensis* inter *X.* scriptores rerum Anglicarum edito p. 879. *B. Dunstanum* semel soporatum *Angelos* audivisse cum suavi nota *Kyrie eleison* psallentes, cujus modulus harmoniæ adhuc, inquit, continet tropus ille apud *Anglos* famosus, *Kyrie eleison splendens*, qui in majoribus festis *Sanctorum* cantari solet. Sed de harmonia, non de tropo hic sermo est; nam sæculo *X.* quo *Dunstanus* vixit, non credo hujusmodi tropos in usu fuisse, quorum nulla mentio ante sæculum *XIII.* reperitur. Insuper sunt ut plurimum, nec bene sensui coherent. Quibusdam extant in *Missali Romano* sub Pontificatu *Pauli III.* edito *Lugduni* hæc prefixa inscriptione. *Sequuntur quedam devota verba super Kyrie eleison, Sanctus, & Agnus Dei; ibi ob nonnullorum Sacerdotum pascentiam devotionem posita, licet non sint de Ordinario Romanae Ecclesiæ, tamen in certis Missis ibi. annotatis licitè dicenda.* Aliquot in exemplum subjiciam ex eodem *Missali*, & ex *l. 3.* *Elucidatorio Ecclesiastici Jodoci Clivovæi*, itemq; ex *Missali M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Palat. n. 501.*



*In festis Solemnibus.*

**K**Yrie fons bonitatis, à quo bona cuncta procedunt, *eleison.*

*Kyrie* qui pati natum mundi pro crimine, ipsum ut salvaret, misisti, *eleison.*

*Kyrie* qui septiformis das dona Pneumatis, à quo cœlum & terra replentur, *eleison.*

*Christe* unice Dei Patris genite, quem de Virgine nasciturum mirificè Sancti prædixerunt Prophetæ, *eleison.*

*Christe* agie, cœli compos regis, cui melos gloriæ semper affans pro munere Angelorum decantat apex, *eleison.*

*Christe* cœlitus adis nostris precibus, quem pronis mentibus in terris devotè colimus ad te pie Jesu clamantes, *eleison.*

*Kyrie* spiritus alme coharens Patri Natoque, unius usq; consistendo, flans ab utroque, *eleison.*

*Kyrie* qui baptizato in Jordanis unda Christo effulgens specie columbina apparuisti, *eleison.*

*Kyrie* ignis divine pectora nostra succende, ut digni pariter proclamare possimus semper, *eleison.*

*In festivitibus Christi Domini nostri.*

**K**Yrie cunctipotens genitor Deus omnicaetor, *eleison.*

Fons & Origo boni, pius, luxque perennis, *eleison.*

Salvificet pietas tua nos bone rector, *eleison.*

*Christe* Dei splendor, virtus, Patriisque Sophia, *eleison.*

Plasmatis humani fator, lapsi reparator, *eleison.*

Ne tua damnetur Jesu factura benigne, *eleison.*

Amborum sacrum spiramen, nexus, amorque, *eleison.*

Purgator culpæ, veniæ largitor optime, *eleison.*

Offensas dele, sacro nos munere reple, *eleison.*

*In festis B. Mariæ Virginis.*

**K**Yrie virginitatis amor, inclite Pater, & creator Mariæ, *eleison.*

*Kyrie*, qui nasci Natum volens de Virgine, corpus elegisti Mariæ, *eleison.*

*Kyrie* qui septiformi repletum Pneumate pectus consecrasti Mariæ, *eleison.*

*Christe* unice de Maria genite, quem de Virgine nasciturum stirpis Davidicæ sancti prædixerant Prophetæ, *eleison.*

*Christe* usq; gigas fortis geminæ, qui pro homine homo sine virili semine produisti de ventre Mariæ, *eleison.*

*Christe* cœlitus adis nostris laudibus, quas pro viribus ore, corde, actoque psallimus, proles pie Jesu Mariæ, *eleison.*

*Kyrie* Spiritus alme, amborum nexus, amorque, cœlestis gratiæ rorem infudisti Mariæ, *eleison.*

*Kyrie*, qui incarnato de Mariæ carne Christo sub nostra specie, semper florem servas Mariæ, *eleison.*

*Kyrie* simplex & summe, Chrismate sacro nos reple, ut digno carmine decantemus laudes Mariæ, *eleison.*

*In aliis Festivitibus.*

**K**Yrie rex genitor ingenite, vera essentia, *eleison.*

*Kyrie*, luminis fons, rerumq; conditor, *eleison.*

*Kyrie*, qui nos tuæ imaginis signasti specie, *eleison.*

*Christe* Deus formæ humanæ particeps, *eleison.*

*Christe* lux oriens, per quem sunt omnia, *eleison.*

*Christe*, qui perfecta es sapientia, *eleison.*

*Kyrie* spiritus vivifice, vitæ vis, *eleison.*

*Kyrie* utriusque vapor, in quo cuncta, *eleison.*

*Kyrie* expurgator scelerum & largitor gratiæ, quem sumus propter nostras offensas nos non relinquere, consolator dolentis animæ, *eleison.*

*Dominicis diebus.*

**O**Rbis factor, rex æterne, *eleison.*

Pietatis fons immense, *eleison.*

Noxas nostras omnes pelle, *eleison.*

*Christe*, qui lux es mundi, dator vitæ, *eleison.*

Arte læsos dæmonis intruere, *eleison.*

Conservans te credentes, confirmansque, *eleison.*

Patrem, Natum, teque Flamen utrorumque, *eleison.*

Deum scimus unum, atque trinum esse, *eleison.*

Clemens nobis adis Paraclite, ut vivamus in te, *eleison.*

Omitto alia ejus generis, quibus homines simplices majus obsequium ac solemniorem cultum se Deo exhibere arbitrabantur.

III. Post *Kyrie* *eleison* sequitur hymnus *Gloria in excelsis Deo*, si dicendus sit, alioquin præmissa populi salutatione *Dominus vobiscum* dicitur oratio, sive collecta, de quibus sigillatim agendum erit, si prius notavero, olim diebus, quibus omittitur *Gloria in excelsis*, immediatè post *Kyrie* prolixas preces pro omni statu hominum recitari consuevissent, his prorsus similes, quas Irenicus sive Diacronicus Græci vocant, & initio Liturgiæ Diacono præcinente, choro respondente decantant.



Permanet hic ritus in Ecclesia Latina usque ad sæculum IX. ut observat Goar in notis ad Missam Chryostomi n. 62. & nunc etiam permanet in Ecclesia Mediolanensi diebus Dominicis Quadragesimæ. Sicut enim alibi ostensum est, veteris Ecclesiæ mos fuit, ut officium cum Missa conveniret, ac propterea quibus diebus preces in officio dicebantur, in Missa quoque dici solebant. Agit de his Columbanus in Regula cap. 7. ubi modum psallendi describens à Senioribus statutum ait, „Cum versiculorum augmento inter-  
 „venientium pro peccatis primum nostris, dein-  
 „de pro omni populo Christiano, deinde pro  
 „Sacerdotibus & reliquis Deo consecratis sacræ  
 „plebis gradibus, postremò pro elemosynas  
 „facientibus, postea pro pace Regum, novis-  
 „simè pro inimicis, ne illis Deus statuatur in pec-  
 „catum quod persequuntur nos & detrahunt  
 „nobis, quia nesciunt quid faciunt. Has autem  
 preces pro variis rebus & personis compositas  
 Diaconus in Missa pronunciare solebat; Diaconi  
 namque, ut ait Concilium Aquileiense sub  
 Stephano Papa cap. 7. „clarâ voce in modum  
 „præconis admonent cunctos sive in orando, sive  
 „in flectendo genua, sive in psallendo, sive in  
 „lectionibus audiendis. Auctor antiquitatum  
 Liturgicarum tom. 3. pag. 307. harum precum  
 hanc formulam affert, quam Missalem Litaniam  
 vocat, ex antiquo Codice Bibliothecæ Fulden-  
 sis à Wicelio transcriptam.

*Dicamus omnes ex toto corde, totaque mente: Do-  
 mine exaudi & miserere.*

*Qui respicis terram, & facis eam tremere. Oramus  
 te Domine exaudi & miserere.*

*Pro altissima pace & tranquillitate temporum no-  
 strorum. Oramus te Domine, &c.*

*Pro sancta Ecclesia Catholica, quæ est à finibus us-  
 que ad terminos orbis terrarum. Oramus te.*

*Pro Patre nostro Episcopo, pro omnibus Episcopis  
 ac Presbyteris & Diaconis, omnique clero. Ora-  
 mus te Domine.*

*Pro hoc loco & habitantibus in eo. Oramus te Do-  
 mine.*

*Pro piissimo Imperatore & toto Romano exercitu.  
 Oramus te Domine.*

*Pro omnibus qui in sublimitate constituti sunt, pro  
 virginibus, viduisque & orphanis. Oramus te  
 Domine.*

*Pro penitentibus & catechumenis. Oramus te Do-  
 mine.*

*Pro his qui in sancta Ecclesia fructus misericordiæ*

*largiuntur. Domine Deus virtutum exaudi pre-  
 ces nostras. Oramus te Domine.*

*Sanctorum Apostolorum & Martyrum memores su-  
 mus, ut orantibus eis pro nobis veniam merea-  
 mur. Oramus te Domine.*

*Christianum ac pacificum nobis sinem concedi à Do-  
 mino comprecamur. Præsta Domine, præsta.*

*Et divinum in nobis permanere vinculum charitatis,  
 Dominum comprecamur. præsta Domine, præsta.*

*Conservare sanctitatem ac puritatem catholicæ fidei,  
 sanctum Deum comprecamur. præsta Domine,  
 præsta.*

*Dicamus omnes, Domine exaudi & miserere.*

His similes sunt preces, quæ ritu Ambrosiano  
 hodie dicuntur Dominica prima Quadragesi-  
 mæ immediatè ante Collectam, incipiente  
 Diacono & choro respondente.

*Divinæ pacis & indulgentiæ munere supplicantes  
 ex toto corde & ex tota mente precamur te. Do-  
 mine miserere.*

*Pro Ecclesia Sancta Catholica, quæ hic & per uni-  
 versum orbem diffusa est, precamur te. Domine  
 miserere.*

*Pro Papa nostro N. & Pontifice nostro N. & omni-  
 clero eorum, omnibusque Sacerdotibus ac mini-  
 stris precamur te. Domine miserere.*

*Pro famulis tuis N. Imperatore, & N. Rege, Duce  
 nostro, & omni exercitu eorum precamur te.  
 Domine miserere.*

*Pro pace Ecclesiarum, vocatione gentium, & quiete  
 populorum precamur te. Domine miserere.*

*Pro civitate hac & conservatione ejus, omnibusque  
 habitantibus in ea precamur te. Domine miserere.*

*Pro aëris temperie ac fructu & fecunditate terra-  
 rum precamur te. Domine miserere.*

*Pro virginibus, viduis, orphanis, captivis, ac peni-  
 tentibus precamur te. Domine miserere.*

*Pro navigantibus, iter agentibus, in carceribus, in  
 vinculis, in metallis, in exiliis constitutis pre-  
 camur te. Domine miserere.*

*Pro his qui diversis infirmitatibus desinentur, qui-  
 que spiritibus vexantur immundis, precamur te.  
 Domine miserere.*

*Pro his qui in sancta Ecclesia tua fructus misericordi-  
 æ largiuntur, precamur te. Domine miserere.*

*Exaudi nos Deus in omni oratione atque deprec-  
 atione nostra, precamur te. Domine miserere.*

*Dicamus omnes, Domine miserere.*

Aliæ hujusmodi deprecationum formulæ ex-  
 tant apud Clementem lib. 8. confit. Apostolicæ  
 & in Liturgiis Græcorum, quæ cum supra scriptis  
 ferè coincidunt. Porro Diaconus eas recitaturus  
 ascen-



ascendebat ambonem ut notat Goar in ordine sacri ministerii n. 27. atque id observant Græci. Quod si desit ambon, in Ecclesiæ medio stat, ejusque centrum quæ ad se pertinent recitaturus occupat, quasi vicarium ambonis locum.

De Hymno Gloria in excelsis.

IV. **Q**uia initium hujus hymni in Nativitate Salvatoris nostri Jesu Christi ab Angelis decantatum fuit, inde Angelici nomenclaturam accepit. Apertè verò inter hymnos numeratur, quia omnia illi conveniunt, quæ ad hymni constitutionem requiruntur, cantus scilicet in laudem Dei. Præclare Augustinus in psal. 148. „ Si laudas „ Deum & non cantas, non dicis hymnum. Si „ laudes quod non pertinet ad laudem Dei, etsi „ cantando laudes, non dicis hymnum. Hymnus „ ergo tria ista habet, & canticum, & laudem „ & Dei. Addidit Beda præf. in psalmos aliam conditionem, ut sit metricè scriptus, sed hanc non requiri ad rationem hymni, constans est Sapientium sententia, idque præter alios adnotavit Cælius Rhodiginus lib. 7. antiq. lect. cap. 5. exemplo Platonis, apud quem in Symposio & in Phædro hymni leguntur solutâ oratione: utque alia desint exempla, hic solus sufficit de quo hic loquimur; nam ab omnibus antiquis Patribus hymnus nuncupatur. Plura de hymnis, eorumque usu ex sacris & profanis scriptoribus congehi in meo tractatu de divina Psalmodia Cap. XVI. §. 9. Nullus autem hoc nobilior reperiri potest, sive auctorem respiciamus, sive antiquitatem, sive usum, sive tandem divinarum laudum, quæ in eo cantantur, excellentiam & sublimitatem. Nam quid nobilius, ut cætera omitam, quam quod Deo gratias agimus propter magnam gloriam suam? Hoc videlicet idem est si diceremus, Tibi propter te gratias agimus, non propter bonum nostrum quod inde emanat, sed propter gloriam tuam: quia gloria tua hæc est sanctificatio nostra, & ad unam tui gloriam est, quod sancti sumus: quia sanctificans nos, participes nos facis gloriæ tuæ in via & in patria; atque ideo nostra interest, quod magni & gloriosi Domini servi sumus; eamque ubique propagari, ac ea te perfui magis gaudemus, quam si nostra esset; quia tu solus laudabilis & gloriosus es, & nulla est vera gloria extrâ te. Prima hujus hymni verba. *Gloria in excelsis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, è celo ad nos Angelorum voce derivata sunt; cætera quis

addiderit, incertum est. Quidam Apostolis tribuunt, eò quod integer habeatur lib. 7. *Constit. Apost. cap. 47.* sed jam norunt viri docti, quid de illarum Constitutionum auctore & ætate sentiendum sit. Alii auctorem faciunt Telesphorum Papam, qui vivebat anno Christi 150. ejusque sententiæ sunt Sigebertus in Chronico, & Innocentius III. l. 2. de mysteriis *Missæ cap. 20.* Alii Symacho adscribunt, qui anno quingentesimo Christi floruit. Plerique recentiores sequuti Alcuinum c. 40. Hugonem Victorinum l. 2. de div. offic. c. 11. Remigium Antissiodorensem in *expositione Missæ*, Honorium in *Gemma lib. 1. c. 87.* & Joannem Beletum lib. de divin. offic. c. 36. à B. Hilario Pictaviensi Episcopo completum fuisse asseverant: sed in vita & scriptis Hilarii, & in scriptoribus, qui quatuor post ipsum sæculis floruerunt, nullum hujus rei vestigium extat: atque insuper observo Athanasium, qui synchronus Hilario fuit, ejus meminisse lib. de *Virginitate* versus finem his verbis: *Matutino tempore hunc psalmum dicitis, Deus Deus meus; ad te de luce vigilo. Ubi diluculum fuerit, hunc recitabis, Benedicite omnia opera Domini Domino, hymnumque dicitis Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te: Benedicimus te: Adoramus te: & quæ sequuntur.* Ex quibus jam eo tempore usitatum fuisse, & per varias regiones dispersum. Cautius loquuti sunt Patres Concilii IV. Toletani, qui can. 12. ajunt: *Reliqua quæ sequuntur post verba Angelorum Ecclesiasticos Doctores composuisse, quicumque illi fuerint.* Auctor libri Pontificalis in vita Telesphori ait ipsum constituisse, ut ante Sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est *Gloria in excelsis Deo*, sed non dicit ipsam reliqua adjecisse: & tunc forsitan verba tantum evangelica in usu erant, sicut extant in Liturgia Jacobi, non autem integer hymnus. Symmachus verò præcepit, ut omni die Dominico, & in natalitiis Martyrum diceretur: nam Telesphorus in *Missâ tantum nocturna Nativitatis Domini cantari decreverat, si vera sunt, quæ Sigebertus & Innocentius prædicti tradunt.* Statutum autem Symmachi ad totum hymnum extenditur, qui jam antea compositus erat, ut ex Athanasio ostendimus. Etherius Episcopus & Beatus Presbyter lib. 1. adversus Elipandum Archiepiscopum Toletanum, consuevisse ajunt in Hispania cantari ritu Mozorabico, de quo ibi loquuntur, Dominicis diebus & in quibusdam festivitibus. A Græcis magna doxologia nuncupatur, &



ab iisdem in matutinis laudibus recitatur. Jubent quoque dici ad Laudes toto tempore Paschali S. Valerianus Episcopus Arelatenfis, qui vivebat anno 550. & S. Tetradius in suis regulis.

V. Refert Anastasius in vita Stephani IV. statutum ab illo, ut omni die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observabant Missarum, solemnia super altare B. Petri celebrarentur, & Gloria in excelsis diceretur. Ratio hujus edicti est, quia olim à solo Episcopo dici poterat, à Presbyteris verd in solo die Paschatis dicebatur, ut initio libri Sacramentorum S. Gregorii legimus: non quia ad Episcopos maximè pertineat Missam celebrare, ut explicat Suarez 10. 3. in 3p. disput. 83. sect. 1. sed quia revera sic ferebat mos priscus Ecclesiae, ut soli Episcopi hunc hymnum dicerent, sicut soli in prima populi salutatione dicunt Pax vobis iis diebus, quibus Gloria in excelsis dici solet. Aded verum est, quod sapidus monui, non debere ex hodiernis moribus veterem Ecclesiae institutionem aestimari. Walfridus Strabo c. 22. Statutum est, inquit, ut ipse hymnus in summis festivitatis à solis Episcopis usurparetur, quod etiam in capite libri Sacramentorum de signatum videtur. In Bibliotheca Vaticana Palatina Cod. 495. extat antiquissimus Ordo Missae Romanae initio sic statuens, Dicitur Gloria in excelsis Deo si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, festivis diebus festis. A presbyteris autem minimè dicitur, nisi in solo Pascha. Frustrà hunc ritum convellerentur Berno Augiensis cap. 2. de rebus ad Missam spectantibus. Cur non liceat, inquit, omni die Dominico vel natalitiis Sanctorum Presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinere? Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum praeconisationem Missalis, non multò minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum coepit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in caelis. Proferantur contradictores in medium, ubinam sit à sanctis Patribus vel ab ipso Sanctissimo Papa Gregorio interdictum; & si ad haec respondere non valemus, merito manus damus. Haec ille, quem non disputare, sed obedire par erat, nam Gregorius id vetat initio libri Missalis, ut ipse Abbas Augiensis agnoscat, & illius auctoritas sufficere ei debuerat, ne contradicere audeat. Nunc vero sublata est illa restrictio, & ab omnibus idem hymnus cantatur, quod sensim introductum suspicor paulò post Bernonem, qui

vivebat anno 1040. ac deinde pro lege habitum.

VI. Scribit Jodocus Clitoveus lib. 3. Elucidatorii, huic hymno Angelico insertas fuisse quasdam particulas ex Ecclesiastica constitutione, sed quae sic ista constitutio, non liquet. Potius crediderim, privatà quorundam licentià id primò coepisse, postea invaluisse, aded ut quibusdam Missalibus hujusmodi clausulae insertae fuerint. Passim in libris ad usum chori tam editis, quam M. SS. sequens interpolatio pro Missa Beatæ Virginis reperitur. Post Domine Fili, unigenite Jesu Christe additur: spiritus & alme orphanorum Paraclite. Post Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris: Primogenitus Mariæ Virginis matris. Post suscipe deprecationem nostram: Ad Mariæ gloriam. Tum sequitur: Quoniam tu solus Sanctus, Mariam sanctificans. Tu solus Dominus: Mariam gubernans. Tu solus altissimus: Mariam coronans, Jesu Christe: cum Sancto spiritu, &c. Refert autem Paris Crassus in ceremoniali summi Pontificis inedito cap. 67. Nicolaum V. prohibuisse, ne in sua capella diceretur. Apud Pamelium in fine Tomi II. Liturgicorum duæ extant hujus hymni interpolationes, quarum prima hæc est pro die Nativitatis Domini.

Laudamus te. Laus tua Deus resonet coram te rex. Benedicimus te. Qui venisti propter nos rex Angelorum Deus. Adoramus te. Gloriosum regem Israel in throno Patris tui. Glorificamus te. Veneranda Trinitas. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. In sede majestatis tuæ. Quoniam tu solus sanctus. Deus fortis & immortalis. Tu solus Dominus. Cælestium, terrestrium, & infernorum rex. Tu solus altissimus. Rex Regum, regnum tuum solidum permanebit in æternam. Jesu Christe.

Altera est in dedicatione Ecclesiae. Gloria in excelsis Deo. Quem cives cælestes sanctum clamantes laude frequentant. Et in terra pax. Quem ministri Domini verbo incarnatum terrenis promiserant. Laudamus te. Laudibus cujus astra matutina insidunt. Benedicimus te. Per quem omne sacrum & benedictio conceditur, atque augetur. Adoramus te. Omnipotens, adorande, colende, tremende, Venerande. Glorificamus te. Ut creatura creantem, plasma plasmanem, figulum figmentum. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Hymnum majestati, gratias autem pietati ferentes. Domine Deus rex cælestis, &c. reliqua usque ad suscipe deprecationem nostram. Quem quisquis adoratur, in spiritu & veritate oportet adorare. Qui sedes ad dexteram Patris usque ad altissimus



alissimus Jesu Christe: Unigenite, qui es unà cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Non desunt alia exempla, sed ista superflua sunt, ut quisque agnoscat temerario quorundam ausu, seu potius simplicitate ac zelo, qui non erat secundum scientiam, inserta hæc Angelico hymno fuisse, quæ Ecclesiasticam gravitatem minimè redolent, cultumque divinum non augent, sed diminuunt.

## CAPUT V.

*Origo & usus Sacerdotalis salutationis Dominus vobiscum. Græcorum saluatio Pax omnibus. Episcopi quoque pacem precantur. Quare præmitti soleat ante collectam Oremus, & aliquando Flectamus genua. Collectæ nomen æquivacuum. A quo primum collecta sive orationes inventæ, & quæ forma in iis servanda. Earum conclusio explicatur. Cur dum recitantur, manus & brachia extendantur. De Laudibus quæ olim post Collectam dicebantur.*

**I.** Sacerdos hymno Angelorum recitato salutat populum dicens *Dominus vobiscum*, quæ saluatio è veteri Testamento in Ecclesiam derivata est. Booz enim, ut in Libro Ruth cap. 2. legimus, salutans meffores suos ait, *Dominus vobiscum*: & Propheta missus à Deo ad Asam Regem Judæ, cum victor è prælio cum exercitu suo revertetur dixit 2. Paralip. cap. 15. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Vim autem & efficaciam accepisse videtur ex verbis Christi, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quia verò tanquam pluribus dicitur *Dominus vobiscum*, decreverant olim majores nostri, ne quis celebrare præsumeret, nisi duobus saltem præsentibus & adstantibus, ut Lib. I. Cap. XIII. dictum est. Sed hoc deinde antiquatum fuit, non quia celebranti adesse credantur Angeli, ut piè scripsit Innocentius III. lib. 2. de myst. Missæ cap. 25. quasi ex hoc inferret, nunquam celebranti deesse adstantes; sed quia Minister, licet sit solus, personam gerit Ecclesiæ: alioquin cum quis recitat solus divi-

num officium, hanc salutationem præmittere deberet, quod quam absurdum sit, docet Petrus Damiani in libro quem de hoc argumento ex professo conscripsit, eique propterea titulum præfixit *Dominus vobiscum*. Non solum igitur qui celebrat; sed etiam qui ministrat, personam publicam gerunt, & sicut ille salutat Ecclesiam, ita iste Ecclesiæ nomine salutanti respondet. Est autem hæc saluatio propria Sacerdotis, quam cum in Africa ex præsumptione lectores usurparent, vetitum id fuit can. 4. Concilii III. Carthaginensis. Apud Græcos nullus est usus hujus salutationis, nec reperitur in eorum Liturgiis, & formula *Dominus sit semper cum omnibus vobis*, semel tantum extat in Liturgia S. Marci. Cum verò salutant populum, dicunt *pax omnibus*, sicut constat ex Liturgiis Basilii & Chrysoptomi. Hinc ipsum Chrysoptomum, sicut refert Soerates lib. 6. cap. 14. ab exilio revocatum rogabat multitudo ejus reditu gaudens, ut in Episcopali throno resideret, & pacem populo pro more precaretur. Idem quoque Chrysoptomus hom. 3. in epist. ad Coloss. de hoc ritu differens ait, *Cum ingressus fuerit is qui præest Ecclesiæ, statim dicit pax omnibus.* Quando sermonem facit & concionatur, *pax omnibus.* Quando benedicit, *pax omnibus.* Quando jubet osculari, *pax omnibus.* Peracto sacrificio, *pax omnibus.* Ita etiam Cyrillus in Joannem lib. 12. *Salutat discipulos usitata illa forma, pax vobis, legem veluti quandam constituens Ecclesiæ filii.* Quo fit, ut in sanctis potissimum conventibus & synaxibus circa ipsa mysterii initia hoc invicem dicamus. Athanasius tandem epistola ad Eustathium invehitur in quosdam Episcopos, qui cum initio sacrificii & sermonis blandum illud proferrent *pax vobis*, tragedias tamen excitabant, & alios affligebant. Ex hac Græcorum consuetudine, quæ ex Christi exemplo & doctrina traxit originem, dimanasse reor, ut etiam latini Episcopi cum prima vice salutant populum, dicant *pax vobis*, illius vocem usurpantes, cujus pontificio funguntur. Optatus Milevitanus lib. 3. *Non potuistis, inquit, prætereuntem quod legitimum est, utique dixistis, pax vobiscum. Quid salutas de quo non habes? quid nominas quod exterminasti? Salutas de pace, qui non amat.* Hujus item salutationis meminit Ambrosius, lib. de dignit. sacerdot. cap. 5. quam formulam cum quidam Episcopi præter Ecclesiæ consuetudinem frequentarent, adeo ut altera presbyteris communi nunquam uti vellent,

T t t

conci-



concilium Braccarense primum hoc decretum edidit can. 21. *Placuit ut non aliter Episcopi, & aliter presbyteri populum, sed uno modo saluent dicentes, Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur; & ut respondeatur à populo & cum spiritu tuo: sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet oriens, & non sicut Priscilliana pravitatis immutavit.* Priscillianus enim, ut ad hunc canonem notat Gasias Loaisa, non semel tantum ut moris est, sed semper ab Episcopis dicendum esse *pax vobis* contendebat. In hunc autem canonem mendum irrepsisse, ut pro occidens oriens legatur, dudum viri docti observarunt: nam in Ecclesia Orientali alium fuisse usum, quæ modo allata sunt, manifestant. Omnes ferè recentiores de hac salutatione Dionysium loquutum esse arbitrantur cap. 3. *eccl. hierarchie* §. 8. ubi eam divinisimam vocat; sed ex textu evidens est de osculo pacis cum loqui, cuius rationem reddit his verbis: *Non enim possunt ad unum colligi, atque unius pacifice unionis participes existere, qui secum ipsi disident.* Sive autem dicatur *pax vobis*, sive *Dominus vobiscum*, tessera hæc est mutæ communionis & pacis, qua fideles in Christi fide & charitate copulantur. Ideo Tertullianus hæreticos reprehendit, quod omnes sine personarum distinctione salutarerent. *Pacem*, inquit, *cum omnibus miscant.* Legimus etiam Marcionis salutationem à Polycarpo recusatam, quia extra Ecclesiam erat. Primis item Ecclesie sæculis hæc ipsa de causa infideles, poenitentes, & catechumeni sermoni interesse non poterant, quia Episcopus ipsum inchoaturus prius populum salutabat. Non enim, inquit Optatus Milevitanus, aliquid incipit Episcopus ad populum dicere, nisi primo in nomine Dei populum salutaverit. Athanasius *tom. 2. edit. Comelimitane pag. 245.* peracturis sacra aut docturis, blandissima illa in ore est salutio, *pax omnibus.* Notabile est, quod Michaël Glycas refert 4. parte Annalium ex historia Ecclesiastica Philonis Philosophi, tempore scilicet persecutionum fuisse quendam Ecclesiasticum, qui ab Episcopo à communione fidelium segregatus fuit. Accidit autem ut ab ethnicis comprehensus pro testimonio fidei occisus sit; & in ipso loco templum constructum est. Cumque Episcopus in eo celebrans verba illa proferret *pax omnibus*, è templo egrediebatur, idque pluries contigit, donec ab Episcopo absolutus, nunquam deinceps exire visus est.

Cum verò Sacerdotes dicunt *pax vobis*, sive *Dominus vobiscum*, nos per ipsos salutatur Christus cupiens in nobis mansionem facere, & nos secum unire, ac templum suum Eucharistici Sacramenti perceptione efficere; sicut Angelus B. Virgini dixit *Dominus tecum*, antequam in ejus utero carnem susciperet. Respondet populus sacerdoti, & *cum spiritu tuo*, quæ verba accepta videntur ex epist. 2. ad Timoth. cap. 4. ubi Paulus ait, *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo*: & extant in antiquissimis Liturgiis. Optimè Chrysostomus hom. 18. in 2. ad Corinth. *In tremendis mysteriis ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit.* Hæc enim verba & cum spiritu tuo, nihil aliud quam hoc significant. Olim universus populi cætus sacerdoti respondebat, ut ex Liturgiis, earumque expofitoribus apparet; idque Micrologus statutum ait in occidente à concilio Aurelianensi, ut scilicet non solum clerici, sed omnis populus responderet, & *cum spiritu tuo*. At nunc soli Clerici vel ministri respondent, de qua re fatus egi supra Lib. I. Cap. XXV. §. 19. Sensus autem prædictæ responsionis Isidorus Pelsiota lib. 1. epist. 112. ita explicat: *Illud quod à plebe respondetur & cum spiritu tuo, hanc habet sententiam. Pacem quidem nobis præbisti Domine, hoc est mutuam inter nos concordiam; pacem autem nobis da, hoc est hujusmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli possit, ut cum spiritu tuo pacati, quam nobis in creationis initio indidisti, à tua charitate distrabi nequeamus.* Et Florus magister in expositione Missæ scribit, nihil melius invenisse Ecclesiam, quod optaret Sacerdoti, nisi quod Sacerdos optat ecclesie, ut idem Dominus, qui dignatur esse cum Ecclesia, dignetur etiam esse cum spiritu sacerdotis.

II. Sacerdos post salutationem & seipsum & populum excitat ad orandum dicens, *Oremus.* Qua monitione audita omnes sacro adstantes sub silentio olim orabant, tum peracta brevi oratione omnium preces sacerdos brevi item deprecatione concludens, collectam alta voce recitabat. Cum autem sacerdos exclamabat dicens *Oremus*, veteris ecclesie phrasi orationem dare dicebatur: quem ritum perspicue explicat Uranius in vita S. Paulini describens obitum sancti Joannis Episcopi Neapolitani: *Ad Ecclesiam, inquit, processit, & ascenso tribunali populum ex more salutavit, resalutatusque à populo orationem dedit, & collecta oratione spiritum exhalavit.* Eadem phrasi utitur Anastasius in vita Ser.



Sergii II. ipsum referens Ecclesiam ingressum cum Ludovico Francorum Rege, omnes autem prostratos ad confessionem B. Petri orasse, & data à Pontifice super populum oratione regressos esse. Synodus idem Romana sub Zachario cap. 14. decrevit, ut Episcopus aut presbyter, dum ingressus fuerit ad Missarum sollemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Episcopo aut presbytero suppleantur Missarum sollemnia, sed qui initium ponit, suppleat usque in finem. Describunt eundem ritum acta S. Sufanæ apud Baronium anno 294. num. 10. ex quibus colligitur, consuetas tunc fuisse huiusmodi preces non solum in ecclesiasticis conventibus, sed etiam in privatis domibus, cum sacerdotes alios visitabant, vel ad se venientes excipiebant. Narrat enim Gabinius presbyterum in adventu aliorum ejusmodi orationem dedisse, Oremus, illisque humi prostratis sic orasse: Domine Deus qui dispersa congregas, & congregata conservas, respice in opus manuum tuarum, & illumina omnes in te credentes, quia tu es lumen verum in secula seculorum. Cui orationi omnes responderunt, Amen. Similiter Cajus in domo Gabinii omnibus prostratis dans orationem, dixit, Oremus. Domine Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui omnibus ad salutem & vitam æternam misisti Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, ut nos è mundi tenebris erueret, da nobis servis tuis constantiam fidei, quia tu regnas in secula seculorum. Responderunt omnes Amen. Aliquando indicta oratione per verbum Oremus, monebat Sacerdos pro quibus orandum foret ea formula, qua nunc utitur ecclesia in officio feriæ sextæ majoris hebdomadæ, cum pro omni statu hominum preces fundit: ad quem morem alludit Augustinus epist. 107. ad Vitalem Carthaginensem, qui perperam docebat non esse orandum pro incredulis. Exerce, inquit, contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem: & pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret: & pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent; subsanna piæ voces. In ordine Romano sæpius memorato Regine Sueciæ ante annos nongentos scripto plures extant ejusmodi formulæ. Unam transcribo, pro iis qui agapen faciunt. Oremus dilectissimi nobis Deum omnipotentem pro filio nostro illo, qui recolens divina mandata de justis laboribus suis victum indigentibus subministrat, quatenus hec devotio

ipsius sicut nobis est necessaria, ita sit Domino semper accepta. Et immediatè sequitur hæc Collecta. Deus qui post baptismi Sacramentum secundam abluitionem peccatorum elemosinis indidisti, respice propitiis super famulum tuum illum, pro cuius operibus tibi gratiæ referuntur, fac cum premio beatum, quem fecisti pietate devotum. Per Dominum nostrum. Certis diebus dicto à Sacerdote Oremus, Diaconus subdit, Flectamus genua: qui ritus in præcitato libro sic describitur: Sacerdos dicit Oremus, & annuntiat Diaconus Flectamus genua, & post paululum dicit, Levate. Ex qua rubrica duo eruantur; primum non à Subdiacono ut nunc fit, sed à Diacono dictum olim Levate: alterum, flexis genibus post Diaconi monitionem aliquantulum orasse fideles, tum monitos ut levarent se, surrexisse, & Sacerdotem illis stantibus collectam recitasse. Alludit ad hunc ritum Basilius Magnus lib. de Spiritu sancto cap. 27. dicens: „ Quoties genua flectimus & rursus erigimur, „ ipso factò ostendimus, quod ob peccatum „ in terram delapsi sumus, & per humanitatem „ ejus qui creavit nos in cœlum revocati sumus. De hac ipsa re Cæsarius Arelatenensis hom. 34. sic loquitur plebi suæ. „ Rogo vos & admoneo „ fratres carissimi, ut quotiescumque juxta „ altare à Clericis oratur, aut oratio Diaconi „ clamante indicitur, non solum corda, sed „ etiam corpora fideliter inclinatis. Nam dum „ frequenter sicut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante Flectamus genua, maximam partem populi velut columnas erectas stare conspicio, quod Christianis omnino nec licet nec expedit. Jesse item Ambianensis in epist. de Baptismo: Postmodum admonentur à Diacono, Orate electi, flectite genua, & postquam oraverint dicat, levate. Et in Codice Remensi apud Menardum, Nuntiat Diaconus Flectamus genua, & populus silet. Et in Codice Tiliano apud eundem in officio feriæ V I. majoris hebdomadæ, dicat Diaconus, Flectamus genua, & oret diutissime: nam ea die prolixior fiebat oratio, qua peracta dicebat Diaconus Levate. At hodie cum nullum fiat intervallum inter Flectamus genua & Levate, sancitum est, ut primum à Diacono, & alterum dicatur à Subdiacono. Quod autem Collecta omnibus erectis à sacerdote recitaretur, Cassianus confirmare videtur, qui lib. 2. Institut. cap. 7. de disciplina orandi agens ait: Cum is qui orationem collecturus est è terra surrexit, omnes pariter



riter eriguntur; ita ut nullus antequam inclinetur ille, genua flectere; nec cum è terra surrexerit, remorari præsumat.

III. Nomen verò Collectæ æquivocum est, nam sumitur aliquando pro qualibet hominum multitudine in unum congregata, ut in Capitulari Caroli Magni lib. 3. cap. 74. *Si quis super missum dominicum cum collecta & armis venerit.* Et lib. 5. cap. 130. *De inmerantibus, ut eos per Collectam nemo ausus sit adfallere.* Et magis pressè pro conventu & congregatione fidelium ad orationem simul convenientium: atque hoc sensu phrasis est antiquis Patribus & historicis Ecclesiasticis valde usitata, collectas agere, convenire ad collectam, adesse collectæ; adeo ut hoc nomen ad ipsum divinum officium & ad Missæ sacrificium translatum sit, ut supra ostendimus, cum de nominibus Missæ ageremus. Etiam in veteri Testamento *Levit. 23. Deuter. 16. 2. Paral. 7.* cœtus fidelium, diesque solennes Collectæ dicebantur. Eadem voce Paulus Apostolus usus est *1. ad Cor. 16.* pro eleemosynis, quæ ad alendos pauperes colligebantur. De collectis, inquit, *quæ sunt in sanctos, sicut ordinari Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite, ut non cum venero, tunc collectæ fiant.* Extat apud Chrysostomum insignis oratio de eleemosyna & collectis: de quibus etiam agunt Iustinus Martyr *Apolog. 2.* Tertullianus *cap. 39. Apolog. Cyprianus epist. 60. ad Januarium & reliquos Numidiæ Episcopos, & Leo Magnus in sermonibus de Collectis.* Hæc vero indicebantur intra Missarum solemnia, & sæpius in sermone pro subsidio indigentium, sive ad redimendos captivos, de qua re diffusè tractat Ferrarius *lib. 1. de ritu Sacrarum concionum cap. 26.* Accipitur tandem Collectæ nomen pro brevi oratione, quam Sacerdos salutato populo recitat, quæ ideo Collecta dicitur, quia populo in unum congregato & collecto recitatur; vel quia sacerdos legatione apud Deum pro omnibus fungens omnium vota in unum colligit: vel quia ex selectis sacræ Scripturæ & Ecclesiæ verbis compendiosa brevitate colligitur: vel quia omnes collectis animis affectus suos & mentem ad Deum attollunt; quas notiones fufius prosequitur Claudius Espencæus *tract. de Collectis Ecclesiasticis.* Innocentius III. *lib. 2. de mysteriis Missæ cap. 27.* & Joannes Beletus *lib. de div. off. cap. 37.* Collectam propriè dici volunt eam orationem,

quæ olim super populum fieri solebat, quando collectus in unum erat cum universo clero in una Ecclesia, ut ad aliam procederet, in qua statio celebranda erat. Tunc enim Episcopus sive sacerdos collecta omni multitudine brevi oratione super populum uti solebat; ex quo fieri potuit, ut ad reliquas hujusmodi orationes Collectæ nomen dimanarit. Hinc liber Sacramentorum S. Gregorii in festo Purificationis S. Mariæ duplicem habet orationem, quarum una inscribitur, *Ad Collectam ad S. Adrianum,* ubi populus & Clerus colligebantur, ut inde procederent ad S. Mariam Majorem; & incipit, *Evadi quesumus Domine plebem tuam:* altera dicitur ad Missam, scilicet, *Omnipotens sempiterne Deus majestatem tuam, &c.* Lego etiam tributum quandoque Collectis nomen benedictionis: nam in ordine coronationis Caroli Calvi, quæ in ejus Capitulari *pag. 486.* describitur, Collectis, quas singuli Episcopi super Regem recitarunt, hic titulus præfigitur: *Benedictiones super Regem Carolum ante Missam & altare S. Stephani.* Explicat luculenter hujus nominis rationem Amalarius *lib. 2. cap. 9. Episcopus,* inquit, *vel sacerdos dicit Oremus, ac deinde sequitur benedictio. Utroque nomine benedictionis & orationis vocatur oratio sacerdotis. De benedictione dicit Apostolus.* Si benedixeris spiritui, qui supplet locum idiotæ quomodo dicit Amen super tuam benedictionem, quia nescit quid dicas? Hanc benedictionem vocat Ambrosius orationem dicens, *Imperitus audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, & non respondet Amen, id est verum, ut confirmetur benedictio.* Hactenus Amalarius; sed sententia, quam tribuit Ambrosio, Hilarii Diaconi est, cujus esse commentaria in Paulum Ambrosio adscripta nonnulli existimant. Quod verò benedictio pro collecta accipi soleat, probatur etiam ex Regula S. Benedicti *cap. 11.* in quo disponens vigiliarum ordinem pro Diebus Dominicis præcipit, ut dicto hymno *Te Deum laudamus,* Abbas legat Evangelium: lecto autem Evangelio, & data, inquit, *benedictione incipiant Matutinos.* Hæc autem benedictio nihil aliud est quam collecta currentis officii, postquam laudes immediatè subsequuntur. Idem confirmat his omnibus antiquior Augustinus *lib. de dono perseverantiæ cap. 23. An quis Sacerdotem super fideles Dominum invocaverit, si quando dixit, da illis domine in te perse-*

verare



verare usque in finem, non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem & corde credente & ore consistente respondit Amen? Ex hoc autem Augustini testimonio, & ex epistola ad Vitalem supra citata, itemque ex actis S. Susannæ evidens sit collectarum usum, quocumque nomine vocarentur, viguisse in Ecclesia ante sanctos Pontifices Gelasium, & Gregorium Magnum, quibus plerique primam illarum institutionem attribuunt.

IV. S. Pontifex Cælestinus in Epistola ad Galliarum Episcopos de Gratia Dei pro Prospero, & Hilario cap. 11. ea quæ solemus in collectis à Deo petere commemorans, eas orationes ab Apostolis traditas asserit his verbis: „Obsecrationum Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuatur supplicandi. Cum enim sanctarum plebium Præsules mandata sibi met legatione ne funguntur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, & tota se cum Ecclesia congemiscente postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrag ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholici fidei perceptione respiciant, ut Schismatici spiritum reditivæ charitatis accipiant, ut lapsi penitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cælestis misericordiae aula referetur. Hæc Cælestinus, cujus verba libro Gennadii de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 29. & 30. ejus interpolator inseruit. Genebrardus quoque lib. de Apostolica Liturgia cap. 20. Collectarum institutionem Apostolis adscribit, sed nullo prolato teste. Mihi verò hæc distinctio adhibenda videtur: nam si præcisè de Collectis loquamur, quibus nunc utimur, verillimum esse reor earum primos auctores fuisse Gelasium & Gregorium: id enim omnes rerum Ecclesiasticarum scriptores asserunt, & antiqua monumenta evincunt. Quod si nomine Collectarum breves orationes collectis Gregorianis similes intelligimus, quibus summa petendorum à Deo paucis verbis continetur, nulli dubium esse potest, eas Gelasio antiquiores esse, atque ab Apostolis eorumque immediatis suc-

cessoribus in sacris conventibus usurpatas, ut ex actis S. Susannæ, aliisque testimoniis supra citatis probatum est: quibus adjungi possunt ex Concilio Milevitano canon. 12. & ex III. Carthaginensi 23. præcipientes, ne quis orationes in Missa recitare præsumeret, nisi prius in Synodo approbatæ fuissent. Cum enim cresceret pro arbitrio cujusque Episcopi earum numerus & diversitas, nimia licentia coercenda fuit, ne quid in Ecclesia audiretur aut à fide absonum aut Ecclesiasticæ gravitati incongruum. Quod verò Gelasius orationes composuerit, testatur Anastasius in ejus vita: Fecit, inquit, Sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone. Neque Gregorius omnes, quæ extant in ejus libro Sacramentorum, de novo composuit; sed ut ait Joannes Diaconus in ejusdem vita lib. 2. cap. 17. Gelasianum Codicem de Missarum solemnibus, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, in unius libri volumine coarctavit. Et Valfridus cap. 22. „Curavit, inquit, B. Gregorius rationabilia quoque coadunare, & seclusis iis quæ vel nimia, vel inconcinna videbantur, composuit librum qui dicitur Sacramentorum. Observo autem, quod non obstante Gregoriana correptione, Missales S. Gelasii diu permanserunt, nam ut supra notavi Lib. I. Cap. XXV. §. X. inter libros sacros qui anno 831. in Monasterio Centulensi erant, tres Missales Gregoriani numerantur, & XIX. Gelasiani, ubi videmus, multo plures Gelasianos fuisse quam Gregorianos, quia nimirum illis potius quam istis ibidem utebantur. Nec dubito, quin hodie alicubi lateat aliquod Gelasii Sacramentarium, ut vocant: imò cum evolverem codicem illum antiquissimum Ordinis Romani Petavianum, qui nunc est in Bibliotheca Reginae Sueciæ, suspicatus sum ordinem S. Gelasii in eo contineri, adeo multa habet diversa à Gregoriano, nisi fortè ex utroque mixtum sit. Sunt in hoc plures collectæ diversæ à Gregorianis, ut in Ascensione Domini: „Deus, qui ad declaranda tuæ miracula majestatis post resurrectionem à mortuis hodie in caelos Apostolis adstantibus ascendisti, concede nobis tuæ pietatis auxilium, ut secundum tuam promissionem & tu nobiscum semper in terris, & nos tecum in caelo vivere mereamur. A Gregorianis item, paucis exceptis, diversæ sunt Ambrosianæ.



à S. Ambrosio & ab aliis ejus Ecclesiæ Pontificibus compositæ. In Missali autem Mozarabum non solum diversæ omnino sunt orationes, sed diversa quoque ipsarum formula est: nam & longiores sunt & ritu dissimili recitantur. Ut in Dominica prima Adventus Introitum dicit Sacerdos alta voce, *Per omnia semper secula seculorum.* Respondet clerus, *Amen.* Tum Sacerdos hanc recitat orationem. *Deus qui per Angelicos choros adventum Filii tui Domini nostri Jesu Christi annunciare voluisti: qui per Angelorum præconiâ gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis adclamantibus demonstrasti, concede ut hujus Dominicæ resurrectionis festiuitate pax terris reddita conualescat, & fraternæ dilectionis charitate immovata permaneat.* Respondet Clerus, *Amen.* Mox ait Sacerdos. *Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus & vivis & omnia regis in secula seculorum.* Et responso *Amen,* Sacerdos salutatur populum dicens, *Dominus sit semper vobiscum.* In Liturgiis Græcorum quamvis multæ sint preces, nulla tamen extat, in qua Latine Collectæ modus observetur. Multas etiam Collectas composuerunt Alcuinus & Grimoldus Abbas, quas Pamelius collegit tom. 2. *Liturgicorum*: itemque Musæus Presbyter Massiliensis, & Voconius Episcopus Castellanus in Mauritania, ut refert Gennadius lib. de viris illustribus; sed quales hæ fuerint nescimus, quia eorum opera interierant. Sunt & aliæ à recentioribus editæ, quæ facile dignoscuntur, si cum antiquis & Gregorianis conferantur. Elucet enim in antiquis veteris Ecclesiæ spiritus: elucet in rebus ipsis apostolica quædam gravitas; in sensu & in collocatione verborum grata quædam & perspicua concinnitas, adeo ut brevi compendio multa contineantur. Et primo quidem Dei benevolentia captari solet vel ab aliquo ejus attributo, vel à commemoratione alicujus beneficii nobis collati, vel proposita nostra infirmitate & indigentia. Sequitur expositio rei, quæ petitur, addito nonnunquam motivo, quo Deus flectatur ad ea nobis concedenda quæ postulamus. Addit eis venustatem ipsum genus compositionis non solum & vagum; sed certo ambitu definitum, variisque schematibus exornatum. Docet Petrus Cirvelus Darocensis in præfatio expositionis libri Missalis editæ Compluti anno 1528. in prima

Collecta explicari moraliter Introitum Missæ, in secreta offertorium, in oratione finali communionem: quæ observatio quamvis in nonnullis locum habere possit; omnibus tamen aptari nequit, nisi sensus literalis violento quodam ingenii conatu ad eam moralitatem subtiliter quidem, sed sine ullo fundamento, ut in similibus sæpè contingit, pertrahatur.

V. Concluditur demum oratio obsecratione & obtestatione per Christum, qui est mediator & redemptor noster. Ad Patrem enim dirigitur oratio, ut Concilium Carthaginense III. decrevit, & per Filium terminatur, sicut ipse olim præcepit dicens, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Atque ideo Tertullianus dixit cap. 21. *Apolog.* Christianos Deum per Christum colere. *Dicimus & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati & crucienti vociferamur, Deus colimus per Christum.* Per eum & in eo se cognosci vult Deus & coli. Meminit ejusdem ritus Optatus Milevitanus lib. 3. *Paganum vocas cum, qui Deum Patrem per Filium ejus ante aram rogaverit.* Et Haymo Halberstatens. in cap. 7. *epist.* ad Hebræos, *Unde, inquit, & Sacerdotes Ecclesiæ altari assistentes dicunt, Suscipe Domine sancti Per preces populi tui, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.* Nemo autem copiosius & elegantius totam hanc clausulam Orationum exposuit, quam Fulgentius Ruspensis Episcopus in *Epist.* ad Ferrandum Diaconum de quinque quaestionibus, quarum quarta est ista, *Unum, inquit, Regnum Patris & Filii & Spiritus Sancti credimus & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes: quare ergo in orationibus Sacerdotum, Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti, per universas pene Africæ regiones catholica dicere consuevit Ecclesia, tanquam solus Filius cum Patre possideat regnum, in unitate scilicet Spiritus sancti, ut regnantes adunare, non simul regnare Spiritus sanctus instimetur?* Respondet Fulgentius admodum prolixè, asserens nos per Jesum concludere orationem, quod ille mediator sit. Tum ex doctrina B. Augustini ait, ideo nos unitatem Spiritus sancti cum Patre & Filio prædicare, ut ex ipso unitatis nomine una essentia, & ex hoc unum regnum, & in eodem



eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas a Fidelibus agnoscat: ne putetur aut Filius, aut Spiritus sanctus secundum divinam naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum potiori regnat inferior; sed illa unitus Spiritus sancti, quæ est communio Patris & Filii, dum in illo regno unitatem Divinitatis monstrat, unam esse regnandi aeternitatem, unam potestatem, atque majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edoceat. Nullum autem præjudicium Filio vel sancto Spiritui comparatur, ut idem Fulgentius scribit lib. 2. ad Monimum cap. 5. dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cujus consummatio, dum Filii & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen: quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur, & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio. Ad solum igitur Patrem omnes ferè Collectæ directæ sunt, pauca ad Filium, nulla ad Spiritum sanctum: non quia is donum est, & à dono donum non petitur, ut nonnulli cum Durando in suo Rationali philosophantur; sed quia Missa representatio est ejus oblationis, qua Christus se Patri obtulit, ac propterea ad ipsum Patrem Liturgicæ preces diriguntur. Porro ex dictis antiquitas hujus clausulæ *Per Christum* dignoscitur: quæ potest etiam ex Tertulliano confirmari, qui lib. de spectaculis cap. 25. æonas æonum id est sæcula sæculorum alii omnino dicere vetat nisi Deo & Christo. Et ex Irenæo lib. 1. cap. 1. ubi redarguens Valentini Hæresiarchæ portentosum commentum de triginta æonibus, variisque æonum generationibus, refert discipulos Valentini conatos fuisse illius erroribus participes facere Catholicos, quod in orationibus dicerent æonas æonum id est sæcula sæculorum.

VI. Post Collectam totus cætus accinit *Amen*: de qua voce, ejusque usu post preces loquitur Apostolus 1 ad Cor. cap. 14. & post eum antiqui Patres. Justinus Martyr Apol. 2. *Absolutis precibus & gratiarum actione quilibet de populo qui adest sanctis vocibus acclamat Amen.* Hieronymus *Præf. librorum 2. in epist. ad Galatas* in Ecclesiis Urbis audiri testatur quasi cœlesti tonitru populum clamantem & reboantem *Amen*. Au-

gustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 7. *cum Episcopus solus inus est, populus orat cum illo, & quasi subscribens ad ejus verba respondet Amen.* Idem in fragmento sermonis ad populum contra Pelagianos, *Amen vestram subscriptio vestra est, consensus vestra est, ad stipulatio vestra est.* Dionysius Alexandrinus in epist. ad summum Pontificem Sixtum apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 9. *Qui gratiarum actionem frequenter audierit, & cum cæteris responderit, Amen.* Theodoretus in epist. 2. ad Cor. cap. 1. *Non solus Sacerdos orans offert hymnum, sed etiam qui Amen adjungit, est oblata glorificationis particeps.* Cyrillus Catech. mystago. 5. obsignari ait per *Amen* orationem, sicut eadem voce obsignatas olim epistolas, quas formatas vocabant, docet Ferrarius lib. 1. de antiquo genere Epistolarum Ecclesiasticarum cap. 5. Alia quædam de hac voce notavi in tractatu de Divina Psalmodia cap. 6. §. 17. n. 5. Quod verò attinet ad numerum Collectarum, sunt quidem recentiores qui asserunt, Ecclesiam Romanam à temporibus Apostolicis tres orationes recitare consuevisse: nullum tamen hujus assertionis testimonium afferunt: imò illi refragantur. Ordo Romanus & antiqui Sacramentorum libri, in quibus pro singulis Missis una tantum Collecta assignatur. Neque obstat Concilium Laodicenum, à quo sancitum fuit can. 19. tres in Missa orationes fieri, unam pro catechumenis, alteram pro pœnitentibus, tertiam pro fidelibus: cui sanctioni favet Chrysostomus hom. 72. in Matth. Nam ritus græcus in usu Collectarum, ut supra indicavimus, discrepat à Latino; & in locis citatis tam Concilium quam Chrysostomus non loquuntur de collecta, quæ à nobis, post Introitum dicitur; sed de orationibus, quæ post Evangelium & homiliam fieri solebant super catechumenos & pœnitentes, antequam veteri ritu dimitterentur, & super Fideles qui in Ecclesia remanebant. Puto autem orationes apud Latinos multiplicari cepisse in Monasteriis, quod ex Synodo Matisconensi habita, ut notat Sirmondus an. 627. deduco. In ea siquidem Agrestinus Monachus Luxoviensis vir pravi & arrogantis ingenii regulam S. Columbani tanquam superstitionem impugnavit, inter cætera obijciens, Columbanum à cæterorum Ecclesiasticorum more desciscere, & sacra Missarum solemnia multiplicatione orationum vel Collectarum celebrare.



brare. Cui obstitit Eustasius ejusdem Monasterii Abbas dicens, multiplicationem orationum omnibus proficere Ecclesiis, quia dum plus Dominus queritur, plus invenitur; & cum uberius oratione pulsatur, eò citius exaudire probatur. Narrat diffusè hanc disputationem Jonas Aurelianensis in vita prædicti Eustasii sive Eustachii, ut alii eum vocant. Huc etiam spectat quod Matth. Paris refert in vita Abbatum S. Albani, Joannem scilicet ejus Monasterii Abbatem constituisse, ne numerus Collectarum in Missa septenarium excederet. Non solum autem in Missæ, officiorumque divinorum solemniis Collectæ olim recitari solebant; sed in quocumque Clericorum seu Monachorum conventu, quoties simul orabant, qui præsidebat brevi Collecta conventum dimittere solebat. Testis est hujus consuetudinis Walfridus Strabo capite 22. dicens, consuevisse veteres Patres, qui cæteris eminentiores erant, non solum inter officia Missæ; verum etiam in aliis conventibus, & colloquutionibus brevi oratione opus concludere. Quod, inquit, & in sanctorum Patrum exemplis agnoscimus, dum alii alios honorificentie causa orationes colligere postulabant. Sicut etiam nunc solent sacerdotes in conclusionibus nocturne vel diurne Synaxeos orationes breves id est Collectas Subjungere. Sunt enim tales, ut non alibi quam circa sacrificii celebrationem sint dicendæ. Sunt verò aliæ quibus & in officio Missæ & non minus in aliis locis possumus uti. Confirmatur ex regula Magistri cap. 15. ubi loquens de oratione pro fratre fluctuante ab universa congregatione facta, postquam omnes diutissime orassent, surrexisse omnes ait, & ab Abbate completam fuisse orationem. Cæterum hoc loco præterire non debeo, ab hoc Magistro, quicumque ille fuerit, Collectam inuitato, sibi que peculiari, ac planè barbaro vocabulo vocari Rogus Dei. Sic ille passim in Regula, cap. 33. *Extra lectiones, versum, & rogus Dei.* cap. 35. *Psalmi matutini dici debent omni tempore sex, responsum unum versum, lectionem Apostoli & Evangelii, quam semper dicit Abbas, & rogus Dei.* Et infra. *Post ipsam rogus Dei c. 37. Psalmi Completorii tres dici debent, Responsum, lectionem Apostoli, lectionem Evangeliorum, post quam semper præsens Abbas dicat rogus Dei, & versum clusorem.* Glossator hu-

jus regulæ putat rogus Dei esse Kyrie eleison, sed proculdubio collecta est, ut ex ipsa officii serie, & ex communi usu Monachorum manifestum sit. Credo autem sic dictam, quia per illam rogatur Deus. Hæc obiter. Vltimè verò collectarum extra divina officia astruit etiam Gregorius Magnus lib. 3. dialog. cap. 17. Agens enim de Mortuo, quem Monachus quidam fufis ad Deum precibus suscitavit, cum diutius, inquit, orassent, Monachus scilicet & Quadragesimus Subdiaconus, complere orationem Quadragesimam Subdiaconum servus Dei petiit: qua completa ab altari crepidine pulverem colligit, atque cum eodem Quadragesimo ad defuncti corpus accessit, se seque ibidem in orationem dedit. Cumque diutius orasset, jam non sicut prius secerat, orationem compleri per Subdiaconum voluit, sed ipse benedictionem dedit, collectam nimirum recitavit, quam diximus supra benedictionis nomine intelligi, statimque surrexit. Erant autem ut plurimum hujusmodi orationes, quæ ad complendum dicebantur, ferè similes collectis nostris Liturgicis, ut ex antiquis Monachorum usibus constat. In officii Græcorum concluduntur orationes Dei glorificatione diversis formulis idem significantibus. Quia convenit tibi omnis gloria, honor, & oratio Patri & Filio & Sancto Spiritui, nunc & semper & in secula seculorum. Amen. Quia tua est potentia, tuum est regnum, virtus & gloria Patris & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper & in secula seculorum. Amen. Quia tu es rex pacis & salvator animarum, & tibi gloriam referimus Patri & Filio & Spiritui sancto, nunc & semper & in secula seculorum. Amen. Ita quoque completam orationem à B. Maximo Reicensi Episcopo narrat in ejus vita Dynamius Patricius, His verbis, inquit, completis officium: sit gloria Dei benedicta in æternum & in secula seculorum: reliquis respondentibus Amen.

VII. Collecta expansis manibus, brachiisque protensis recitatur, eo scilicet habitu qui fidelibus orantibus in utroque testamento sollemnis fuit. Ideò psallebat David: Cum extollo manus meas ad templum sanctum tuum: In nomine tuo levabo manus meas: Expandi manus meas ad te. Nam sicut Adam extensa manu ad vitæ arboris fructum Dei præceptum transgressus est; ita credimus ipsum poenitentem noxias manus ad Deum exten-



extendisse, cum ab ipso veniam prævaricationis in oratione petebat; eumque ritum filios & nepotes suos edocuisse. Hac ipsa de causa Christum in cruce manus suas extendisse adversus primi parentis manus incontinenter extensas Nazlanzeni sententia est. Idcirco, ait ille orat. *l. lignum adversus lignum, & manus adversus manus: illa fortiter extensis adversus incontinenter extensam; ille clavus confixæ atque confixæ adversus remissam & solutam; ille orbis fines conjungentes adversus eam que Adamum è paradiso exturbavit.* Utroque autem mysterio Christianos hac forma orasse existimo, ut & Adami transgressionem, & Christi è patibulo pendentis ac pro nobis satisfaciens imaginem exprimerent. Apparent pallium in cryptis & cæmeteriis Romanæ Urbis virorum & mulierum extensis brachiis, & elevatis manibus orantium antiquissimæ picturæ, quas Bosius spectandas exhibet in Roma Subterranea. Nec aliud Apostolus significat, cum Timotheo scribens ait, *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* Consonant antiqui Patres. *Crucis signum est,* ait Minutius Felix, *cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur.* Et Tertullianus in Apologetico cap. 30. *Manibus expansis, quia innocuus; capite nudo, quia non erubescimus; precantes semper sumus.* Idem lib. de orat. cap. 11. *Nos, inquit, non attollemus tantum manus, sed etiam expandimus è Dominica passione modulatione & orantes consistemus Christo.* Eundem usum S. Pachomio familiarem fuisse scriptor vitæ ejus tradit his verbis: *consueverat stans in oratione manus expandere, quas per aliquot horarum spatia minime colligebat.* Et in hymno de sanctis Fructuoso Episcopo & sociis eleganter Prudentius ait excidisse illis vincula in flammis, ut manus & brachia ad Deum levarent.

*Non ausa est cobibere poena palmas  
In morem crucis ad Patrem levandas,  
Solvis brachia, quæ Deum locentur.*

Hunc ipsum habitum petentium à Deo auxilium, ipsi etiam infideles natura duce agnoverunt, Apuleio teste, qui lib. de mundo ait: *Habitus orantium hic est, ut manibus extensis ad caelum precemur: qua de re plura congerit eruditissimus Briffonius lib. 2. de formulis.*

VIII. Non est autem prætermittendus, antequam finem imponam huic Capiti, ritus quidam Romanæ Ecclesiæ, qui olim post dictam

à celebrante Collectam in Missa solemnè servabatur; & à Cencio Camerario tunc præfecto Ceremoniarum, postea summo Pontifice Honorio III. in suo Ceremoniali M. S. cap. 2. accuratè describitur. Diaconi Cardinales, Subdiaconi, & alii ordines cum scriniariis faciebant laudes Domino Papæ immediatè post collectam hoc ordine. Archidiaconus cum aliis Diaconibus & Subdiaconibus stabant juxta altare, & incipiebant alta voce, *Exaudi Christe.* Scriniarii verò stantes in choro cum Pluvialibus respondebant, *Domino nostro Papæ vita.* Idque tertio repetebatur. Deinde Archidiaconus dicebat tribus vicibus *Salvator mundi*, ad singulas respondentibus scriniariis *Tu illum adjuva.* Tum sequebantur Litanias; videlicet *Sancta Maria, Tu illum adjuva. S. Michael, Tu illum adjuva;* & quæ sequuntur. Quibus finitis dicebat Archidiaconus, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison:* idem semper respondentibus scriniariis. Et post hæc Subdiaconus legebat Epistolam. Hodie laudes hoc loco fieri solent Domino Papæ eodem ferè ritu in die dumtaxat suæ coronationis. Similes laudes sive acclamationes intra Missarum solemnias fieri quoque solebant Imperatoribus, & illis absentibus ipsorum imaginibus; sicut legimus initio libri XI. Epistolarum Gregorii Magni. *Venit in cona Phocæ & Leontie Augustorum Romam, & acclamatum est eis in Laterani in Basilica Julii ab omni Clero vel Senatu. Exaudi Christe. Phocæ Augusto & Leontie Augustæ vita.* Excommunicatis autem ob varias hæreses Græcis Imperatoribus, non sunt factæ eis laudes, quas postea factas Carolo Magno à Leone Papa coronato more antiquorum Principum refert Chronicon editum ab Henrico Canisio tom. 3. antiquarum lectionum, & auctius tom. 2. scriptorum historiæ Francorum Andrea du Chesne. Apud Goldastum to. 2. parte 3. antiquitatum Alamannicarum extant hujusmodi Laudes & Litanias, quæ ante epistolam fieri solebant in plerisque Germaniæ Ecclesiis tempore Nicolai I. Finita oratione post *Gloria in excelsis Deo*, dicit sacerdos tribus vicibus semper respondente clero, *Christus vincit, Christus regnat. Christus imperat.* Tum ait sacerdos, *Exaudi Christe.* Respondet clerus, *Nicolao summo Pontifici, & universali Papæ vita.* Sequitur Litanias, *salvator mundi, Tu illum adjuva. S. Petre, S. Paulle, S. Andrea, S. Clemens, S. Xixte, S. Cyriace.* Et singulis respondetur, *Tu illum adjuva.* Sequitur, *Exaudi Christe*



Christe. Ludovico à Deo coronato; magno & pacifico Regi vita & victoria. Redemptor mundi; Tu illum adjuva S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, S. Joannes, S. Stephane, S. Theodole, cum responsione ad singulos, Tu illum adjuva. Addit Sacerdos: Exaudi Christe. Henne Regine nostrae vita. S. Felicitas; Tu illam adjuva; eodemque modo invocantur S. Perpetua, S. Petronilla, S. Lucia, S. Agnes, S. Caecilia. Iterum ait Sacerdos. Exaudi Christe. Nobilissima proli regali vita. S. Sylvester; Tu illam adjuva. S. Laurentii, S. Nazari, S. Pancrati, S. Anastasia, S. Genovefa, S. Columba. addita singulis responsione, Tu illam adjuva. Rursum dicit sacerdos. Exaudi Christe. Omnibus Judicibus vel cuncto exercitui Francorum & Alamannorum vita & victoria, S. Hilari, Tu illos adjuva, S. Martine, S. Mauriti, S. Dionisi, S. Albane, S. Crispine, S. Crispiniane, S. Gereon; Tu illos adjuva. Post hæc repetit sacerdos, Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. & hæc quæ sequuntur Christi attributa commemorat; atque ad singula respondet Clerus, Christus vincit, &c. Rex regum. Christus vincit, &c. Rex noster. Spes nostra. Gloria nostra. Misericordia nostra. Auxilium nostrum. Fortitudo nostra. Liberatio & Redemptio nostra. Victoria nostra. Arma nostra invictissima. Murus noster inexpugnabilis. Defensio & exaltatio nostra. Lux, via, & vita nostra. Christus vincit, &c. Denique Sacerdos ait: Ipsi soli gloria, & potestus per immortalia secula seculorum. Respondet Clerus, Amen. Ipsi soli honor, laus, & jubilatio per infinita secula seculorum; Amen. Ipsi soli virtus, fortitudo, & victoria per omnia secula seculorum; Amen. Christe audi nos, ter. Kyrie elison, ter. Feliciter, ter. Tempora bona habes, ter. Multos annos, ter. Hæc Goldastus ex Codice M. S. Monasterii S. Galli. Romanis verò Pontificibus quando fieri desierint hujusmodi laudes in singulis Missis, ignotum mihi est. Scribit Joannes Lucius lib. 2. de regno Dalmatiae cap. 6. adhuc in ea provincia laudum sive acclamationum intra Missarum solemniam consuetudinem permanere.

## CAPUT VI.

*Epistola nomen cur lectionibus Liturgicis tributum sit. Earum usus antiquissimus. Lecta aliquando Pontificum Epistola. Ordo Lectionum à quo primum institutus. Quo olim ritu & à quibus legerentur. De Graduali seu Responsorio, ejusque origine & variis vicibus. Vox Alleluja quando primum audita. Usus ejus in Missa. Cur omittatur in Septuagesima. Tractus quid sit. De Sequentiis & illorum autoribus.*

I. **A**Ntiqui Codices Sacramentorum, tam editi quam M. S. Post collectam, inquit, sequitur Apostolus, id est lectio ex Apostolo. Tametsi enim ipsa lectio ex aliis quoque libris Veteris & Novi Testamenti desumatur, ut plurimum tamen ex epistolis Pauli accipitur, ac propterea solius Apostoli in prædictis codicibus mentio fit. Atque inde orta est epistolæ nomenclatura, quæ huic lectioni communiter tribui solet, licet non ex epistolis, sed ex Prophetis sive ex aliis Scripturæ sacre libris desumpta sit. Walfridus Strabo cap. 22. non adeo certum esse ait, quis ante celebrationem sacrificii lectiones Apostolicas vel Evangelicas primum statuerit. „Credetur tamen, „ait, à primis successoribus Apostolorum eandem dispositionem factam, ea præcipue causa, quia in evangelii eadem sacrificia celebrari jubentur: & in Apostolo qualiter celebrari debeant, docetur. Quod si de lectione sacre Scripturæ generaliter sermo sit, nulli dubium esse potest, eam legendi in Ecclesia consuetudinem ab Apostolis emanasse, ad quos hic ritus à Veteri Testamento profuxit. Nam Exodi 24. assumens Moyses volumen federis & immolatis victimis legit audiente populo coram altari: idemque Deuteronomii 31. verba ejusdem libri legi præcepit omni populo in unum congregato, ut discerent omnes timere Dominum, & verba ejus custodire. Sic Levitæ 2. Esdræ 8. in conspectu totius populi divinæ legis codicem legebant distinctè & aptè ad intelligendum. Sic ipse Christus Redemptor noster Lucæ 4. intravit secundum consuetudinem die sabbati in synagogam, & surrexit legere



gere. Sic Paulus *Actor*. 13. Hebræos arguit voces Prophetarum ignorantes; quæ per omne sabbatum legebantur. Hunc verò morem servatum fuisse ab Apostolis, cum fideles ad synaxim conveniebant, ipsemet Paulus asseverat ad Corinthios scribens, *epist. 1. cap. 14. Cum convenitis unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet: quem textum de Psalmis & lectionibus ante sacrificium quidam interpretantur. Idem expressius ad Colossens. 4. Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut in Laodicensium Ecclesia legatur; & eam quæ Laodicensium est, vos legatis. Et in fine epist. 1. ad Thessalonicenses, Adjuvo vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Quamvis enim præcisè non jubeat fieri hanc lectionem in Missarum solemnibus, verisimile tamen est, esse illi temporì reservatam, quo solebant fideles ad sacra mysteria percipienda convenire; cum præsertim temporibus illis extra hanc occasionem publicos conventus in ecclesia factos nusquam legamus. Clarè item hic ritus in Liturgia Jacobi Apostoli præscribitur, ut nimirum legantur singulis diebus in sacra & divina Missa oracula sacra Veteris Testamenti & Prophetarum, & incarnatio Filii Dei. Idem asserunt antiqui Patres, Tertullianus in *Apolog. cap. 39. Coimus ad literarum divinarum commemorationem. Et lib. 2. ad uxorem cap. 6. ubi, inquit, somenta fidei de Scripturarum interjectione, sive ut Pamela legit, interlectione?* Quæ verba cum aliis, quæ ibidem leguntur, ad Missam pertinere ex antecedentibus evincitur. Justinus Martyr *Apolog. 2. Sacrum Christianorum describens ait, & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus servit, leguntur. Cyprianus ep. 33. & 34. Lectorum meminit, quorum munus erat legere in ecclesia. Dionysius initio c. 3. Ecclesiastica hierarchiæ ordinem Liturgiæ describens, Consequenter, ait, sacrarum scripturarum lectio recitatur. Eadem in Apostolicis constitutionibus, & in Basilii, Chrystostomi, aliorumque Liturgiis præcipitur, tanquam sacri ministerii notabilis pars, per quam ad divini Sacramenti participationem fidelium animi disponuntur. Augustinus *lib. 3. de civ. Dei, cap. 8. Sinaxim diei Paschatis commemorans, Salutavi, inquit, populum & facta eandem silentio scripturarum divinarum sunt lecta sollemnia. Idem initio serm. 33. de verbis Domini utriusque lectionis argumentum proponit: Lectiones sanctæ proposita sunt; & quas au-***

diamus; & de quibus aliquid sermonis adjuvante Domino proferamus. In lectione Apostolica gratiæ aguntur Deo de fide gentium: in Evangelio ad cenam vocati sumus. Et serm. 10. de verbis Apostoli: *Primum lectionem audivimus Apostoli, fidelis sermo & omni acceptione dignus. Ita etiam serm. 49. de temp. Audivimus Apostolicam lectionem. Et sic passim in aliis sermonibus. Leo Magnus serm. 4. Quadrag. prædicaturus jejunium ex verbis Apostoli se incipere ait, & dicere quod lectum est, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Chrystostomus hom. 3. in 2. ad Thessal. Quando lector dicit; Hæc dicit Dominus: & stans Diaconus silentio indicto omnibus os obstruit, non lectori honorem habens hoc facit, sed ei qui per illum cum omnibus loquitur. Idem hom. de David & Saule, qua elegantissimè declamat adversus spectacula, eos redarguit, qui iisdem oculis, quibus obscena spectacula inspexerunt, sacram mensam intuentur, in qua tremenda mysteria peraguntur: & iisdem auribus Prophetam & Apostolum audiunt, quibus scortum audierunt. Ex his autem, omnis recentiorum testimoniis, evidenter deducitur, morem legendi in Ecclesia, & specialiter initio Missæ, Scripturam, non ab Alexandro I. Romano Pontifice, ut quidam perperam scribunt, sed ab Apostolis incepisse.*

II. Usus veterum Patrum fuit, non solum scripta Prophetarum & Apostolorum legere in ecclesia, cum fideles ad Missarum sollemnia conveniebant, sed summorum item Pontificum, aliorumque Episcoporum epistolas, eas præsertim quas Irenicas sive Pacificas, aut Communicatorias vocabant: quarum commercio unitas, pax & communio inter supremum Ecclesiæ caput Romanum Pontificem, & reliquos Episcopos, atque universa Ecclesiæ membra unâ fidei consensione conservabatur; ita ut Orthodoxi ab Hæreticis facillè ab omnibus ex illarum litterarum participatione discernentur. Mittebantur enim ab una Ecclesia in aliam, ut scirent fideles, cum quibus Episcopis communicandum esset. Negat hæc de causa Augustinus *epist. 162. se litteras communicatorias scripsisse Donatistis, quas jam olim, ait, propter suam perversitatem, ab unitate Catholica, quæ toto orbe diffusa est, non accipiunt, sed privatas, qualibus nobis uti etiam ad Paganos licet. Et quia cum illis, qui longo regionum intervallo distiti erant, com-*



municatio per osculum pacis fieri non poterat, neque per Eucharistiam; aut per Eulogias; per huiusmodi epistolas fieri solebat. Præclare Chrysostomus hom. 30. in 2. ad Cor. Vide quemadmodum omnes tam corporibus longè distitos, quam vicinos inter se conciliet, hos nempe per osculum, illos per literas. Epistolam Clementis ad Corinthios publicè lectam in Ecclesia testatur Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. Apud Eusebium lib. 4. cap. 15. extat ejus generis epistola Smyrnenfis Ecclesiæ ad omnes orthodoxos, qua S. Polycarpi Martyrium describitur. Et infra cap. 23. agens de epistolis à Dionysio Corinthiorum Episcopo scriptis, ait: ex quibus una est ad Lacedæmonios, rectæ fidei institutionem continens, pacemque & unitatem insinuans. Aliam similem refert lib. 5. cap. 1. Ecclesiæ Lugdunensis & Viennensis ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ de Martyribus illius provinciae. In collatione Carthagine habitâ pro defensione Felicis & Cæciliani legimus, quod pro executione impij edicti Diocletiani traditæ sunt etiam literæ salutatoriae simul cum sacris codicibus, qui legebantur in ecclesia. Augustinus. epist. 165. hæc de Donatistis scribit: *Legunt in codicibus sanctis Ecclesias, quibus Apostoli scripserunt, & nullum in eis habent Episcopum. Quid autem peruersus & insanius, quam Lectoribus easdem epistolas legentibus dicere, Pax tecum, & ab earum Ecclesiarum se pace separare, quibus ipse epistole scriptæ sunt?* Seriem verò & ordinem lectionum, atque Epistolarum & Evangeliorum, quæ singulis diebus per annum in Missæ sacrificio legi debent, communis Eruditorum sententia est, paucis licet negantibus, S. Hieronymum disposuisse in libro, quem Comitum inscripsit, ediditque Pamelius tom. 11. Liturgicorum. Sed & Cornelius Schultingus initio suæ Bibliothecæ ecclesiasticæ se eundem Comitum M. S. habuisse asserit multo ampliorem quam sit editus à Pamelio, quem typis mandare non potuit deficientibus ad id sumptibus necessariis. Citant hunc librum nomine Lectionarii omnes antiqui sacrorum rituum scriptores, quidam sine nomine auctoris, alii expresso nomine S. Hieronymi, & titulo Comitum. Ita Micrologus cap. 25. *Liber etiam Comitum sive Lectionarius, quem S. Hieronymus compaginavit. Et Berno Augiensis cap. 1. Beatum Hieronymum credimus ordinatorem Lectionarii, ut ipsius testatur prologus appositus in capite ejusdem Comitum.* Sed hic prologus non extat

in præcitato Codice Pamelii. Hugo item à S. Victore lib. 2. de off. eccles. cap. 11. *Hieronymus Presbyter Lectionarium, ut hodie habet ecclesia, collegit: sed Damasus Papa, ut nunc moris est, legi instituit.* Verè autem hunc librum à Hieronymo conscriptum esse, ex eo quidam confirmant, quod Patres eo antiquiores lectionum dumtaxat utriusque testamenti generaliter mentionem faciunt: posteriores verò certas lectiones singulis diebus assignatas commemorant. Sed certas fuisse ante Hieronymum lectiones ex Hippolyti Martyris canone Paschali evincitur, in quo statæ lectiones in cellulis five laterculis designantur. Extat autem hic canon latinè translatus, & notis illustratus ab Ægidio Bucherio in ejus commentario de doctrina temporum. Græcè verò legitur apud Gruterum in Inscriptionibus pag. CXL. ex eo descriptus, qui sculptus est in lateribus antiquissimæ sedis lapideæ cum statua ipsius Hippolyti in ea sedentis, è ruderibus Urbis ante annos centum effossæ & in ingressu Vaticanæ Bibliothecæ collocatæ. Augustinus quoque, qui Hieronymo contemporaneus fuit, certas & proprias lectiones statis diebus suo tempore in Africa lectas fuisse docet initio expositionis in epistolam Joannis, his verbis: *Meminit Sanctitas vestra Evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare. Sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certis ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint: ordo ille, quem susceperamus, necessitate paulum intermissus est, non omissus.* Et infra tract. 9. ejusdem expositionis, *Intercesserunt, inquit, ut intermitteremus textum hujus epistolæ, quedam pro diebus festis solemnia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi & ipsa tractari.* Hunc autem morem, qui tunc vigeat in Africanis Ecclesiis, credibile est in aliis quoque servatum: Hieronymum verò suum Lectionarium per singulos dies distributum ordinasse jubente Damaso Papa, qui ordinem illum in Romana Ecclesia servari præcepit, ex qua ad alias dimanavit. A concilio Laodiceno can. 59. & à Carthaginensi, quod Tertium dicitur, c. 47. sancitum fuit, non oportere in ecclesia libros legere, qui sunt extra canonem, sed solos canonicos veteris & novi Testamenti. Toletanum IV. cap. 16. Apocalypsim legi mandavit Missarum tempore à Pascha usque ad Pentecosten. Et Bracarense I. cap. 20. decrevit, ut per solem-



nium dierum vigiliis vel Missas omnes easdem & non diversis lectiones legant.

III. Solebant autem antiquitus tam epistola quam Evangelium legi in ambone seu pulpito, ex quo etiam Episcopus conciones habebat: quem locum antiqui Patres honoris causa tribunal Ecclesiae appellarunt. Cyprianus epist. 34. agens de Celerino, quem post confessionem lectorem ordinaverat: *Quid aliud, inquit, quam super pulpitum, id est super tribunal Ecclesiae oportebat imponi, ut loci altioris dignitate subnixus & plebi universae pro honoris sui claritate conspicuus, legat praecepta & Evangelium Domini, quae fortiter & fideliter sequitur?* Prudentius hymno de sancto Hippolyto.

*Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal  
Tollitur Ansistes, praedicat unde Deum.*

Gregorius Turonen. lib. 2. de gl. Martyrum cap. 2. *Denique oratione facta erigo oculorum aciem ad tribunal.* Sidon. carm. 16. Aram vocat:

*Seu te conspicuus gradibus venerabilis arae  
Concionaturum plebs sedula circumfessit.*

Cathedrae item nomen accepit, unde Ecclesia Cathedralis. Graecis proprie Ambones dicuntur loci excelsi & montani, sive montium cacumina, & quicquid in plano prominet & exurgit: atque inde translatum est nomen ad ecclesiae suggestum significandum, in quo praeter praedictas lectiones etiam Diptycha recitari, & sermones haberi consueverant. Walfridus Strabo falso credit nomen esse latinum, & ab ambiendo deduci. In eo quoque stabant cantores, graduale & reliqua cantaturi: unde concilium Laodicenum cap. 15. non oportere ait praeter canonicos cantores, qui ambonem ascendunt & ex membrana psallunt, alios ~~canere~~ in ecclesia. Et can. 33. Concilii Trullani quarundam ecclesiarum damnatur abusus, in quibus laici suggestum ascendentes lectoris & cantoris officio fungebantur. Erat autem discrimen inter epistolam & Evangelium, nam illa in inferiori, istud in superiori loco legebatur. Ita Ordo Romanus. *Subdiaconus qui lecturus est, mox ut viderit post Pontificem Presbyteros residentes, ascendit in ambonem ut legat, non tamen in superiorem gradum, quem solus solet ascendere, qui evangelium lecturus est.* In quibusdam ecclesiis duo sunt graduum ordines, unus a sinistris versus orientem, quo ascendebant; alter a dextris Occidentem spectans, quo descendebant. In aliis subdiaconus via una, diaconus altera ibat. Adhuc Romae

extat veteris ambonis forma in ecclesiis S. Clementis, S. Pancratii, & S. Laurentii extra muros. Priscis temporibus Lectoris partes erant epistolam & evangelium legere, ut notum est ex epistolis Cypriani 33. & 34. supra relatis; & ex concilio I. Toletano can. 2. quo statuitur, ut poenitens non admittatur ad clerum, nisi exigente necessitate inter Ostiarios deputetur, vel inter Lectores, ita tamen ut evangelium & epistolam non legat: quod frustra prohibitum esset, nisi ad Lectoris officium id tunc spectasset. Accedit quod in antiqua subdiaconi ordinatione, sive ex concilio Carthaginensi, sive ex Aquilgranensi, sive ex Ordine Romano, nihil profus reperitur, quod ad legendam epistolam referri possit: idque fusiis ostendunt Hallier de materia & forma Ordinationis §. 16. & Morinus de sacris ordinationibus P. 3. exerc. 12. cap. 2. Lector autem olim per traditionem codicis ordinabatur, qui ritus adhuc hodie perseverat, & in ecclesia orientali traditur eis codex epistolarum S. Pauli, quas publicè legunt in ecclesia. Quo verò tempore coeperint subdiaconi legere epistolam dubium est. Suspicio autem saeculo octavo id contigisse; Amalarius enim, qui initio saeculi noni claruit lib. 2. cap. 11. *Miror, inquit, quae de re sumptus sit usus in ecclesia nostra, ut subdiaconus frequentissime, non ergo semper, legat lectionem ad Missam, cum hoc non reperiat ex ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex literis canonicis, neque ex nomine suo.* Et in fine capituli subdit. *Sed postquam statutum est à Patribus nostris ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt ut & Subdiaconus legeret epistolam sive lectionem.* At quando id statutum fuerit non dicit Amalarius, & ego existimo ante coepisse Diaconos legere Evangelium, quam Epistolam Subdiaconos, ut ostendam cum de Evangelio sermo erit. Favet supradictae conjecturae concilium Remense I. anno 813. celebratum; in quo cap. 4. asseritur, quod *praesidentibus cunctis lectae sunt Epistolae Pauli, qualiter subdiaconi ministerium est eundem Apostolum legere, ut officium sibi commissum implere rectius potuissent.* Apud Anastasium Benedictus III. qui vixit in Pontificatu anno 856. librum perditum restituisse dicitur, in quo erant lectiones, quae à subdiaconibus more solito leguntur per cunctas Ecclesiarum stationes: in quo graecas & latinas lectiones, quas die sabbato sancto Paschae, simulque & Pentecostes subdiaconi legere soliti sunt, adungi pra-



cepit; miræque operationis tabulis argenteis decenter adornavit. Ex quo vides, hunc morem à Romana Ecclesia ad cæteras dimanasse. Atque id Micrologus cap. 8. confirmat, dicens, *solis Subdiaconibus inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus induti epistolam legant ad Missam. Quod tamen non ex eorum consecratione, sed potius ex ecclesiastica concessione meruerunt obtinere.* Prisco ritu in multis Ecclesiis lectioni Epistolæ lectio aliqua ex Prophetis præmitti solebat, diebus præsertim solemnioribus, quibus in Comite S. Hieronymi assignata est: & extat etiam hodie in quibusdam Missalibus pro vigilia Nativitatis Domini, & pro tribus Missis ejusdem festivitatis; quibus etiam diebus olim erat in Missali Romano, ut Radulfus testatur *Proposit. 23.* antequam scilicet fratres Minores Romanum ritum immutarent. Hic autem mos ab Ecclesia Mediolanensi quotidie servatur, itemque à Mozarabica, ut in eorum Missalibus patet. Eundem ritum viguisse in Gallia, priusquam Romanis usibus uterentur, Gregorius Turonensis testis est lib. 1. Mirac. S. Martini cap. 5. *Factum est, inquit, ut illa Dominica, prophetica lectione jam lecta, ante altarium staret, qui lectionem B. Pauli proferret.* De Ecclesia Orientali testimonium Pachymenis habemus, qui exponens cap. 3. Eccles. Hierarchiæ Dionysii, ait: *Deinde per lectores divinarum scripturarum, Prophetarum, Apostoli, & Divini Evangelii lectio fit.* Finita epistola respondent ministri nomine totius populi *Deo gratias*, quæ vox antiquissima est, nam ejus meminit S. Benedictus cap. 66. *sue Regule* tanquam à Monachis passim usurpatæ: & August. in *Psal. 132.* Donatistas redarguit, qui Catholicorum *Deo gratias* irridebant.

IV. Dum perfectâ epistolâ præparat se Diaconus ad legendum Evangelium, Chorus Responsorium concinit, quod Graduale nuncupatur, non à gradibus altaris, ut quidam recentiores scribunt, sed à gradibus ambonis sive pulpiti, ut docet Ordo Romanus dicens, *Finita lectione illis qui Graduale & Alleluja cantaturi sunt, juxta pulpitem in inferiori gradu standum est.* Et. vetus ejusdem ordinis expositio apud Cassandrum in Liturgiis cap. 21. *Responsorium, inquit, quod ad Missam dicitur, pro distinctione aliorum Graduale vocatur, quia hoc psal-*

*litur in gradibus, cætera verò ubicunque voluerit clerus.* Idem asserit Amalarius lib. 3. cap. 17. *Lector, inquit, & cantor in gradum ascendunt more antiquorum.* Nomen autem Responsorii inde accepit, quia lectioni convenire & respondere debet: sive ut ait Rabanus lib. 1. cap. 33. quia uno desinente alter respondet. Asserit Isidorus lib. 1. cap. 8. *de eccl. off.* Responsorium ab Italis inventa esse, sed à quo præcisè & quo tempore instituta sint, incertum est. Sunt qui eorum auctorem Cælestinum faciunt, sunt qui Gregorium Magnum. Et Gregorius quidem ea in suo Antiphonario per ordinem digessit, quæ in singulis Missis per annum cantari solent: at ulum psallendi vel aliquot Psalmi versiculos, vel integrum Psalmum, inter Epistolam & Evangelium, multo antiquiorem Gregorio fuisse, saltem in Africa, ex Augustino clarè ostenditur. Nam initio ferm. 33. de verbis Domini recenset, quid in lectione Apostolica, quid in Psalmo, quid in Evangelio lectum sit. Et de verbis Apostoli ferm. 8. *Apostolum, inquit, audivimus, Psalmum audivimus, Evangelium audivimus, consonant omnes divine lectiones.* Et infra ferm. 10. *Prima lectionem audivimus Apostoli, deinde cantavimus Psalmum: post hæc Evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit.* Plerique Missæ expositores tam veteres quam recentiores, de Gradualis antiquitate agentes, gravi se difficultate involvunt propter decretum Concilii quarti Toletani, quod celebratum fuit sub Honorio Papa an. 633. In eo siquidem can. 12. non obstante, quod dudum Greg. M. Responsorium post Epistolam cantari statuisset, sancitum fuit, ut immediatè post Epistolam Evangelium legeretur, nulla facta Responsorii interpositione. Verba canonis hæc sunt. *In quibusdam Hispaniarum Ecclesiis Laudes post Apostolum decantantur, priusquam Evangelium prædicetur; dum canones præcipiunt post Apostolum non laudes, sed Evangelium annunciari. Præsumptio est enim, ut antea ponantur ea, quæ sequi debent. Nam laudes idèò Evangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Evangelium prædicatur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis poenam suscepiuros, qui hunc ordinem perturbaverint.* Putat Berno Augiensis cap. 1. tempore huius Concilii Gradualia frequentari cœpisse, & Hispanos novitate rei perculsos restitisse;



tisse; postea verò Romana Ecclesie auctoritate constitutum fuisse, ut Responsorialia & Alleluja ante sanctum Evangelium canerentur. Idque ait Valfridus Strabo c. 22. usu Romano commendatum ad omnes deinde Latinorum Ecclesias pervenisse. Sic omnes ferè ignorantia faciunt hunc nodum evadunt, sed non solvunt. Ad ritum enim Mozarabicum, quo tunc Hispania utebatur, & longo post tempore ibidem viguit, pertinet citatus canon: quem ritum cum quidam Sacerdotes perverterent, merito in illos Toletani concilii Antistites, Isidoro Hispanensi in eo præfidente, animadverterunt. Sunt autem laudes, quæ post Evangelium prius more Hispaniarum dicuntur, non hymnus trium puerorum, ut ait in notis ad præcitatum canonem Garzias Loaysa, sed versiculis cum Alleluja ei prorsus similis, qui ritu Romano post Responsorium cantatur. Ipsum verò Responsorium cantabant Hispani post lectionem veteris testamenti, quæ in eorum Missali epistola præmittitur. At post epistolam chorus respondet Amen, & sequitur immediate Evangelium. Eodem ferè ritu utantur Ambrosiani, nam post lectionem veteris Testamenti sequitur Psalmellus quem vocant, instar Gradualis Romani. At versum cum Alleluja concinunt post epistolam. In Liturgia Maronitarum post lectam Epistolam dicit Sacerdos hæc verba: *Gloria Domino Pauli & Prophetarum & Apostolorum. Misericordia Dei sit super lectores & super auditores, & super civitatem hanc, atque omnes habitatores ejus in secula Amen. Alleluja, Alleluja. Ferre oblationes, & introite in atria Domini, & adorate eum in templo sanctitatis ejus, & confitemini ei ac benedicite nomini ejus, à quo vita datur, Alleluja.*

V. Quod verò attinet ad hanc vocem Alleluja, quæ post Responsorium certo anni tempore simul cum versiculo, & tempore Paschali sine Responsorio geminato versu decantatur, plura congesti in tract. de divina Psalmodia c. 16. §. 7. Auctor libri de vita & morte Prophetarum inter opera S. Epiphaniæ Aggæum Prophetam primum fuisse ait, qui Alleluja cantavit, cum novam templi structuram vidit. Sed ex psalmis constat primum ejus auctorem fuisse David Regem, de qua re eleganter Cassiodorus in Pf. 104. *Hoc verbi decus, ait, a presenti psalmo fecit initium, nec ante à quoquam reperitur positum, quamvis multi scriptores fuerint primitivè Hebræorum. Hoc Ecclesis votivum, hoc sanctis festivitatis decenter accommodum; hinc ornatur lingua cantorum, sua aula Domi-*

*ni læta responder, & tanquam insatiabile bonum tropis semper variantibus innovatur.* Extat etiam in libro Tobie c. 13. nec alibi legitur in tota serie veteris testamenti. At in nova lege Joannes Apostolus in sua admirabili Apocalypsi c. 19. refert se audisse in cælo supernarum virtutum choros psallentes Alleluja: ut inde cognoscamus nobilissimum hoc canticum è cælis in Ecclesiam descendisse. Quidam secuti Sozomenum lib. 7. cap. 19. existimarunt, Ecclesiam Romanam in solo die Dominicæ Resurrectionis cecinisse Alleluja: de qua re Latinos reprehendit Michaël Constantinopolitanus, cui respondens Umbertus Cardinalis, ait nos toto anno psallere Alleluja, exceptis novem hebdomadibus, quibus id intermittere à Patribus nostris accepimus, à Septuagesima nimirum usq; ad Pascha. S. Augustinus epist. 119. cap. 17. diversas hæc de re Ecclesiarum consuetudines fuisse testatur. *Ut Alleluja, inquit, per solos dies quinquaginta in Ecclesia caneretur, non usquequaque observatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique.* Idem in Psalmum 106. ait, *Alleluja cantare certo tempore solemniter moris est, secundum Ecclesie antiquam traditionem.* Gregorius Magnus lib. 7. epist. 63. murmurasse quosdam scribit, quod Alleluja ad Missas dici fecisset extra tempora Pentecostes, quibus ita respondet, *Ut Alleluja hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Pape traditur tractum.* Quod ita intelligendum est, ut, cum olim tempore tantum Paschali cantaretur, tunc sanctum sit, etiam extra illud frequentari. Cur verò novem prædictis hebdomadibus omittatur, variæ traduntur causæ à scriptoribus rerum Ecclesiasticarum, quas Theophilus Raynaudus coacervat libro de attributis Christi sec. 2. cap. 11. nom. 294. & sequentibus. Vivente sancto Benedicto initio tantum Quadragesimæ dimitti solebat, ut constat ex capite 15. Regulæ: verum omitti Dominica Septuagesimæ paucis post ipsum annis coepit, ut in Antiphonario S. Gregorii statuitur, ubi pro Alleluja ponitur Tractus aliquot versibus, & interdum integro psalmo constans; cui à trahendo hoc nomen inditum est, quia tractum & graviter, notarumque seu vocum prolixo decursu cantatur. Dum verò psallimus Alleluja, jubilamus magis quam canimus, ut observat Rupertus Abbas lib. 1. de div. off. cap. 35. *Unamque brevem digni sermonis syllabam*



syllabam in plures neumas protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi sancti exultabunt in gloria, & letabuntur in cubilibus suis. Sunt autem neumæ siue neumata, vel neumatium distinctiones, ut vocant Musici, notæ illæ quæ in fine ejus vocis Alleluja prolixè decantantur, de quibus Seraphicus Bonaventura lib. de exposit. Missæ cap. 2. Solemus, ait, longam notam post Alleluja super hanc literam A prolixius decantare, quia gaudium sanctorum in cælis interminabile & ineffabile est. Et Stephanus Eduensis lib. de sicram. Altaris cap. 12. Allelujatici cantus modulatio, inquit, laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones quibus suspirant ad æterna gaudia. Verbum est breve: sed longo protrahitur pneumate. Porro his notis, quæ post Alleluja sine verbis cantantur, Jubili siue Jubilationis nomen tribuerunt Antiqui. Ab aliis Sequentiæ dictæ sunt, quia sunt quædam veluti sequela & appendix cantici Alleluja, quæ sine verbis post ipsum sequitur. Utriusque nominis meminit Amalarius lib. 3. cap. 16. dicens: Hæc jubilatio, quam cantores sequentiam vocant, statim illum ad mentem nostram reducit, quando non erit necessaria locutio verborum: sed sola cogitatione mens menti monstrabit quod retinet in se. Et Ordo Romanus, sequitur, ait, jubilatio, quam sequentiam vocant.

VI. Hinc factum est, ut Prose illæ seu Rythmicæ modulationes, quæ rariùs in Romana Ecclesia, in aliis quibusdam frequentius post Alleluja cantantur, sequentiæ dictæ sint, quia loco sequentiæ psalli cœperunt. Radulfus Tugrensis propof. 23. Abbas Notgerus sequentias aliquas pro neumis de Alleluja composuisse dicitur. Et paucis interjectis. Jubili autem seu neumata gradualium & de Alleluja refecandi non sunt, nisi cum illorum loco sequentiæ decantarentur. Hugo Victorius de mysteriis Ecclesiæ cap. 7. Quando sequentia dicitur, posterius Alleluja non habet pneumata; sed chorus loco ejus sequentiam concinit. Guibertus Tornarenis lib. de offic. Episcopi cap. 23. Additur sequentia, & non protrahitur secundum Alleluja; sed sequentia loco ejus canitur. De Auctoribus sequentiarum diffusè tractat Cornelius Schultingus to. 1. p. 2. cap. 6. & 7. Bibliotheca Ecclesiastica, & de singulis judicium suum profert, sed non semper exactum: multas enim perperam tribuit sanctis Pontificibus Gelasio & Gregorio aliisque Patribus, quas stylus evincitã recentioribus scriptas esse. Commu-

nis autem sententia est, primum earum auctorem fuisse Notgerum Abbatem S. Galli, qui earum volumen Lituardo Vercellarum Episcopo obtulit, ut Eccherardus Monachus in vita ejusdem Notgeri scribit c. 16. & sequentibus, apud Goldastum to. 2. rerum Alamannicarum. Plures etiam seculo XII. composuisse fertur Adam de S. Victor. Crevit deinde earum numerus, & irrepserunt nonnullæ prorsus ineptæ; non enim servati sunt canones concilii Mileviani, & tertii Carthaginensis, ut nihil publicè in Ecclesia recitaretur, quod in synodo comprobatum non esset, sed multi multas introduxerunt, ut ait Radulfus, quia quisque gaudet suis novitatibus. Lugdunenses proprias habent in singulis ferè Missis: propriæ item extant in Missali Norvegiæ, & in aliis diversarum Ecclesiarum, quarum maximam partem explicat Jodocus Clievæus lib. 4. sui Elucidatorii. At in Romana Ecclesia quatuor dumtaxat cantari solent, Paschalis nimirum, quæ incipit *Vigilia Paschali*, cujus auctorem esse Notgerum Herrera scriptor recentior asserit lib. 2. de origine & progressu rituum Missæ cap. 12. Altera est dici Pentecostes, *Veni Sancte spiritus*, quæ Roberto Galliarum Regi adscribi solet, licet à nonnullis tribuatur Hermanno contrafacto. Tertia est S. Thomæ Aquinatis pro festo corporis Christi, *Lauda Sion Salvatorem*. Quarta denique canitur in Missis defunctorum, *Dies ire, dies illa*, quam diversis diversi tribuunt. Leander Albertus Litino Cardinali Urfino ordinis Prædicatorum adscribit: Lucas Wadingus Thomæ de Celano ordinis Minorum: alii apud eundem Wadingum S. Bonaventuræ vel Matthæo Aquaspartano ex Generali Minorum Cardinali. Possévinus in Appar. sacro tribui ait Augustino Bugellensi Pedemontano ord. S. Augustini, subdens ibidem verum auctorem esse Umbertum V. Generalem ordinis Prædicatorum. Arnouldus Uvion lib. 5. ligni vite c. 70. à quibusdam adjudicari asserit S. Gregorio Magno, nec defunxi qui S. Bernardo assignant. Notat autem Petrus Cirvelus in expositione Missalis lib. 2. cap. 115. improprie dici sequentiam in Missis Defunctorum, quia hoc officium, nec Alleluja, nec sequentiam debet habere, quæ sunt cantica lætitiæ: idque ex eo quod supra ostendimus confirmari potest; nam Sequentia neumati post Alleluja addito suffecta est: atque inde deducitur, hanc nulli Antiquorum tribuendam esse, sed alicui recentiori,



tiori, cum ritus ecclesiastici immutari ceperunt. Porrò frequentia in vita Pauli Abbatis S. Albani Troparia nuncupantur. A Græcis aliter quam à Latinis epistola legi consuevit. Nam præmissis antiphonis & precibus, sequitur Trisagion, deinde Alleluja cum duobus versibus ex psalmis, qui Propositum dicuntur, post quos legitur epistola, & eà completâ iterum chorus psallit Alleluja.

## CAPUT VII.

*Lectum Evangelium in Ecclesia à tempore Apostolorum. Non statim hoc munus tributum Diaconis. Varii ritus legentium & audientium. Libro Evangeliorum habitus honor in Ecclesia, in Synodis, publicè & privatim. Vetus quidam Monachorum mos. Sermones, homilia & monitiones ad populum post Evangelia. Quadam de solempni Penitentium absolutione.*

I. **M**orem legendi Evangelium in Ecclesia antiquissimum esse, nemo dubitare potest, qui in evolvendis veterum Patrum monumentis versatus sit. Coepit enim in solempni fidelium conventu legi, statim ac scriptum fuit. Et quidem de Luca Evangelio testimonium perhibet Apostolus 2. ad Corinth. cap. 8. dum fratrem commemorat comitem suæ peregrinationis, cuius, laus, inquit, est in Evangelio per omnes Ecclesias, quod non de Barnaba, ut Græci putant, sed de Luca intelligendum esse Hieronymus & alii testantur; favetque Ignatius Martyr. qui epistola ad Ephesios hoc Pauli elogio utitur dicens, ut testatur Lucas, cuius laus est in Evangelio. Clarius autem Eusebius lib. 2. Eccles. hist. cap. 15. scriptum à Marco Evangelium ait Romanorum precibus: Quod cum Petrus per revelationem sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id à Clemente in sexto Institutionum libro, cui restis etiam accedit Papias Episcopus Hierapolitanus. Hæc Eusebius, cui, quod attinet ad publicam Evangelii recitationem, adscriptantur Justinus Mar-

tyr, & Cyprianus superiori Capitulorelati, & alii Patres, quorum testimoniiis paginas implere in re clarissima superfluum foret. Neque obstat canon XVI. Concilii Laodiceni, quo sancitum fuit, ut Evangelium cum aliis scripturis sabbatho legeretur: nam fortassis in ea provincia die tantum Dominico, & quartâ ac sextâ feriâ, quæ tunc solempniores erant, & Missæ sacrificio colebantur, ut suo loco ostendimus, legi consueverat; cumque ritum Patres illius concilii ad diem quoque sabbati extenderrunt: vel aliam speciale nobisque ignotam illius edicti causam fuisse credendum est. Simili modo in concilio I. Arausicano tempore Leonis I. can. 18. statutum est, ut Evangelia, quæ folis fidelibus antea legebantur, deinceps etiam Catechumenis legerentur. Idem decrevit concilium Valentinum in Hispania c. 1. Ut sacrosancta Evangelia ante numerum illationem, in Missa Catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermones sacerdotis non solum fideles, sed etiam Catechumeni ac Penitentes, & omnes qui ex diverso sunt, audire licitum habeant. Ut nimirum Evangelium, quod exclusis catechumenis & cæteris, qui mysteriis interesse non poterant, antea legi consueverat, mox illis presentibus & audientibus legeretur. Neque etiam obstat, quod Gregorius Magnus asserit in epistola sæpius citata ad Joannem Syracusanum, morem Apostolorum fuisse, recitata dumtaxat oratione Dominicâ oblationis hostiam consecrare: ex quo inferi Morinus parte 3. exercit. 9. cap. 1. numero 12. multorum annorum decursu Evangelium in Missæ celebratione lectum non esse. Id enim omnino de illis annis intelligi debet, cum Evangelium nondum erat scriptum: alioquin mendacii arguerentur Clémens & Papias Apostolorum sæculo proximi, qui, ut vidimus referente Eusebio, testati sunt Evangelium Marci à Principè Apostolorum approbatum, publicè in ecclesia lectum fuisse: quod de aliis quoque à Matthæo, Luca, & Joanne scriptis contigisse non dubito. Nam cum Scripturæ ex prisco Synagogæ usu in conventibus legerentur, fidelium pietas & amor erga Dominum & Salvatorem nos credere compellit, ejus gesta à viris tantæ auctoritatis Deo inspirante conscripta, publicè perlegi statim coepisse: cui lectioni tanquam sacræ functioni, destinatus ab initio fuit ordo Lectorum, ad quos spectabat



tam Evangelium, quam reliquas scripturas in Ecclesia recitare, ut supra demonstravimus, donec successu temporis munus legendi epistolam Subdiaconis, Evangelium Diaconis tributum est. Certum vero est, multo ante Diaconum Evangelium legere coepisse, quam Subdiaconum, nullum reperio testimonium, nisi circa finem sæculi: at lectionem evangelii tribuunt Diacono antiquissimi scriptores. Lib. 2. Constitut. Apostolic. cap. 57. Hieronymus epist. ad Sabinianum. *Evangelium Christi quasi Diaconus lestrabas.* Concilium Valsense an. 529. celebratum, quod à nonnullis II. ab aliis III. dicitur can. 2. Si presbyter aliquà infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homilia à Diaconibus recitentur. Si enim digni sunt Diaconi, quæ Christus in Evangelio locutus est legere, quare indigni judicentur sanctorum Patrum expositiones publice recitare? Isidorus l. 2. de div. offic. c. 8. inter Diaconi officia recenset evangelizare. Sozomenus l. 7. hist. eccl. c. 19. sacrum codicem Evangeliorum Alexandria à solo Archidiacono, apud alios à Diaconis, & in multis Ecclesiis à solis Sacerdotibus. atque diebus solemnibus ab Episcopis legi testatur. Observant tamen viri eruditi, hanc solemnem Evangelii lectionem non fuisse olim tributam Diacono ex vi ordinationis, licet enim antiqui codices Sacramentorum mentionem faciant Evangelii à Diacono lecti, in eorum nihilominus ordinatione nusquam apparet, traditum eis librum Evangeliorum, nec ea verba prolata, quæ hodie in usu sunt: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.* Imò hæc forma, quamvis habeatur in ordine Romano, à multis tamen antiquis codicibus abest, & Durandus 4. sent. dist. 24. qu. 3. non extitisse ait in antiquo Rituali Ecclesiæ Aniciensis, cui præfuit, & additam in margine manu sua, ne ab aliis Ecclesiis discreparet. Neque dicendum est cum quibusdam scholasticis, illam Ecclesiam in hoc errasse, nam multæ cum illa in eodem ritu tunc consentiebant. Ratio igitur propter quam Diacono Evangelica lectio ab antiquis Patribus demandata est, ab ipsa potius Evangelii sanctitate & majestate petenda videtur, quæ cum maximam exigat reverentiam & venerationem, & semper cum ingenti pompa atque apparatu legi consueverit, Ecclesiasticæ gravitati congruum fuit, tantum munus non lectoribus committere, qui

ut plurimum in puerili ætate eligebantur; sed Diaconis, qui ad sacerdotalem dignitatem proximè accedunt.

II. Priscum morem legendi Evangelium sic describit Ordo Romanus. *Diaconus osculans pedes Pontificis, petitque benedictione venit ante altare, & osculans Evangelium, levat in manus suas codicem, in quo lecturus est, & partem ejus in dextero humero ponens vadit ad ambonem: & procedunt ante ipsum duo subdiaconi cum duobus thuribulis, sive uno, levantes thymiamaterium de manu subdiaconi sequentis, mittentes incensum. Et duo Acolythi portantes duo cereostata, venientes ante ambonem dividuntur à se, & transeunt Subdiaconi & Diaconi cum Evangelio per medium eorum. Subdiaconi autem duo cum thuribus ante Evangelium in ambonem ex una parte ascendentes, & ex altera parte statim descendentes, redeunt stare ante gradum descensionis ambonis. Ille autem absque thymiamaterio vertens se ad Diaconum, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit Evangelium, ut manu Subdiaconi aperiat eum, in quo signum lectionis positum fuerit. Inventoque loco lectionis ascendit in ambonem in superiorem gradum, & dicit Dominus vobiscum. Quo audito vertit se Pontifex, omnis Sacerdotalis gradus sicut & omnis populus fidelis ad Orientem. Et postquam dixerit Sequentia sancti Evangelii, facit crucis signum in fronte sua, idem Diaconus & in pectore, similiterque Episcopus & omnis populus & revertuntur ad Evangelium. Sed & baculi omnium deponuntur de manibus, & in ipsa hora neque corona, neque aliud operimentum super capita eorum habetur. Ipse vero Diaconus stat versus ad meridiem, ad quam partem viri solent confluere, alii autem ad septentrionem. Sed & candelæ in pavimento, prædicante eo Evangelium, de manibus Acolythorum juxta ambonem deponuntur, usque ad finem tempus Evangelii. Perlecto Evangelio, iterum se signo S. Crucis populus munire festinat, & descendente Diacono de ambone, Subdiaconus qui inferius stat, recipit Evangelium, quod tenens ante pectus suum super plantam porrigit osculandum, primum Episcopo aut Presbytero, deinde omnibus per ordinem graduum, qui steterint, & universo clero, nec non & populo, deinde conditur in loco suo. Hæc fusiùs ex ordine Romano transcribere libuit, quo plura antiqui ritus monumenta uno aspectu conspicerentur. Occurrunt autem hæc multa notatu digna, nam primò Diaconus priusquam legat, petit à celebrante benedictionem, licentiam videlicet legendi, quia, ut dicit Ru-*

pertua



perus Abbas *lib. 1. cap. 12.* Nemo nisi missus aut permissus officium prædicandi usurpare debet: quomodo enim prædicabunt, nisi mitantur? Porro hic ritus benedictionis, antequam publicè quidpiam legatur, antiquissimus est, in homiliis siquidem M. SS. hæc verba veteri more petendi benedictionem præfixa reperiuntur, *Benedic Pater.* Vulgata verò benedictio, *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis,* extat in tertia Missæ descriptione ipsius Ordinis Romani. Hodiè ante omnia librum Evangeliorum defert Diaconus ad altare, tum genuflexus in inferiori ipsius gradu dicit orationem *Munda cor meum.* Postea accipiens librum de altari, petit à celebrante benedictionem, & osculata illius manu pergit ad legendum. Oratio *Munda cor meum* similibus ferè verbis habetur in Liturgiâ S. Jacobi ante thurificationem. Etherius & Beatus *lib. 1.* adversus Elipandum Archiepiscopum Toletanum, de ritu sacrificii differentes ajunt: *Cum Evangelium & Levita super altare levatur, à Levita primum dicitur, Laus tibi, & ab omnibus respondetur, Laus tibi Domine Jesu Christe, rex æternæ gloriæ.* Accepto libro de altari instituitur processio ad ambonem, præcedente cereorum lumine in signum gaudii & lætitiæ, quem ritum adversus Vigilantium S. Hieronymus eleganter defendit. Thus quoque præfertur more consueto, ut ex antiquissimis Liturgiis liquet: & in quibusdam Ecclesiis præcedit etiam Crux, ut scribit Durandus *lib. 4. Ration. cap. 24.* Præcedunt & Subdiaconi, alique ministri, modo in Ritualibus expresso. Apud Græcos solemnior est hujusmodi processio, quæ Introitus sancti Evangelii dicitur. Sacerdos enim tollens de altari librum Evangelii tradit illum Diacono, & ambo exeuntes de sacrario per portam septentrionalem veniunt ad locum consuetum, ubi Sacerdos dicit orationem ingressus. Quæ finitâ dicit Diaconus Sacerdoti, ut benedicat sanctum introitum. Deinde accedit ad Episcopum, sive ad Sacerdotem, eique porrigit librum osculandum: Tum persoluto quodam modulo levat & ostendit Sanctum Evangelium dicens, *Sapientia, Regni;* ipsamque Evangelium deponit in altari; & interjectis orationibus ac benedictionibus quinquies per intervalla clamat Diaconus ante osium sacrarii, *Attendamus.* Mox altari atque sacrario thus odolet, susceptoque Evangelio & accepta benedictione, prætereuntibus cereis & thuribus, factaque Evangelio reve-

rentiâ, accedit ad ambonem: & sacerdos altâ voce ait, *Sapientia, Regni. Audiamus S. Evangelium.* Cum verò Diaconus dixit, *Lecto S. Evangelii,* chorus respondet, *Gloria tibi Domine:* & rursùm ait Sacerdos, *Attendamus.* Lecto autem Evangelio Diaconus revertitur ad fores sacrarii, librumque reddit sacerdoti, qui ei pacem precatur dicens, *pax tibi.* In Missâ Æthiopum Diaconus similiter circuit Ecclesiam, elatâ voce dicens: *Surgite, audite Evangelium & bonam annunciationem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Sacerdos autem accepto Evangelio ter illud incensat, & factâ solemni benedictione introitus in Ecclesiam, ipse cantat Evangelium accensis luminaribus, & reliquo apparatu ex more adhibito. Cum summus Pontifex Missam solemni ter cantat, tam epistola, quàm Evangelium Græcè & Latine leguntur. Diacono Latino, qui Cardinalis est, præcedunt septem Acolythy cum septem candelabris & cereis accensis, eidemque legenti assistunt: & post ipsum idem Evangelium Græcè legit Diaconus græcus. Eundem morem cantandi Græcè & Latine epistolam & Evangelium servatum in monasterio Casinensi narrat in Chronico *lib. 1. c. 32.* Leo Ostiensis: & hunc ipsum adhuc vigere diebus solemnioribus in monasterio S. Dionysii in Francia retulit mihi vir fide dignus. De ascensu in ambonem egimus supra. Præmittit Diaconus titulum Evangelii signans primo librum, deinde seipsum signo crucis in fronte, ore & pectore, quod etiam astantes faciunt veteri more: in fronte quidem sede pudoris, ut profiteantur se non erubescere Evangelium. *Usque adeò,* inquit Augustinus in *Pl. 141. de cruce non erubescio, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem:* In ore autem, & in pectore, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Respondet populus *Gloria tibi Domine,* quæ responsio Græcis & Latinis communis est. Respondemus, inquit Rupertus Abbas *l. 1. de div. offic. c. 36. Gloria tibi Domine,* glorificantes Dominum, quia misit nobis verbum salutis.

III. Item antiquo ritu statim ac Diaconus incipiebat evangelium, omnes baculos deponabant: cujus rei plures causas, sed symbolicas afferunt Amalarius *lib. 3. cap. 18.* Honorius *lib. 1. Gemme cap. 24.* Durandus *lib. 4. Rationalis c. 24.* & alii recentiores. Veram autem & lie-



teralem eam esse arbitror, quam insinuat Amalarius his verbis: *Usque ad istud officium baculis sustentabamur, modo ut oportet servos ante Dominum stare, humiliter stamus deponentes baculos e manibus.* Consonat Hugo in Speculo Ecclesiae c. 7. dicens: *Nunc considera, quod plebs hic baculos deponit, reclinatoria relinquit, caput detegit, stans audit.* Quae omnia uno versiculo comprehendit Hildebertus lib. de mysteriis Missae: *Plebs baculos ponit, stat, reteggitque caput.* Qua igitur ratione à sanctis Patribus sancitum fuit, ut ad Evangelium omnes adstantes surgerent & recti starent; eadem introductum fuit, ut baculos deponerent, quibus ad sustentandum corpus homines uti solent. Baculos item depositos eandem ob causam à poenitentibus, cum ad confessionem accedebant, antiquus Ordo Romanus docet apud Morinum, lib. 4. de Poenit. cap. 18. Omnes autem assurgere & stare dum legitur Evangelium, ritus antiquissimus est, ut tamquam servi ante Dominum se promptos & paratos ostendant ad exequenda mandata Dei, quae in Evangelio promulgantur. Cumque in aliquibus ecclesiis irrepressisset abusus sedendi, Anastasius Papa, teste Anastasio in ejus vita, constituit, ut quotiescumque sancta Evangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent in signum reverentiae. Damnat Nicephorus Callistus lib. 12. hist. c. 34. morem ecclesiae Alexandrinae, in qua episcopus non assurgebat, cum Evangelium legeretur. Id verò, inquit, in ulla plane ecclesia antiquitus factum esse nemo vel vidit, vel audivit. Et supra lib. 9. cap. 18. à Theophilo, qui cognominatus est Indus, multa refert apud Indos correcta fuisse, quae non ritè agebantur, praesertim quod sedendo Evangelium audirent contra placitum ecclesiae. Hoc de Theophilo narrat Philostorgius lib. 3. hist. Eccles. cap. 5. ipsum summis laudibus effrens, utpotè ejusdem cum illo sectae Arianæ, quod non satis advertit Nicephorus, qui tacito ipsius nomine historiam ejus exscripsit, & suae inferuit. Optimè de hoc ritu Isidorus Pelusiotæ, lib. 1. epist. 136. *Cum verus Pastor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demum Episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit, hinc nimirum Dominum ipsum Pastoralis artis ducem ac Deum & herum adesse significans.* Apud Græcos enim non solum surgit episcopus ad Evangelium, sed etiam Omophorium deponit, servitatem & subjectionem suam erga Dominum demonstrans, ut ex-

plicat Simeon Thessalonicensis. Ritus autem deponendi baculos diu mansit in ecclesia, nam Nicolaus de Plove Presbyter Pisoniensis, qui claruit ann. 1434. in expositione Missae ait: *Cum legitur Evangelium, arma vel baculi deponuntur, in signum quod juxta doctrinam Evangelicam, parati sunt fideles non armis, sed patientia se defendere.* Nunc milites Religiosi & questris ordinis viri, ensi manum admovent, vel educant de vagina, cum recitatur Evangelium, ut eo gestu restentur se paratos esse, pro Evangelii defensione viriliter pugnare & sanguinem effundere. Commendant in Polonia hanc consuetudinem Matthias de Michovia Chronicorum Polonic. lib. 2. cap. 1. Alex. Guaguinus in Miecislao Rege, qui fidem Christi primus suscepit anno 965. & cum morem introduxit, & alii qui gentis illius historiam scripserunt. Antiquitus eam Evangelium in ambone legebatur, erantque in templo pro viris & mulieribus loca distincta, Diaconus vertebat se versus meridiem ad partem scilicet virorum: at nunc vertitur ad aquilonem, cujus mutationis causam & originem ex Missis privatis processisse, in quibus sacerdos non in ambone, sed in altari versus Septentrionem legit Evangelium, sic Micrologus explicat lib. de eccl. observ. cap. 9. *Quod Presbyteri ad legendum Evangelium, non se ad meridiem vertunt, hoc idè inolevisse credimus, quia nec ordo illis injunxit, ut in ambone ad legendum, sicut Diaconi ascenderent, ubi necessario ad masculos potius, quam ad foeminas se vertere deberent.* Nam juxta ecclesiasticam consuetudinem ad altare legunt, ubi nulla diversitas auditorum approximat, quae legentes magis in hanc partem, quam in aliam converti exigat. Nusquam ibi foeminae, sed soli Religiosi ad dexteram & ad sinistram permittuntur stare. Ad sinistram verò cornu altaris habent librum cum legunt Evangelium, vel cum sacrificant, ut in dextera parte sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda altaris sacramenta. Unde ad aquilonem magis, quam ad meridiem versi videntur, cum annunciant Evangelium. Hinc itaque illa usurpatio emerfisse videtur, ut etiam Diaconi in ambone contra Romanum Ordinem se vertant ad aquilonem, potiusque se ad partem foeminarum, quam masculorum vertere non vereantur. Quae usurpatio jam adeò inolevit, ut apud plerisque quasi pro ordine teneatur. Sed quia certissime contra ordinem est & inbonesta, à diligentioribus Ordinis servatoribus merito rejicitur. Hinc apparet



paret quàm verum sit, quod à nobis in hoc tractatu sapius inculcatur; multa hodie pro lege haberi in his, quæ pertinent ad ecclesiasticas observationes, quæ sensim ex abusu irrepserunt; quorum originem cum recentiores ignorent, varias conantur congruentias & mysticas rationes invenire, ut ea sapienter instituta vulgò persuadeant. Porro isti, ut scitè Hieronymus de Origine dixit, ingenii sui adventiones faciunt ecclesiæ sacramenta.

IV. Lecto Evangelio fideles olim dixisse *Amen* Belet in explicatione divinarum officiorum cap. 39. & Durandus lib. 4. cap. 24. testes sunt; quod etiam in Missa Mozarabum, & in Regula Sancti Benedicti cap. 11. præscribitur. Alensis item 4. p. Summæ in tract. de offic. Missæ, *Perlecto*, inquit, *Evangelio dicunt assistentes Amen, quasi dicant: Faciat nos Deus perseverare in doctrina Evangelii. Alii dicunt Deo gratias, in gratiarum actionem pro beneficio tantæ doctrinæ & tam salutaris. Nunc dicimus, Laus tibi Christe.* Addit Alcuinus ex Ordine Romano populum se signo crucis munire tunc consuevisse, ut, quod ex divinis eloquiis ad salutem percepit, signatum sigillo crucis atque munitum permaneat. Tandem ipsum Evangelium tam celebrans, quàm Diaconus osculatur, quod olim univèrso clero, omnique populo ad osculandum circumferri & porrigi à Subdiacono solebat, in signum venerationis & communionis cum Domino Jesu Christo & doctrina ejus, ut Jonas Aurelianensis egregiè docet in Præf. lib. 2. de cultu imaginum adversus Claudium Taurinensem. *Sacræ*, inquit, *religionis usus in sancta ecclesia adhuc servatur, si tamen apud te, ut perlecta S. Evangelii lectione, ab Episcopo vel presbytero, cæterisque sacri ordinis religiosi codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus oculis veneretur. Sed hoc cujus causa, nisi illius, cuius esse verba creduntur, agimus?* Liber enim Evangeliorum typum gerit Christi in eo loquentis, qua de causâ idem liber in conciliis honorifico apparatu in throno collocatur. Cyrillus Alexandrinus in Apologia ad Theodosium id servatum scribit in Synodo Ephesiana: „Sancta Synodus, ait, in sancta Ecclesia, quæ Maria dicitur, congregata, Christum veluti caput constituit. Venerandum enim Evangelium in sancto throno collocatum errat, illud tantùm sanctorum sacerdotum auribus insinuans, justum iudicium iudicate. Idem in actis aliorum conciliorum apparet.

Hinc etiam mos receptus tactis Evangelii jurandi, ac si Deus in iis præsens agnoscat. Hinc Evangelia collo item appensa legimus tamquam amuleta: & in Synodo 8. c. 3. idem honor sacris imaginibus decernitur; qui sanctis Evangelii exhibetur. *Sacram, ait, imaginem Domini nostri Jesu Christi æquo honore cum libro sanctorum Evangeliorum adorari decernimus.* Id verò sancitum fuit adversus quorundam Galliæ Episcoporum errorem, qui sacrum quidem Evangeliorum codicem, & signum S. Crucis honorari debere docebant, imagines non item.

V. Non est omittendus hoc loco ritus, quo Maronitæ legunt Evangelium. Ante ipsius lectionem ponitur incensum in thuribulo cum quibusdam orationibus: tum dicit Sacerdos, *Pax omnibus vobis: Respondet populus, Et cum spiritu tuo.* Minister ait, *Estote in attentione.* Subdit Sacerdos. *In tempore gubernationis Domini nostri & Dei nostri, ac Salvatoris Jesu Christi, dixit discipulis suis & turbis. Populus Pater noster benedic.* Sacerdos vertens se ad populum signat eum signo Crucis & dicit: *Dextera Domini nostri Jesu Christi & brachium excelsum fortitudinis ejus ac virtus abscondita majestatis ejus, illa quæ continet omnes benedictiones ac omnia dona vitæ, illa quæ requirit super Apostolos sanctos in cœnaculo sancto Sion & sanctificavit eos; & in monte olivarum benedixit eos; ipsa veniat, habitet, & requiescat super fratres meos lectores atque auditores, & custodiat eos, & custodiat locum hunc & habitatores ejus fideles in omni tempore, & in omni momento in secula.* Populus *Amen.* Sacerdos, *In tempore itaque gubernationis Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri Verbi Dei, quod incarnatum est pro nobis, hæc sic facta sunt.* Populus, *Domine noster miserere nostri.* Post hæc Sacerdos legit Evangelium & in fine osculatur librum dicens: *Et pax sive securitas omnibus nobis.* Populus, *Amen.* Tandem Sacerdos ait: *Ipsi Jesu Christo sint laudes & gratiarum actiones & benedictiones, propter verba viva, quæ sunt erga nos, & Patri ejus qui misit eum propter salutem nostram, & spiritui ejus vivo & sancto, nunc & in secula, Amen.*

VI. Notat Rupertus lib. de div. off. c. ult. Evangelium esse principale omnium, quæ dicuntur in Missa, cui cætera omnia intellectuali ratione consentiunt. Idem asserit Petrus Cirvelus in præmio expositionis libri Missalis, ubi ait, Evangelium inter cæteras partes Missalis officii



esse, veluti basim & fundamentum veræ & rectæ intelligentiæ omnium aliarum auctoritatum tam novi, quam veteris testamenti, quæ in eodem officio adducuntur, ad quas talem habet analogiam, qualem subiectum ad totam scientiam, & centrum ad lineas. Difficile tamen est, hanc convenientiam in singulis reperire, nisi violentæ quædam & mysticæ explanationes adhibeantur, quæ ut plurimum voluntariæ sunt, adeo ut ex illis solida ratio haberi non possit, asserente Dionysio, Theologiam symbolicam non esse argumentativam. Accedit quod firmo manente reliquo officio, sæpè in aliquot missis evangelia mutata sunt: neque una est causa, propter quam hoc potius evangelium, quam illud in tali Missa recitetur. Ut enim observat Beletus c. 39. aliquando legitur secundum historiam, ut in die Resurrectionis: aliquando secundum allegoriam, ut in festo Assumptionis B. Mariæ: aliquando propter aliquam partem, ut in festo S. Crucis ponitur evangelium de Nicodemo ob extremam particulam, sicut *Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*: aliquando secundum totum, ut in die Circumcisionis. Ritu monastico immediate post Evangelium fiunt solemnnes monachorum Professiones, modo in eorum Ritualibus expressio. Verum hic mos non ubique viget, nam in aliquot congregationibus fieri solent post Offertorium. Olim quoque post evangelium pueri à parentibus monasterio offerebantur, involutâ manu pueri in palla altaris, ut S. Benedictus decernit in Regula c. 59. Puer autem panem & vinum pro usu sacrificii offerebat, quem ritum eruditè & diffusè explicat Menardus ad c. 66. concordia Regularum: ubi etiam ostendit, quod pueri sic oblatis, tamen ad intelligibilem ætatem nondum pervenissent, tenebantur in Monasterio permanere, vota servare, nec poterant post annos pubertatis parentum promissionem irritare, & ad sæculum redire. Æquali enim vinculo Monasterio obstricti censebantur, tam qui proprio arbitrio & voluntate profitebantur, quam qui parentum devotione offerebantur: idque sancitum fuit can. 48. concilii 4. Toletani his verbis. „ Monachum aut paterna „ devotio, aut propria professio facit: quicquid „ horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his „ ad mundum revertendi intercludimus adi- „ gressus. Scio multa his opponi à recentiori- „ bus, qui ex moribus hodie usitatis veterem

disciplinam æstimant: at mihi propositum est à scholasticis concertationibus abstinere; neque ad hunc locum hujus rei explicatio pertinet. Certum est, pueros etiam quinquennes & septennes olim hoc modo Deo in Religione dicatos, qui mos adhuc vigeat tempore sancti Bernardi, sed paulo post à Celestino III. sublatus fuit, cuius de hac re decretum refertur c. cum simus de Regularibus.

VI. Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 25. Deinde, inquit, nimirum post Evangelium de quo egit capite antecedenti, episcopus ad populum sermonem facit. Hic mos numquam interrupta ferie ab initio ecclesiæ, usque ad nostra tempora servatus est, ut proximè post Evangelium sermo sive homilia vel tractatus ad populum haberetur. Huc respexit proculdubio Tertullianus jam in hæresim lapsus lib. de Anima c. 9. ubi Priscillæ Montani sociæ revelationes commendans, quas in ecclesia inter Dominica solemnia diabolico spiritu decepta per extasim habebat, Jam verò, ait, prout scripturæ leguntur, aut psalmi canuntur, aut adlocutiones profertur, aut petitiones delegantur, ita inde materie visionibus submituntur. Hæc ille, Missam catechumenorum accuratè describens, cantum scilicet Psalmorum, orationes, lectiones, & adlocutiones sive homilias. Idem confirmat Justinus Mart. Apol. 2. conventum Christianorum die solis enarrans, in quo commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum legebantur. Deinde, inquit, lectore quiescente præsidens sermonem habet, quo populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur. Auctor item constitutionum Apostolicarum l. 8. c. 4. præcipit Episcopo, ut post lectionem legis & Prophetarum atq; evangelii, populum alloquatur sermonibus exhortatoriis. Eiusdem ritus testimonia frequentissima sunt apud Origenem, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Gaudentium, Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, Chrysologum, Leonem, Gregorium Magnum, & alios, quorum sermones habemus. Extant etiam in conciliis sanctiones multæ huc spectantes, & Callianus idem astruit jucunda narratione l. 11. Instit. c. 15. Quicquid autem pertinet ad hoc argumentum, summâ eruditione tractavit Ambrosiani Collegii Dr. Ferrarius libris duobus de ritu sacrarum concionum. Hebræos, è quorum fontibus non pauci è nostris ritibus emanarunt, post legis & prophetarum lectionem loqui ad populum in synagoga consuevisse Lucas testatur; tum evangelii



cap. 4. narrans Jesum secundum consuetudinem intrasse die sabbati in synagogam & legisse Isaiam Prophetam, & cum plicuisset librum, sermonem habuisse: tum Actuum cap. 13. de Paulo & Barnaba referens, post lectionem à principibus synagoga invitatos fuisse, ut sermonem exhortationis ad plebem facerent. Consonat Philo lib. *Quod omnis probus sit liber*, dicens: *Quoties sacras edes, quas synagogas vocant, adveniunt, pro ætatis ordine juniores ad audiendum se componunt. Ibi alius ex libro prælegit, alius quissiam e peritioribus accedens que obscura sunt explicat.* Porro munus prædicandi proprie & præcipue ad Episcopos pertinere tum usus veteris ecclesiæ & omnium sanctorum Episcoporum exemplum, tum ipsa docet episcopalis consecratio, in qua dicitur, *Accipe Evangelium, vade, prædica populo tibi commissio.* Ideo Paulus ad Timotheum scribens, ipsum terribili adjuratione obtulatur per Deum & Jesum Christum, ejusque adventum & regnum, ut instanter prædicet, moneat, increpet in omni patientia & doctrina. Et de seipso ad Corinthios Epist. 1. c. 6. ait, *Si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit, ut enim mihi est, si non evangelizavero.* Teneri autem per seipsum hoc officium exercere, Synodus Tridentina edixit, antiquos canones secuta, nisi fuerint legitime impediti. Quam obligationem ab omnibus episcopis, qui doctrina & sanctitate floruerunt, agnitam fuisse evidens est: semper enim lecto evangelio in suggestum ipsi ascendentes verbum salutis populo prædicarunt. Multa in hanc rem congerit Christianus Lupus in notis ad canonem XIX. concilii Trullani: mihi satis est hoc obiter tetigisse. Concilium Aurelianense apud Ivonem P. 2. decreti cap. 120. decrevit, *ut in diebus Dominicis vel festis post sermonem intra Missarum solennia habitum, plebem sacerdos commoneat, ut juxta Apostolicam institutionem omnes in Commune pro diversis necessitatibus preces jundant ad Dominum, pro Rege & episcopis & rectoribus ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis qui in ipsa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus singulatum precibus plebs orationem Dominicam sub silentio dicat. Sacerdos vero orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones solemniter explicat.* Post hæc sacra celebretur oblatio. Idem generaliter præcipitur in Capitulari Caroli Magni lib. 1. cap. 165. & 166. Hanc vero functionem Galli *Præconium* sive *Præconium* vocant, cujus quatuor sunt munia. Nam primò verbi ad populum sacerdo-

tes animarum curæ præpositi indicunt preces: secundo docent ipsum populum rudimenta fidei, Deique præcepta & Ecclesiæ, sicut constituit catechismus Romanus: tertio admonent quæ festa, quæ vigiliæ, quæ processiones ad hebdomada occurrant: quarto promulgant edicta, excommunicationes, futura matrimonia, & quicquid demum ad populi notitiam pervenire oportet. Olim hæc omnia fieri solebant ante communionem, postquam sacerdos dixerat, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ut suo loco indicabimus. Hincmarus Remensis epist. 7. tom. 2. mandat Presbyteris suis, ut excommunicationem adversus quosdam deprædicatores, non post evangelium sicut mos erat, populo denuntiarent, sed statim post epistolam, quia nonnulli ejus criminis rei lecto evangelio protinus ab ecclesia recedebant. Item post Evangelium plerisque ab ecclesiis publicis Pœnitentes absolvi & reconciliari solebant, ut ostendit Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 14. At verò in aliis hanc absolutionem impendebant sacerdotes post consecrationem, antequam oratio Dominica recitaretur, cujus rei testis lib. 2. Optatus Milevitanus dicens: *Etenim inter vicina momenta dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non potestis.* Alia quædam de Pœnitentium absolutione Lib. I. in fine Capituli XVII. allata sunt.

## CAPUT VIII.

*Incipit Missa Fidelium. Symbolum ejus initium. Traditum ab Apostolis sine scripto. Quotuplex sit, & quando cœperit in Ecclesiis cantari. Offertorium, ejusque ritus. Mos panem & vinum offerendi, antiquissimus. Alia quedam his addita. De agno à Romanis oblato calumnia Photii. Discrimen inter munera & oblationes. Non omnium dona ab Ecclesia recepta. Communio duplex. Non semper qui offerebant, communicabant. Offerentium nomina publicè olim recitabantur. Offerendi mos quando desierit. Oblationum chartæ posita in altari.*

I. **E** Jectis extra Ecclesiam Catechumenis, Pœnitentibus, & aliis, quibus peracto sermone nefas erat in ea permanere, incipit Mis-



sa Fidelium, quæ, cum severior disciplina vige-  
bat, clausis januis agebatur, easque custodie-  
bant Ministri, ne quis intraret immundus vel  
indignus; de qua re egimus ex professo Cap.  
XVII. lib. I. Ejus initium à symbolo, quod  
diebus Dominicis & in aliis quibusdam festivi-  
tatis cantari solet. In eo præcipua Christia-  
næ fidei dogmata continentur, de quo Tertul-  
lianus initio libri de velandis Virginibus ait,  
*Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irre-  
formabilis, credendi scilicet in unicum Deum om-  
nipotentem, mundi conditorem, & filium ejus Je-  
sum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifi-  
xum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à  
mortuis, receptum in cælis, sedentem nunc ad dexte-  
ram Patris, venturum judicare vivos & mortuos per  
carnis etiam resurrectionem.* Et in præscriptioni-  
bus cap. 37. *In ea regula, inquit, incedimus, quam  
Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à  
Deo tradidit.* Loquitur autem de symbolo, quod  
ab Apostolis compositum fuisse, priusquam in  
varias orbis partes ad prædicandum Christi E-  
vangelium dispergerentur, ut eo veluti signo seu  
tessera veri fideles à falsis discernentur, com-  
munis Patrum sententia & vetus Ecclesiæ tradi-  
tione est. Cur verò symboli nomen impositum  
illi fuerit, diffusè explico in tract. de divina Psal-  
modia cap. 16. §. 3. Sicut enim symbolum apud  
profanos scriptores idem est ac signum, tessera,  
collatio & indicium: ita regula fidei religionis  
nostræ signaculum est, brevis credendorum col-  
lectio, & mutua ac certa credentium confes-  
satio. Extat ejus expositio inter opera Cypriani,  
quæ consensu omnium Eruditorum est Rufini  
Presbyteri Aquileiensis, ubi testatur non fuisse  
ab Apostolis scripto traditum, sed sola voce &  
traditione, ne fortè ad infideles perveniret, aut  
à falsis christianis depravaretur. Cui consonans  
Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium cap. 9.  
ait, *In symbolo fidei & spei nostre, quod ab Apo-  
stolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed  
in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trini-  
tatis & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis  
sacramentum carnis resurrectione concluditur.* Sola  
igitur voce fidelibus tradi consuevit, ut tuto pos-  
sent eos dumtaxat ad communionem admitte-  
re, qui hoc signaculum christianæ professionis  
tamquam arcanam solisque fidelibus notam tes-  
seram memoriter proferrent: idque tanta se-  
creti fide inviolabiliter servatum est primis Ec-  
clesiæ sæculis, ut nec quidem à catechumenis  
memoriæ juvandæ causâ describi permittere-

tur. Sed nec ullus scriptor ante Constantinum  
Magnum ipsum libris suis inferere ausus est,  
nisi solus Tertullianus loco supra citato, com-  
pendio tamen usus, & quibusdam articulis præ-  
termillis. Hermias item Sozomenus, ut alibi  
scripsi, symbolum Nicænum in sua historia re-  
ferre veritus est, quod eum librum ab his, qui  
initiati non essent, lectum iri timeret. Verum  
Athanasius, Basilius, Leo, alique Patres il-  
lud scriptis suis inferere non dubitarunt, quia  
tunc pacatâ ecclesiâ nullas à gentilibus & Judæis  
insidias metuebant. Trecentis & amplius an-  
nis Apostolico symbolo usa est Ecclesia, donec  
Arius detestandæ hæresis impiissimus auctor  
emerfit, pro cujus damnatione coacta Nicæna  
Synodus, novam fidei tesseram tradidit Ortho-  
doxis, qua ab Arianis discernentur. Quare  
Athanasius in Epist. ad Episcopos Africanos  
Nicænam synodum trophæum & columnam  
esse dixit, in qua omnes hæreses ostentui in-  
scripæ sunt & triumphantur. Et Gregorius  
Nazianzenus in encomio Heronis Philosophi  
Alexandrini, eandem ait Divinitatis doctri-  
nam certis finibus ac verbis circumscriptisse.  
Hoc verò symbolo in eadem synodo recitato  
omnes Episcopos exclamasse legimus, *Hæc est  
Catholicorum fides, huic omnes credimus, in hac  
baptizari sumus, in hac baptizamus.* Postquam  
enim publicatum fuit, omnes Ecclesiæ orien-  
tales illud statim receperunt, & catechumenis  
ac fidelibus ediscendum tradiderunt, adeò ut  
Arianus censeretur quicumque ipsum non pro-  
fitebatur. In partibus verò Occidentalibus à  
quibusdam Ecclesiis citius, ab aliis serius re-  
ceptum fuit, pro ut serius vel citius Ariana  
hæresi contaminari ceperunt. Novis postea  
exortis hæresibus secunda synodus Oecumeni-  
ca Constantinopoli coacta est, in cujus primo  
congressu aliud symbolum editum fuit, quod  
Marcus Ephesinus in synodo Florentina tan-  
quam ex communi Græcorum Patrum senten-  
tia à Gregorio Nazianzeno compositum fuisse  
asseruit. Utrumque autem tam Nicænum  
quàm Constantinopolitanum pro uno & eodem  
semper habitum fuit: & quod nunc cantamus  
in Missarum solemniis, quamvis sit Const-  
antinopolitanum, à Magistro sententiarum lib.  
1. dist. 11. & ab aliis scholasticis Nicænum nun-  
cupatur. Utrumque etiam confundunt Patres,  
quia quicquid additum est à Constantinopoli-  
tano, jam virtute in Nicæno continebatur:  
& cum fides una sit, unum etiam symbolum  
est.



est, quamvis Nicænum Apostolico, Nicæno autem Constantinopolitanum quædam majoris explicationis gratia adjunxerint. Hoc verò ultimum in Missa cantari potius quàm Nicænum antiqui Patres instituerunt, non quia modulis musicis aptius sit, ut parum rectè autumat Walfridus Strabo *cap. 22.* sed quia in eo dogmata orthodoxa clariùs exprimuntur, & omnes hæreses eò usque exorta plenius confutantur.

II. Quis omnium primus illud Liturgiæ inferuerit, aut cantari præceperit, incertum est. Radulfus Tungrensis *prop. 23.* à Marco Papa, Sylvestri successore sancitum fuisse ait, ut symbolum Nicænum in Missa diceretur. At Innocentius III. *lib. 2. de mysteriis Missæ cap. 49.* & alii passim scribunt, S. Damafum id recitari iussisse ad exemplum Græcorum. In hoc autem conveniunt omnes, quod publicè cantari cœperit in Ecclesiis orientalibus adversus pravas hæreticorum opiniones, à quibus postea ad Occidentales laudabilis usus transfusus est. Verùm Græci, vivente Damaso hunc ritum nondum admiserant, ait enim Theodorus Lecter *lib. 2. Collectaneorum*, Timotheum Patriarcham anno 510. Constantinopoli instituisse, ut symbolum fidei per singulas synaxes diceretur, cum antea semel tantum in anno diceretur in magno die Parasceves, cum Episcopus catechumenos instruebat. Eandem symboli recitationem in omni conventu Petro Gnapheo tribuit Nicephorus Callistus *lib. 15. cap. 28.* Sed hic fortassis in Antiochena, ille in Constantinopolitana Ecclesia hunc morem induxerunt, quem postea Hispani primi inter Latinos receperunt. Extat de hac re decretum Concilii tertii Toletani anno 589. *can. 2.* „Pro reverentia sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum in-  
„validas mentes, consultu Piissimi & glorio-  
„sissimi Domini nostri Reccaredi Regis sancta  
„constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias  
„Hispaniæ & Galliciæ secundum formam  
„orientalium Ecclesiarum, Concilii Constan-  
„tinopolitani, hoc est CL. Episcoporum sym-  
„bolum fidei recitetur, & priusquam Domi-  
„nica dicatur oratio, voce clara à populo de-  
„cantetur, quo & fides vera manifestum testi-  
„monium habeat, & ad Christi corpus & san-  
„guinem prælibandum pectora populorum  
„fide purificata accedant. Exprimit hic can-  
„on ritum Hispanicum, qui adhuc permanet in  
„Missali Mozarabico, in quo post consecratio-  
„nem & aliquot brevissimas preces dicit Pres-

byter, *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus.* Tum elevat corpus Christi, ut videatur à populo, & dicit choris symbolum fidei, videlicet: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ: Visibilem omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum non factum Omouision Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Passus sub Pontio Pilato, sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum vivificantem, & ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptismum in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.* Sic ibi cantatur symbolum, post quod dicitur oratio dominicalis. Hispanicæ Ecclesiæ Gallicanæ & Germanicæ postmodum imitatae sunt regnante Carolo Magno post Felicis hæretici damnationem, ut Walfridus testatur *cap. 22.* Refert Baronius *tom. 9. ann. 809.* Dialogum de simbolo inter Leonem III. & Legatos Caroli Magni: cum enim Franci licentiam à Leone accepissent ipsum canendi in Ecclesia, illudque canerent cum additamento *Filioque*, quod verbum adversus Priscillianistas Episcopi Hispani adjunxerant approbante & consentiente Leone Magno, ut idem narrat Baronius *ann. 447.* dubitatum fuit in synodo Aquilgranensi, non quidem de processione Spiritus S. ex Patre & Filio, sed utrum illa particula *Filioque* licitè addita esset. Quam ob causam Legatos misit ad Leonem Carolus Imperator, quorum cum Pontifice colloquium sive disputationem Baronius refert loco citato. Ipse autem Leo, teste Anastasio, duas tabulas argenteas pensantes libras XCIV. & uncias VI. in Basilica S. Petri propè ipsius confessionem affigi mandavit, in quarum altera latinè, in altera græcè symbolum legebatur absque illo additamento *Filioque*; tū ob venerationem antiquitatis,

Yyy

cujus



cujus tenacissimus fuit; tum quia minimè necessarium putabat, ut omnia fidei dogmata symbolo infererentur. Postea tamen Romanorum Pontificum decreto hoc ipsum additamentum receptum fuit, ut ostendit Baronius anno 883. ad retundendam Schismaticorum perveraciam, qui catholicum dogma de processione Spiritus sancti à Patre & Filio impugnabant. Quando cœperit Romæ in publica Missarum celebratione cantari, narrat testis oculatus Beron Augiensis cap. 2. libri de rebus ad Missam pertinentibus, *Romani*, inquit, symbolum post Evangelium usque ad hæc tempora Divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fœce infecta; sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate catholice fidei permaneret inconcussa. Et idè magis his necessarium esse illud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea desit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent. Contigit hoc anno M X I V. quo illud suis Annalibus consignavit Baronius, hæc verba ex solida sua sapientia adjiciens: *Placent ista, sed nobis gratius, si veneranda antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam novitati.* Et justam sanè causam Romani Presbyteri attulerunt Imperatori, propter quam symbolum non canebatur in Missa: nam Rufinus Aquileiensis S. Hieronymi celeberrimus antagonista initio expositionis in symbolum Apostolorum, in diversis ecclesiis ait aliqua ipsi symbolo adjecta fuisse. Tum subdit, *In Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum: & rationem reddit, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus.* Agit autem de symboli recitatione, quæ à catechumenis audiente populo ante baptismi susceptionem fieri solebat. Ab anno igitur millesimo decimo quarto jubente Benedicto VIII. cœpit Romæ cantari symbolum; & idè nec in Ordine Romano, nec in priscis Sacramentorum Codicibus, nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Remigium, & alios qui ante prædictum annum Romane Missæ ordinem explanarunt, ulla symboli mentio reperitur: cum tamen multo ante in Hispania, Gallia, & Germania cantaretur. Extat in omnibus Liturgiis

Græcorum, Maronitarum, & cæterarum gentium, quæ in Oriente sunt.

III. Post symbolum, & quando non dicitur, post Evangelium, sacerdos salutat populum & excitat ad orandum. Tum chorus canit Antiphonam, quæ Offertorium nuncupatur, quia antiquo more populus interim sua dona offererat. Nomine autem Offertorii sive offerendæ, ut Amalarius & alii veteres loquebantur, ea omnia comprehenduntur, quæ à sacerdote & Ministris fiunt & recitantur à prædicta salutatione usque ad secretæ orationis conclusionem, cum excelsa voce sacerdos intonat, *Per omnia secula seculorum.* Quis eam antiphonam cantari instituerit, non liquet. Plerique à Gregorio Magno primo institutam asserunt, quia in suo Antiphonario propriam singulis Missis assignavit. Sed jam vigeat in Africa hæc consuetudo, ut scribit Augustinus lib. 2. *Retract. cap. 11.* Apud Gregorium singula offertoria plures versus habent adjunctos, & quandoque integer psalmus repetita post singulos versus antiphona cantari solebat, ut toto illo tempore, quo populus offererat, psallentium clericorum voces audirentur: sicut olim in veteri Testamento, cum populus offerret holocausta, in voce, & tubis & cymbalis laudes canebant Deo, ut ea nimirum modulatione se hilari mente munerat Deo offerre indicarent. Hac ipsa de causa solent cantores eadem verba sæpius repetere, ne citius finiat cantus, quam sacra functio absolvatur. Ideo non rectè quidam recentiores hanc repetitionem inter musicæ hodiernæ abusus enumerant, cum præsertim quædam ejus exempla habemus in ipso Gregorii Magni Antiphonario, ut in Offertorio Quinquagesimæ bis dicitur, *Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas.* Et in offertorio hebdomadæ XXI. post Octavam Pentecostes in Versu primo bis dicuntur hæc verba, *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui;* verbum autem *Et calamitas* ter repetitur. Crebræ etiam repetitiones fiunt in sequentibus versiculis: in IV. *Quoniam non reverteretur oculus meus ut videam bona,* ter dicitur *Quoniam,* & novies *ut videam bona.* Rationem hujus repetitionis, sed mysticam ut solet, affert Amalarius l. 3. c. 39. *Officit auctor;* inquit, *ut affectanter nobis ad memoriam reduceret ægrotantium Job, repetivit sæpius verba more ægrotantium.* Hodie ab Offertorio sublatis sunt versus, sed his refecatis ipsum offertorium morosius decantari debet, ut notavit Radulfus Tungrensis *prop. 23.* Retinuerunt



runt versus Offertorii Lugdunenses in aliquot Millis, Romani verò & alii eos sustulerunt, tum quia populi oblationes cessarunt, quæ longam psallendi moram exigebant; tum quia Organa introducta sunt, quæ cum pulsantur, nec ipsum quidem Offertorium decantatur.

IV. Mos fuit in veteri Ecclesia, ut, qui ad sacram synaxim conveniebant, panem & vinum portarent & offerrent, sicut supra ostendi Lib. I. Cap. XXIII. §. 3. ex conciliis & Patribus. Ad do Optatum Milevitanum, qui initio libri VI. reprehendit Donatistas, quod altaria frangerent, in quibus vota populi portabantur, in quibus fraternitatis munera non iussit Salvator poni, nisi quæ essent de pace condita. Loquitur autem de oblationibus, quæ in altari consecrabantur, nam subdit: *Quid est enim altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi?* Ideò Tertullianus lib. de exhort. Castitatis cap. 7. omnes sacerdotes esse dixit, non quod omnes potestatem consecrandi habeant, ut Anonymus quidam perperam explicavit, egregiè à Petavio confutatus in Diatriba de potestate consecrandi; sed quia omnes panem & vinum ad altare Dei offerebant. Ritus autem priscus fuit ea dumtaxat offerre, quæ sacrificio usui erant, panem scilicet & vinum: reliqua supra altare offerri prohibet can. 3. Apostolorum. Permittit autem offerri & benedici oleum ad luminaria, & incensum, novæque spicas & uvas ex quibus fiunt panis & vinum, quæ sunt propria huius sacrificii elementa. Reliquos fractus domum mitti jubet Episcopo & presbyteris, qui diaconis & clericis distribuunt. Hunc Canonem explicans Zonaras, *Fructus*, inquit, *legumina & alia huiusmodi offeruntur altari, non ut sacrificium, sed tamquam primitiæ. Oleum permittitur offerri, ut per hoc lumen vero lumini accendatur, & incensum tempore oblationis.* Postèa concilium Trullanum uvam vetuit offerri can. 28. propter abusum, qui in diversis ecclesiis irrepperat, ut eam ministri incruento sacrificio conjungentes simul cum Eucharistia populo distribuere. Ideò decrevit, ut Sacerdos solam oblationem populo porrigeret, & uvam tanquam primitias seorsim benediceret, & petentibus tribueret ad fructuum datoris gratiarum actionem. Idem sancivit can. 57. quod ad altare mel & lac offerre non oportet. Concilium verò Carthaginense, celebratum anno 397. ut habetur in codice Ecclesiæ Africanæ, hæc omnia clariùs edisserit can. 37. his verbis. „ Ut in Sacramenti corporis & sanguinis Domini ni-

hil offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ verò, seu lac & mel, quod uno die solemniissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut à Sacramento Domini corporis & sanguinis distinguantur: nec amplius in primitiis offerantur, quàm de uvis & frumentis. Primitiarum igitur oblationem absque ulla temporis limitatione concedit: mel autem & lac offerri præcipit semel tantum in anno in die Paschalis festivitatis, quo solemne baptisma celebrari, & egressis è sacro fonte mel & lac dari consueverat; de quo ritus egimus Lib. I. Cap. XVI. Solebat etiam populus in die Cœnæ Domini oleum offerre in ampullis ipsa die ab Episcopo consecrandum, ut ex libro Sacramentorum S. Gregorii apud Pamelium, & ex Ordine Romano constat. Mos enim veteris Ecclesiæ fuit non conficere Sacramenta, nec quidpiam ad ea pertinentens benedicere, nisi ex oblatis.

V. Inter calumnias adversus Ecclesiam Romanam, quas Photius Bulgaria Regi, hic Romano Pontifici Nicolao misit, una hæc fuit, quod in Paschate more Judaico Agnum super altare simul cum Dominico corpore offerret & benediceret. Sed hoc putidum mendacium est: quamvis enim Romana Ecclesia Agni carnibus Sacerdotalem benedictionem impertiri solet, non eas tamen aut super altare collocabat, aut simul cum Christi corpore offerebat seu benedicebat. Extat Agni benedictio pro die Resurrectionis in Ordine Romano, ipsa enim die Agni carnes sacerdotali benedictione sanctificatas Fideles comedebant ob reverentiam Christi Agni immaculati pro nobis occisi: idque olim in ejus figuram Domino præcipiente constituit Moyses tanquam præcipuam Judaici Paschatis ceremoniam. Nimio zelo hunc ritum tanquam superstitiosum & erroneum Walfredus Strabo reprehendit cap. 18. nec video, cur adeò acerbè morem antiquissimum ab ecclesia approbatum, & hodie adhuc vigentem insectetur: cum ipsæ fertim fateatur, quod neque in altari, sed sub ipso vel juxta ipsum poneretur, neque simul cum Dominico corpore, ut nequiter Latinis imposuit Photius, sed propria benedictione & à consecratione corporis Christi multum diversa benediceretur. Aliquem fortassis abusum improbat, quem non indicat: aut respexit ad præcitatum canonem Africanum,



quo inter ea quæ offerri permittuntur, Agnus non recensetur. At omisso Strabone illud infuper observandum est, quod sicut omnia indiscriminatum offerre illicitum erat; ita Sacerdotes non omnium passim oblationes recipiebant. Nam primò omnia dona in locum deputatum ante Missam deferre mos erat, qui Gazophylacium sive Secretarium vocabatur, in quo & oblationum & offerentium diligens inquisitio à Diacono præmittebatur. Deinde ejectis sive segregatis qui offerre non poterant, ipsa dona consuetis ritibus, de quibus infra, fideles offerebant per manus Diaconorum altari inferenda. Mos autem antiquus erat, ut, qui communicandi jus nos habebant, iidem offerre prohiberentur, ut ex concilio Illiberitani can. 28. manifestum est. *Episcopum placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.* Omnes enim, qui Missæ inteterant & communicabant, panem quoque & vinum offerebant, ex quibus Eucharistia conficeretur; atque ideò cum jure communicandi annexum erat jus offerendi. Lites serunt super hujus canonis intelligentia viri eruditi, sed facillè componi possunt duplicis communionis, munerumque & oblationum adhibita & benè perpensa distinctione. Quod enim attinet ad munera, Baronius tom. 7. anno 523. hoc inter ea & oblationes ponit discrimen, quod munera ea dicerentur, quæ nulla habita ratione donantis, in Ecclesiam tamquam in Gazophylacium inferebantur: oblationes autem essent, quæ à solis Fidelibus Orthodoxis solemni ritu offerri & recipi consueverunt, de quibus ait Irenæus lib. 4. cap. 34. *Is qui offert glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus.* Et munera quidem etiam ab infidelibus acceptata fuisse, ex eo probat Baronius, quod Anastasius refert in vita Hormisdæ, Theodoricum Italiæ Regem Arianum obtulisse B. Petro Apostolo cereostrata argentea duo pensantia libras LXX. Non semper tamen hoc observatum fuit ob varias rerum & personarum circumstantias. Cum enim Eusebius Constantii Imp. Arianus eunuchus multa B. Petro munera obtulisset, Liberius Papa custodem Ecclesiæ acriter increpavit, quod illa inferri in Ecclesiam passus esset, ipsaque tamquam illicita & execranda ab Ecclesia projici mandavit. Rem narrat Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes. Imò aliquando si quid Hæretici Ecclesiæ intulerant, antequam in hæresim laberentur, id eis post lapsum restitutum fuit; id-

que Tertullianus de Marcione refert lib. de Prescript. c. 30. dicens; „ Ubi tunc Marcion, ubi Valentinus? Nam constat illos in Catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum ejecti; Marcion quidem cum ducentis festertius quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum dissidium relegati, vena doctrinarum suarum disseminarunt. Adeò munera illius hæresiarchæ Ecclesia detestata est, ut CC. festertia, quæ, ut supputat Budæus, quinque aureorum millia valebant, illi, cum è cætu fidelium expelleretur, ultro restituerit, nihil ipsius volens retinere. Hoc verò discrimen munerum & oblationum passim negligunt probati scriptores, nam quæcumque res Deo offeruntur, sive res soli, sive mobiles sint; sive pertineant ad sacrificium; sive pauperum vel Ecclesiasticorum sustentationi destinata fuerint, oblationes dicuntur, qua voce usus est Ulpianus in Pandectis lib. 24. tit. 1. de donationibus inter virum & uxorem lib. 5. §. 12. ubi ait, locum sacrum fieri, si maritus ad oblationem Dei uxori donaverit. Veteres, teste Festo, offermenta vocabant. Unde colligimus, oblationis nomen æquivocum esse: nam primò ea munera significat, quæ non altari, sed Ecclesiæ extra Missam offerebantur: secundò arctatur idem vocabulum ad eas, quæ intra Missarum solemnità altari inferuntur, sive ad sacrificium pertineant, sive ab eo aliena sint. Est & alia magis pressa significatio, qua oblationis nomine ipsum sacrificium à sacerdote Deo oblatum intelligimus, de qua aliquid diximus, cum de nominibus Missæ ageremus.

VI. Eadem æquivocatio in nomine communionis reperitur, quæ necessariò explicanda est, ut palam fiat, de qua communionem loquamur, cum dicimus, illorum oblationes non fuisse receptas, qui ad communionem jus non habebant. Quod ergo attinet ad præsentem Dissertationem, duæ erant communionis species. Una erat participatio cum fidelibus in communi conversatione & confortio, atque etiam in oratione, qua qui donati erant, poterant in omnibus cum fidelibus convenire, sed non in perceptione Eucharistiæ. Altera, quæ maxima dicebatur, jus præbebat sumendæ Eucharistiæ. Qui utraque privabantur, hi ab Ecclesia omnino præcisi erant



erant, quales sunt hodie excommunicati, de quibus nullum est dubium, quod nihil poterant altari offerre, cum ab ipso Ecclesie ingressu, sicut & Pœnitentes primi gradus, arcerentur. Idem dicendum est de Catechumenis & Pœnitentibus secundi & tertii ordinis, & de reliquis qui peracto sermone ab Ecclesia egrediebantur, & januis clausis adesse mysteriis non poterant. Pœnitentes autem, qui ad quartum gradum pervenerant, illi etiã, qui aliquid minus grave peccatum sola Eucharistie communione privabantur, licet sacris interessent & orationum participes fierent, atque pauperibus elemosynas erogare possent, nihil tamen poterant offerre ad altare: cum enim non liceret eis Christi corpore refici, consequens erat, ut eorum oblationes rejicerentur, quia potestatem offerendi, & jus sumendi corpus Christi sibi invicem connecti tunc Ecclesia arbitrabatur; nec putabat gratas fore & acceptabiles Deo illius hostias & oblationes, qui à perceptione divinorum munerum abstentus erat. Confirmat hunc morem epistola Augustini nomine scripta ad Bonifacium virum illustrem, qui tempore Augustini vivebat & Romani imperii perduellis erat. Hæc est 6. in *Appendice tom. 2.* eamque Baronius *an. 427.* esse putat alicujus Episcopi Africani. *Oblatio*, inquit, *domus tuæ à clericis ne suscipiatur indixi, communionemque tibi interdico, donec peracta pro ausibus vel errore à me desinita tibi met penitentia & tempore condonato, pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium Deo.* De utraque communione loquitur concilium Ancyranum: ut optimè explicat Baron. *tom. 3. an. 314.* nam quibus dumtaxat permillum erat cum fidelibus orare, illos ait communicasse sine oblatione: qui verò ad Eucharistie perceptionem admittebantur, ii dicebantur communicare cum oblatione. De communione laica & peregrina suo loco commodius agam. De Eurgemensis statuit concilium Illiberitanum *can. 27.* ne ipsorum nomen cum oblatione ad altare recitaretur. De Pœnitentibus autem subito mortuis concilium Vasense I. c. 2. decrevit, ut eorum oblationes reciperentur, & nomina recitarentur. Decreti causam reddidit Concilium Arelatense II. c. 12. quia pœnitentiam honoraverunt. Idem sancivit concilium Toletanum XI. *can. 12.* Atq; inde originem accepit quorundam in Africa superstitionis, qui ori mortuorum Eucharistiam infundebant, ut communi Ecclesie restituti crederentur, quæ damnata est in codice canonum Ec-

clesiæ Africanæ c. 18. Cum autem in Ecclesia primæ rigor vigeret, ita fideles cum mortuis communicabant, quemadmodum communicaverant cum viventibus: atque ita qui vivens inter *Fientes* erat, sive inter *Audientes*, aut *Substratos*, vel *Consistentes*, etiam defunctus similem gradum habebat, ejusque corpus in eodem Ecclesie loco collocabatur, in quo vivens stare consueverat; atque inde ad sepeliendum efferebatur. De his verò, qui animo jam deficientes pœnitentiam postulabant, & ante reconciliationem sive absolutionem moriebantur, Leo *Manus epist. 92.* ad Rusticam Narbonensem Episcopum sic scripsit, *Horum causa Dei judicio reservanda est, in cuius manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur.* Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. Porro communicatio in his verbis pro absolutione & venia accipitur, quo sensu antiqui canones graviorum quorundam criminum reis hanc pœnam imposuerunt, ut nec quidem in sine communionem acciperent, quod de reconciliatione & restitutione confortii cum fidelibus omnino accipiendum est. Mitigata deinde fuit hæc severitas, nec illi serio pœnitenti venia denegata est, adeò ut secunda Synodus Aurelianensis c. 15. illorum etiam oblationes recipi concesserit, qui in aliquo crimine fuerant interempti, iis tantum exceptis, qui propriis sibi manibus necem intulissent.

VII. Sed regredior ad oblationes, & quia supra indicavimus simul cum oblationibus offerentium quoq; nomina oblata seu recitata fuisse, idè inquirendum, quid sit hujusmodi nominum oblatio seu recitatio. Quidam putant, hoc nihil aliud fuisse quam pro illis orare, illorumque meminisse in orationibus seu publicis seu privatis. Verè tamen alicujus nomen offerre idem erat, ac ipsum in sancto sacrificio recitare & enuntiare; qui ritus manifestè colligitur ex epistola decima Cypriani adversus Presbyteros, qui lapsos nondum peracta pœnitentia ad confortium fidelium, & ad oblationem ac perceptionem Eucharistie admittebant: *Ad communionem*, inquit, *admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & clero imposta, Eucharistia illis datur.* Eidem ad stipulatur Innocentius I. ep. qua respondet Decentii Episcopi Eugubini consultationibus, ubi ait: *De nominibus recitandis antequam precem sacer-*

das.



dos faciat, atque eorum oblationes quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cuius hostium necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus. Rursum Cyprianus epist. 60. de redemptione captivorum ad Episcopos Numidiæ, eorum nomina se misisse scribit, qui aliquid in illud opus contulerant: non frustra, ut ad eam notat Rigaltius, nec supervacue, nam in sacrificiis ipsorum nomina offerebantur. Hæc autem recitatio ad Diaconum spectabat, teste Ilidoro, qui epist. ad Ludifredum Episcopum Cordubensem de Diacono agens ait, Ad ipsum pertinet officium precum & recitatio nominum. Idem Hieronymus docet in cap. 18. Ezechielis dicens, Multos conspicimus qui opprimunt per potentiam vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in suis sceleribus gloriantur, publiceque Diaconus in Ecclesia recitet offerentium nomina: tantum offert illa, tantum ille pollicitus est: placentque sibi ad plausum populi, torquente conscientia. Ex quo discimus vitio reproborum in ambitionem degenerasse, quod pro Numinis cultu institutum fuerat. Quare idem Hieronymus lib. 2. in Hieremiam cap. 11. ait: Nunc publicè recitantur offerentium nomina, & redemptio peccatorum mutatur in laudem. Græci nomina recitant, cum scindunt panes, & pro singulis tam vivis quam defunctis particulam seponunt, & offerunt, sicque eos sacrificii participes faciunt. Latini in canone distinctis locis vivorum & mortuorum memoriam agunt, quod olim fieri solebat recensitis nominibus. Ex verbis enim S. Innocentii modò citatis constat, recitata fuisse nomina inter sacra mysteria, id est in canone, post nomina commendationem: idque confirmatur ex Concilio Emeritensi sub Vitaliano Papa cap. 19. quo statuitur, Ut in singulis Ecclesiis, in quibus Presbyter iussus fuerit præesse, singulis diebus Dominici sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ: quod si ab hac decesserunt aut discesserint hæc, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur in suo ordine. Nomina

verò legebantur ex Diprychis, de quibus & de aliis ad hanc nominum recitationem spectantibus commodior agendi locus erit, cum verba illa Canonis explicabimus, Memento Domine. Occurrunt autem hoc loco duo quædam ex Walfrido Strabone, quæ pertinent ad oblationem, nec mihi omittenda videntur. Nam primò sic loquitur c. 22. Sciendum quosdam inordinate offerre, qui attendentes numerum oblationum potius quam virtutem sacramentorum: sæpi in illis transeunter offerunt Missis, ad quas persistere nolunt. Rationalius siquidem est tibi offerre, ubi velis persistere, ut qui munus Domino obtulisti, offeras pariter pro eodem munere suscipiendo postulationem devotam. Non enim frustra in actione dicitur, Qui tibi offerunt: non dicit, Qui obtulerunt, ut intelligamus eos persistere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perveniant ad quod oblata sunt. Ex quibus verbis discimus sæculo nono, quo Waltridus claruit, eos qui offerebant non semper communicasse, imò aliquando facta oblatione statim ab Ecclesia discessisse, quem abusus acriter reprehendit. Deinde aliam perstringit consuetudinem, dicens, Sed & in hoc error non modicus videtur, quod ajunt quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant; vel pro vivis & defunctis non simul estimant immolandum, cum verè sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine & orationum augendarum delectatione id faciat, non stulta opinione, qua putet unum Dei sacramentum non esse generale medicamentum. Quodammodo enim in fide imperfectus est, qui putat Dominum non discernere, quando una petitione pro multis rogatur, quid cuique sit necesse: vel fastidire cum estimat, cum eadem oblatio nunc pro uno, nunc pro alio exhibetur. Hactenus ille, cuiusque Sacerdotis arbitrio seu devotioni relinquens unum pro multis offerentibus sacrificium, aut singula pro singulis celebrare. Nostrorum verò temporum alia conditio est, alii mores: nec ullus ignorat, quid de hac re ab Apostolica sede statutum sit.

VIII. Adhuc viget mos offerendi in multis Ecclesiis præsertim in pagis & oppidulis Rusticorum, qui, cum præscarum consuetudinum renaciores esse soleant, supervenientibus mutationibus haud facile acquiescunt. Verùm huiusmodi oblationes non in usum sacrificii ce-



dunt, sed Parocho vel pauperibus tribuuntur, imo plerumque pecunia offertur, nam cum populi communio refrigescere charitate cessasset, & ad usum celebrantis modica panis particula sufficeret; panis verò pro usu sacrificii à clericis formaretur, cœpit populus, ut ait Honorius in *Gemma animæ* lib. 1. cap. 66. pro oblatione panis sive farinae, denarios offerre. Erat hoc in usu tempore Petri Damiani, ipse enim scribit *l. 5. epist. 13.* quòd sibi Missarum mysteria celebranti uxores Principum Bizanteos obtulerunt: erant autem Bizantei nummi aurei. Porro usum offerendi eo tempore apud Latinos desuisse existimo, quo panis azymus à ministris altaris pro Missæ sacrificio confici cœpit: nam si quid postea oblatum legimus, id nequaquam ad sacrificium, sed ad clericorum vel pauperum sustentationem, vel ad Ecclesiarum & monasteriorum constructionem pertinebat; & sic omnino intelligendæ sunt Conciliorum sanctiones, quæ post annum millesimum aliquid offerri præcipiunt. Synodus Romana V. sub Gregorio VII. cap. ult. *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemniam aliquid Deo offerre*: aliquid inquit, non panem aut vinum; & *duci ad memoriam quod Deus per Moysen dixit*, Non apparebis in conspectu meo vacuus. *Etenim in collectis sanctorum Patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum debeant.* Synodus Eboracensis sub Celestino III. prohibet Sacerdotem aliquid accipere pro Missarum celebratione, nisi hoc dumtaxat quod oblatum fuerit. Sunt & alia statuta, quibus decernitur, ne quis laicorum de oblationibus particeps, quæ offeruntur ad altare, quæ proculdubio non de his, quæ ad sacrificium spectabant, sed de aliis rebus loquuntur ad usum Ecclesiæ vel pauperum oblati: quæ quidem oblationes diu apud fideles permanserunt. Agit de his Baronius *ann. 44. num. 68.* ubi de indicta à Paulo collecta sermonè habet, pluraque congerit ad comprobandum earum usum ex Tertulliano, Cypriano, Justino, & aliis Patribus, quibus nonnulla addit infra *ann. 57. num. 72. & 167.* Easdem oblationes respiciunt decreta concilii Gangrensis *c. 7. & 8.* Vafensis I. apud Sirmondum *c. 4.* Arelatensis II. *c. 28.* Aurelianensis I. *c. 14.* Matifonensis I. *c. 4.* Engilnheimensis *cap. 8.* Tempore Goffridi Vindocinensis in usu erant oblationes in Ecclesiis Monasterio subiectis, quæ in utilitatem Monachorum cedebant, uti constat ex *epist. 40. libri 3.* Vivebat

autem Goffridus a. 1130. Oblationum in ecclesia Græca prisca formula hæc fuit: *Tua de tuis offerimus tibi Domine.* Similiter Latini, *Offerimus*, inquit, *præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis.* Nam quicquid homo habet, Dei donum est, & ideò in his quæ offert, reddit Deo quod suum non est, illo recipiente quod suum est. In Capitulari Caroli Magni l. 6. c. 285. alia formula oblationum recensetur his verbis: *» Quisquis nostrum suas res ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert atq; dedicat, suisq; sanctis & non altari, dicendo talia & agendo ita. » Facit enim scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari aut supra tenet in manu dicens ejusdem loci sacerdotibus atque Custodibus: Offero Deo atque dedico omnes res quæ in hac chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum ac parentum & filiorum, aut pro quocunq; illas Deo deliberare voluerit ad servendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumq; solemnibus, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus, atq; illius ecclesiæ utilitatibus. » Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtilimas reddat rationes. Hoc antiquis solemnè fuit, ut chartas donationum ponerent super altare, ut patet ex Marculfo Monacho, qui vivebat an. 660. l. 1. formularum c. 1. *Nec de hoc quod à Dominum timentibus hominibus transmissum, aut in altario offertum fuerit, auferre præsumat.* Anastasius quoque in Adriano, donationem factam Romanæ Ecclesiæ à Carolo Magno positam ab eo fuisse refert super altare S. Petri. Idem confirmat Gregorius Turonensis lib. 1. *de gloria Martyrum* cap. 61. ubi narrat baltheum ex auro purissimo cum omni apparatu studiosissimè fabricatum ab homine devoto oblatum super altare basilicæ S. Nazarii. Alia quædam testimonia affert Bignonius in notis ad locum citatum Marculfi; quibus plura addi possent ex breviculis sive instrumentis donationum, quas Ecclesiis & locis religiosi Reges, Principes, & alii passim fecerunt. Adhuc vigeat hæc consuetudo tempore Innocentii III. qui *cap. ex litteris, de consuetudine*, rescribens Archiepiscopo Lundeni in Dania, non Lugdunensi, ut perperam scribitur in Decretalibus, perfectæ donationis signum esse ait, cum quis modicum terræ illius possessionis quam offert Ecclesiæ, ponit super altari.*



Eodem modo Monachi cum per solemnem professionem seipfos offerunt Deo, ipsius professionis chartam ponunt in altari, ut S. Benedictus præcipit in Regula cap. 58. Et Regula Tarnatensis, sive Agaunensis Monasterii cap. 1. agens de his qui sæculo renuntiantes se & sua donabant Monasterio, oblationem ejus, inquit, ad integrum devotio sincera commendat, & super altare statuat. Consonat Regula Magistri cap. 89. dicens: Si quis cum rebus suis introierit, tunc ille brevis, & donatio rerum suarum Deo vel Monasterio facta ipsius donatoris manu super altare ponatur, dicente ipso fratre: Ecce Domine cum anima mea & paupertate mea quicquid mihi donasti tibi reconfigno & offero: & ibi volo ut sint res mee, ubi fuerit cor meum & anima, sub potestate tamen Monasterii & Abbatis, quem mihi Domine in vice tuamendendum præponis. Ad hunc morem alludere videtur Gregorius Magnus lib. 4. exposit. in 1. Regum cap. 4. cum de Novitiis diceret ait: Quod coram nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipse jam de manibus nostris teneat, quod exquirat. Cum ergo ea quæ Noviti promittunt Deo offerimus, quasi chirographum quod nobis faciunt, illi damus. Quia nimirum chartam professionis positam à Novitio super altari Abbas Missam celebrans accipit, & loco Dei acceptat, & ipsi offert. Idem olim servabant Abbates, cum benedictionis munere accepto ab Episcopo diocesano, obedientiam illi & reverentiam pollicebantur, nam chartam ejus sponsonis seu professionis altari imponebant: quem ritum commemorat Innocentius III. lib. 1. epist. 58. sic scribens Episcopo Burgenfi: Cum autem ab eo Episcopo fuerit benedictus, reverentiam ei super his tantummodo quæ præscripta sunt repromittat, professione hujusmodi super altare in scriptis oblata. Ad quæ verba quædam eruditè observat Franciscus Bosquetus in notis. Ejus autem professionis formulam exhibet Honorius III. cap. 43. Ne Dei Ecclesiam: de Simonia.

## CAPUT IX.

Ritus oblationum describitur. An omnes offerentes accederent ad altare. Orationes, quibus munera offeruntur, diversas esse in diversis Ecclesiis. Vinum aqua miscere ex Christi institutione. Græci bis aquam miscent. Quo apparatu dona sa-

cranda deferant à prothesi ad altare. Thurificatio, & lotio manuum. Sacerdotis pro se ad populum deprecatio. Orationes Secretæ.

I. Ritum olim in oblatione adhibitum sic describit Ordo Romanus. Cantores cantant offertorium cum versibus & populus dat oblationes suas, id est, panem & vinum, & offerunt cum Fanonibus candidis primò masculi, deinde femine. Erant autem fanones, sindones, ut notat ipsius ordinis expositio apud Cassandrum. Novissimè verò Sacerdotes & Diaconi offerunt, sed solum panem, & hoc ante altare. Subdiaconus verò cum calice vacuo sequitur Archidiaconum, & Pontifice oblationes populorum suscipiente, Archidiaconus suscipit post eum amulam, & refundit in calicem majorem. Amula hic accipitur pro vasculo, quo vinum continebatur, antiquis verò amula erat vasculum quo religionis gratiâ aqua portabatur, qua voce ulius est Columella de cultu hortorum; Aut habilem lymphis amulam, Bacchove lagenam.

Oblationes autem à Pontifice suscipit Subdiaconus & ponit in Sindonem, quæ cum sequitur, quam tenent duo Acolyti. Tunc Episcopus redit in sedem & lavat manus, quibus locis accedit ad altare. Tunc Subdiaconi levantes oblatas de manu Subdiaconi sequentis porrigunt Archidiacono, & ille componit altare. Ornato verò altari, Archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de Subdiacono, & refundit super eum, id est, super colatorium, in calicem. Deinde descendit Subdiaconus sequens in Scholam, & accipit fontem de manu Archiparaphonistæ & defert Archidiacono, & ille ex amula infundit faciens crucem in calicem. Porro Subdiaconus ideo ad scholam cantorum accedit, ut ab eis aquam accipiat vino miscendam, quia cantores, ut docet Amalarius libro 3. capite 19. propter instantem cantandi necessitatem non habent licentiam huc illuc discurrendi, & ne penitus extorres essent à sacrificio, aquam pro cæteris offerebant. Mox Pontifex salutatur altare, ipsum videlicet osculando, & suscipit oblatas de manibus Presbyterorum & Diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Deinde Archidiaconus suscipit oblatas duas de oblationario, & dat Pontifici: quas demum posuit Pontifex in altari, levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi, & ponit eum super altare juxta oblationes Pontificis à dextris, involuit ansis cum offertorio suo, id est cum velo,



velo, quod nunc quoque offertorium dicitur, quia eo utimur, cum dona offeruntur, quod etiam ponit in dextro cornu altaris. Post oblationem ponitur incensum super altare, & Pontifex inclinat se paululum ad altare respicit scholam & amittit ut fideant, & convertit se ad populum dicens, *Orate.* Hæc Ordo Romanus in prima Missæ descriptione; idemque ferè repetitur in tertia, & quarta. An verò populus sua dona oblaturus cancellos ingredi & ad altare accedere permitteretur, non potest facile explicari nisi tempora distinguamus & regiones. Apud Græcos omnes laicos à sacrorum semper exclusos, excepto Imperatore cum dona sua Creatori offerri volebat, canon Trullanus LXIX. ostendit, multique comprobant Græci scriptores, quos Leo Allatius citat in dissertatione de templis recentiorum Græcorum. Eundem morem diu apud Latinos viguisse ex Ordine Romano liquet in secunda Missæ descriptione, quæ est Patrum occidentalium. Pontifex, inquit, dum cantatur offertorium, à Presbytero & Archidiacono ad locum ubi oblationes à fidelibus laicis sive viris sive feminis offeruntur, easdem accepturus ducatur. Et in tertia, quæ propria Romanæ Ecclesiæ est: Pontifex descendit ad Senatorium & suscipit oblationes Principum. Et infra: Pontifex antequam transeat in partem mulierum, descendit ante Confessionem & suscipit oblationes Primicerii defensorum. Idem confirmat Capitulare Caroli Magni l. 5. c. 219. *Ut per omnes dies dominicos oblationes Deo offerant, & ut ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.* Heraldus etiam Turo-nensis Archiepiscopus cap. 7. sui Capitularis disertis verbis constituit, *Ut populus extra cancellos stet, ejus oblatio extra cancellos recipiatur.* At Theodulfus Aurelianensis in suo item Capitulari cap. 6. solas feminas excludit, quas in locis suis stare jubet, atque ibi sacerdotem earum oblationes accipere. De viris nihil statuit, ex quo licet inferre, quòd illi ad altare accederent, & ibi offerrent. Sic paulatim eversa ecclesiastica disciplina omnes indiscriminatim cujuscumque sexus & conditionis ad sacrum altare sibi aditum usurparunt.

II. In Ordine Romano nulla sit mentio orationum quæ dici solent à sacerdote, dum oblationes & reliqua peraguntur, quas nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, nec Alcuinus, nec Amalarius, nec alii Romanæ Missæ expositores commemorant; quia, ut observat Micrologus cap. 11. Romanus Ordo nullam orationem instituit post Offerendam ante secrete

tam; & idèò omnis ista actio sub silentio complebatur. Ex hac autem consuetudine Romanæ Ecclesiæ quorundam Scholasticorum opinio convellitur, asserentium oblationem istam cum orationibus eidem assignatis ad sacrificii integritatem pertinere. Fatentur quidem & agnoscunt omnes Theologi oblationem esse intrinsecam sacrificio, sed in qua ejus parte consistat; an cum Sacerdos præscripto ritu panem & vinum offert, an cum peracta consecratione ea verba profert, *Unde & memores no- mine servi tui offerimus præclaræ majestati tue hostiam puram,* & quæ sequuntur; quæstio inutilis est. Oblatio enim, cum sit inseparabilis à sacrificio, à certâ precum sive rituum formula non dependet; alioquin sacrificium Apostolorum & cæterorum, qui nondum institutis hujusmodi orationibus vixerunt, oblatione caruisset. Quicquid igitur offertorii nomine comprehenditur, simplex ceremonia ac merè accidentalis est, mox futuri sacrificii præparatoria. Hinc etiam discimus, quæ de causa orationes, quæ in offertorio dicuntur, in diversis Ecclesiis diversæ sint; quia cum diu Romana Ecclesia illis usa non fuerit, unaquæque Ecclesia sibi peculiare instituit. Micrologus duas tantum profert ex Ordine Gallicano, nempe *Veni sanctificator,* & *Suscipe S. Trinitas.* Ordo Romanus in secunda descriptione Missæ hanc solam commemorat, *Veni sanctificator,* quæ non est Romanæ Ecclesiæ, sed partium occidentalium. In antiquis Missalibus Monasticis hac unica oratione panis & vinum offeruntur.

*Suscipe S. Trinitas unus Deus,* hanc oblationem quam tibi offerimus in memoriam beatæ Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem B. Mariæ semper Virginis genitricis ejusdem Domini nostri, & omnium sanctorum & sanctarum, celestium virtutum & vivificæ crucis: ut eam acceptare digneris pro nobis peccatoribus, & pro animabus omnium fidelium defunctorum. Qui vivis. Ita olim Cistercienses.

Ritu Ecclesiæ Lugdunensis cum Sacerdos calicem discooperit, ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Tum accipiendo calicem dicit: *Hanc oblationem quesumus omnipotens Deus ut placatus accipias, & omnium offerentium & eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge.* Deinde elevat calicem dicens, *In spiritu humilitatis,* &c. Et post incensatum altare



& locas manus ait: *Veni sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.* Tum inclinatur ante altare & dicit: *Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem Virginis Mariæ, & in honorem omnium sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, seu eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum nomina & reliquæ hic habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem; ut illi omnes sancti pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Dominum nostrum.*

Ritu Ecclesiæ Sarisburiensis panis & vinum simul offeruntur hac oratione: „*Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus peccator offero in honore tuo, B. Mariæ & omnium Sanctorum tuorum, pro peccatis & offensionibus meis, & pro salute vivorum & requie omnium fidelium defunctorum. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti acceptum sit omnipotenti Deo hoc sacrificium novum.*”

In Missali Hispalensi ad hostiam offerendam dicitur hæc Oratio. *Acceptabilis sit majestati tuæ omnipotens Deus hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus & facinoribus nostris, & pro stabilitate sanctæ Dei Ecclesiæ catholice.* Ad calicem. *Offerimus tibi Domine calicem Christi filii tui, humiliter deprecæres clementiam tuam, ut ante conspectum divine majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.*

In antiquo Missali M. S. Bibliothecæ Vaticanæ cod. 4772. quod alicujus Monasterii fuisse constat, sic fit oblatio. Quando Diaconus offert calicem Presbytero, calicem scilicet cum patena & hostia superposita, dicit: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Et sacerdos accipiens oblationem dicit: *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.* Et consequenter dicit hanc Orationem: *Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & nostræ congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus & sororibus nostris, & pro omni populo Christiano, & pro omnibus elemosynas nobis facientibus, & pro his etiam qui se commendaverunt in nostras orationes, & qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut hic veniam recipiamus peccatorum, & in suorum præmia consequamur æterna. Cum superposita fuerit oblatio in altari dicat: *Acceptum sit Domino Deo**

*omnipotenti istud sacrificium altari suo superimpositum, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Sit signatum & consecratum, & benedictum sacrificium. Super oblata: Sanctifica Domine hanc oblationem, ut nobis unigeniti tui corpus fiat. Super calicem: Sanctifica quæsumus Domine hunc calicem, ut nobis Unigeniti tui sanguis fiat.*

In Missa codicis Tiliæni apud Menardum, & in ea quam edidit Illyricus, diversæ habentur formulæ oblationum, generales & particulares. Sunt & aliæ in aliis Missalibus quæ ferè cum superscriptis coincidunt. Omnium brevissima est sequens oratio, qua panem & vinum simul offerunt Fratres Predicatores. „*Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam passionis Domini nostri J. Christi, & præsta ut in conspectu tuo tibi placens ascendat, & meam & omnium fidelium salutem operetur æternam.*”

Ritu Ambrosiano Sacerdos offerens hostiam dicit: *Suscipe Clementissime Pater hunc panem sanctum, ut fiat Unigeniti tui corpus, in nomine Patris & c.* Et dum offert calicem ait, *Suscipe clementissime Pater hunc calicem, ut fiat Unigeniti tui sanguis, in nomine Patris & c.* Deinde junctis manibus & inclinatus dicit, *Omnipotens sempiternus Deus, placabilis & acceptabilis sit tibi hæc oblatio, quam ego indignus pro me misero peccatore, & pro delictis meis innumerabilibus tuæ pietati offero, ut veniam & remissionem omnium peccatorum meorum mihi concedas, & iniquitates meas ne respexeris, sed sola tua misericordia mihi profit indigno.* Tum stans manibus extensis prosequitur: *Et suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro regimine & custodia atque unitate catholice fidei, & pro veneratione quoque B. Dei genitricis Mariæ, omniumque simul sanctorum tuorum; & pro salute & incolumitate famulorum famularumque tuarum, & omnium pro quibus clementiam tuam implorare polliciti sumus, & quorum quarumque elemosynas suscepimus, & omnium fidelium Christianorum tam vivorum quam defunctorum; ut te miserante remissionem omnium peccatorum, & æternæ beatitudinis præmia in tuis laudibus fideliter perseverando percipere mereamur, ad gloriam & honorem nominis tui, Deus misericordissime rerum conditor. Per Christum dominum nostrum. Diebus Dominicis & in festis Sanctorum dicit Orationem incipientem, suscipe sancta Trinitas, parum differentem ab ea quæ supra descripta est in ritu Lugdunensi. Deinde manus expansas tenens super oblata ait, *Et suscipe S. Trinitas hanc oblationem pro inundatione meâ, ut**



*mundes & purges me ab universis peccatorum maculis, quatenus tibi digne ministrare merear, Deus & clementissime Domine. Postea benedicit oblata his verbis: Benedictio Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti copiosa de caelo descendat super hanc nostram oblationem, & accepta tibi sit hæc oblatio Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, misericordissime rerum conditor. Amen. Tandem si solemniter celebrat, incensat oblata.*

Mozarabes dicunt duas orationes ex Missali Hispanensi supra descriptas, quibus addunt *In spiritu humilitatis, & Veni sanctificator.*

III. More Romano Sacerdos offert primò panem cum hostia dicens orationem, *Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, &c.* De qua oratione Joannes Hofmeister ordinis S. Aug. in expositione Missæ cum viro docto magnam fuisse disceptationem scribit, objiciente illo se mirari, quomodo auderemus panem & vinum vocare hostiam immaculatam, quam Deus suscipiat pro salute vivorum & defunctorum: cui ipse respondit: *Non panem & vinum vocamus immaculatam hostiam, sed corpus & sanguinem Domini, quæ ex illis conficiuntur. Igitur non ob hoc, quod jam sunt, sed quod pauld post futura sunt, tali digna æstimantur appellatione, locutionis quodam modo à sacris litteris non alieno. Sicut Judas ab initio sue vocationis vocatus est proditor, quia talis futurus erat. Dicimus ergo immaculatam hostiam per relationem ad terminum substantiæ panis & vini mox subrogandum: neque enim aliter pertinent panis & vinum ad rem immolatam, nisi quia ex Christi institutione in his conficitur sacrificium, & sub eorum speciebus per verba consecrationis Christi corpus & sanguis verâ & reali transubstantiatione collocantur. Pane autem oblato ponit sacerdos vinum in calice & aquam miscet, idque ex Christi institutione, ut antiquæ Liturgiæ Jacobi, Marci, Basilii, & Joannis Chrysostomi testantur, dicentes Christum postquam cenavit, accepisse calicem, & vino aquam miscuisse. Idem definitum fuit in Concilio III. Carthaginensi c. 24. *Ut in Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum. Et in Concilio IV. Aurelianensi c. 4. Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc aqua mixtum offerre præsumat; quia sacrilegium judicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimi Salvator instituit.**

At in antiquis editionibus hujus canonis textum corruptum fuisse pridem observarunt viri eruditi; nam sic legebatur, *& hoc sine aqua mixtum*: repugnat autem quod mixtum sit & sine aqua; quare delenda vox *sine* vel in *nisi* mutanda, quod forsitan verius est. Concilium quoque Antisiodorense c. 8. Vormatiense cap. 4. Triburienfe c. 19. vinum aqua mixtum offerri decreverunt, idque antea constituisse dicitur Alexander I. non quod auctor hujus mixtionis fuerit, ut nonnulli perperam scribunt, sed quia adversus hæreticorum errores, quod ex Domini & Apostolorum traditione acceperat, scripto firmavit. Longam de hoc argumento epistolam scripsit ad Cæcilium Cyprianus, quam laudat Augustinus l. 4. de doct. Christiana c. 21. hoc Domini præcepti esse affirmans, cuius transgressio gravillimum peccatum sit, & hujus ineffabilis Sacramenti mutilatio. Justinus Mart. Apol. 2. panem, vinum, & aquam offerri ait. Irenæus l. 4. c. 57. *Dominus, inquit, accipiens panem, suum corpus constituebatur, & temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* Damascenus lib. 4. de fide Orthod. capite 14. *Consimili modo, ait, acceptum calicem & vino & aqua constantem imperavit eis.* Gennadius de Ecclesiasticis Dogmatibus c. 75. *In Eucharistia non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum cum aqua mixtum.* Ambrosius l. 5. de Sacram. c. 1. aquam vino misceri docet, tum quia Christus petra est, quam illa præfiguravit, ex qua Moyses aquam eduxit: tum quia ex latere Christi sanguis & aqua fluxerunt. August. in sermone ad Neophytos, *Hoc accipite in pane, quod pendit in cruce: hoc accipite in calice, quod manavit de Christi latere.* Theodulphus item Aurelianensis duplicem ejusdem mixtionis causam agnoscit in libello de Ordine Baptismi, quem edidit Menardus in notis ad librum Sacramentorum, c. 18. *si ve quia de latere Domini aqua cum sanguine fluxit: vel quia per vinum Christus, per aquam populus significatur. Hanc verò secundam rationem elegantissimè pertractat Cyprianus in laude, data epist. ad Cæcilium. Videmus in aqua, popululum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari, Unde Ecclesiam, id est plebem in Ecclesia*



constitutam, fideliter & firmiter in eo quod creditur perseverantem, nulla res separare poterit à Christo. Sic autem in sanctificando calice Domini aqua sola offerri non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum solum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Hæc & alia multa Cyprianus, quæ Patres Concilii tertii Bracarenfis can. 1. transcripserunt. Hydroparastatas sive Aquarios & Encratitas, qui sola aqua utuntur in mysteriis; itemque Armenos, qui solum vinum adhibent, semper damnavit Ecclesia. Aquariorum mentionem faciunt Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Irenæus lib. 5. cap. 1. Chrysoströmus hom. 83. in Matth. Augustinus de hæresibus cap. 64. Epiphanius hæres. 46. adversus Encratitas, Theodoretus lib. 1. hæretic. fabul. cap. 20. Aliam Aquariorum speciem Cyprianus impugnat in prædicta epist. 63. eorum nimirum, qui, cum vespere calicem cum vino & aqua, sicut Dominus obtulit, offerrent; in matutinis tamen & antelucanis cœtibus sola aqua utebantur, ne Gentiles ex odore vini eos agnoscerent. Armenos damnavit concilium Trullanum can. 32. eosque egregiè confutat Clemens Galanus Tomo II. secundæ partis Conciliationis Ecclesie Armenæ cum Romana, tract. de nova lege, quæst. 4. §. 3. sect. 2. Hi stultorum more, dum Aquariorum hæresim vitant, in contrarium errorem lapsi sunt, solum vinum offerentes: sive per solum vinum unam dumtaxat in Christo naturam designarint, à Jacobo Syro Eutyrianae blasphemiae propagatore seducti, ut Nicephorus indicavit lib. 18. Ecclesiast. cap. 53. sive aquam detraxerint, ut à Græcis separarentur, ut ex quadam illorum historia colligitur, quam supra commemoravimus Lib. I. Cap. XXIII. Refert Bernard. ep. 69. quorundam opinionem existimantium, aquæ mixtionem necessariam esse ad sacramenti integritatem; sed certa est Theologorū sententia omni aqua validam esse consecrationem, quamvis mittens graviter peccet. Cum verò aqua mysterii causâ apponatur, vel minima gutta sufficiens est: de qua re Antonius Augustinus vir doctissimus in Synodalibus Constitutionibus Tarraconenfis Pii V. ad illius civitatis Archiepiscopum, constitutionem affert, in qua nonnullos arguit, qui non guttam tantummodo aquæ, sicut fieri debet, calici infundebant; sed plus aquæ quam vini, aut tantidem aquæ quam vini, quod omnino corrigi & emendari præcepit. Hunc

autem excessum præcaventem quædam ecclesia, aquam vino miscendam parvo cochleari excipere solebant, & ex eo in calicem fundere, qui mos adhuc permanet in Ecclesiis Carthufianorum. Romano ritu dum aqua miscetur vino, dicitur Oratio, *Deus qui humane substantie dignitatem*, quæ extat in Missa veteri edita ab Illyrico, & in Tilliana apud Menardum. Ecclesie omnes Orientales & plures Latine in eadem mixtione sanguinem & aquam à Christi latere fluxisse commemorant. Sic enim Ambrosiani dicunt, cum aquam infundunt, *De latere Christi exivit sanguis & aqua pariter, in nomine Patris, &c.* Sic Lugduncenses, *De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua tempore passionis: id est mysterium S. Trinitatis. Joannes Evangelista vidit & testimonium perhibuit, & scimus quia verum est testimonium ejus.* Sic Hispanenses, *Ex latere Domini nostri Jesu Christi sanguis & aqua exiisse perhibetur, & ideo pariter commiscemus, ut misericors Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur.* Sic Cistercienses prisco ritu, *Sicut de latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua, sic fiat pariter commixtio vini & aquæ in remissionem peccatorum nostrorum.*

IV. Græci bis aquam miscent, semel frigidam, cum in prothesi sancta dona præparant, pungente sacerdote panem sancta lancea & dicente, *Unus militum lanceâ latens ejus aperuit, statimque exiit sanguis & aqua:* & Diacono intudente vinum & aquam. Deinde calidam post consecrationem, immediatè ante communionem, petente Diacono à sacerdote ut aquam fervidam benedicat, illo vero benedicente his verbis: *Benedictus fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.* Tum Diaconus infundit in calicem dicens, *Fervor fidei plenus Spiritu sancto Amen.* Rationem reddunt hujus secundæ mixtionis scriptores Græci apud Goar in notis ad missam Chrysoströmum num. 167. & apud Arcudium lib. 3. sue concordie cap. 39. tum quia aqua calida è latere Christi exiit, tum quia per eam fervorem S. Spiritus intelligi volunt. Addi potest Theodorus Antidorum Episcopus apud Allatum in Hottingero convicto cap. 9. *Dictum est, ait ille in expositione Missæ, in principio Prothesis quo præparentur modo à Diacono tunc infundente partem pusillam aquæ. Et sic manent quousque sanctificantur & transmutentur Spiritu sancto, & ad tempus exaltationis pretiosi Corporis*



poris Christi & Dei nostri. Tum verò adducitur aqua calida in parvo lebetè, ex eaque infundunt in sacre mense apposita, sive crateres sint sive po:ula: ut sicuti supra naturæ vires tamquam ex vivente utraque tunc processerunt ex sacro latere caliditatis plena; pari modo & aqua perquam maxime calida tempore communionis immixta perfectum typum absolvit eorum qui communicant ex calice, tamquam qui per illam lateri vitam exhibenti coniungi sunt. Hunc autem Græcorum ritum quidam è nostris Theologis ignorantes, vel utramque mixtionem confundunt, ut Eustius vir alioquin doctissimus orat. Theologica 16. vel putant, eos aquam non apponere, ut Guido Carmelita lib. de hæresibus; vel aquæ calidæ infusionem impugnant, ut Umbertus Sylvæ candidæ Episcopus investiva adversus Nicetem Pectoratum. Sed immerito hac de causâ Græci vexantur, hunc enim ritum in suis Liturgiis præscribunt sancti Patres Basilii & Chryostomi, usque perpetuo orientalis Ecclesiæ Sacerdotes doctrina & sanctitate conspicui comprobant. Hunc eundem Græcorum morem convellit S. Thomas 3. p. qu. 83. art. 6. ad 4. dicens: *Nullo modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte.* Quæ doctrina ex ignorantia approbati ritus procedens, Latinis præbuit ansam Græcos impugnandi in concilio Florentino, pro quibus optimè respondit Episcopus Mitylenensis, & Eugenio Papæ plenè satisfecit. Solent etiam Græci ingenti pompa & apparatu è Protheli ad majus altare sacra dona consecranda deferre, quam ceremoniam majorem ingressum vocant. Egredi enim tam celebrans quam ministri è porta minoris aræ per Ecclesiam procedunt, incipientes à parte virorum. Antecedunt lectores cereas faces præferentes, & Diaconi cum thuribus thus adolentes. Sequitur Diaconus sive sacerdos qui panem in disco positum & opertum velamine in capite gestat: & post illum alius, qui calicem item opertum ante pectus defert. Quod si adsint plures sacerdotes concelebantes, hi processionem comitantur, vacuos calices ornatus gratia, & alia altaris instrumenta sive Sanctorum reliquiâs portantes. Cantores interim gravi cantu Cherubicum hymnum modulantur, & Episcopus omnibus benedicit. Populus verò procumbens, ipsa nuda elementa panis & vini nondum consecrata, ac si jam essent in corpus & sanguinem Christi

transmutata, venerabundus adorat. Jacobus Goar ad Liturgiam Chryostomi numero 110. hanc adorationem sustineri posse tamquam Orthodoxam existimat, utpotè exuberans devotionis argumentum, quo consecratio prævenitur: & cultum exhiberi ait vel signo crucis in pane impresso; vel Christo ipsi, qui paulò post sub illis speciebus præfens aderit; fatetur tamen plebem erudiendam & admonendam, ne fortè Christum jam ibi præsentem esse opinetur. At vir doctissimus natione Græcus Petrus Arcudius lib. 3. de Eucharistia à cap. 16. ad 25. hanc adorationem inter Græciæ eterodoxæ errores commemorat, rudemque populum errandi occasionem hausisse docet ex pompa qua dona circumferuntur: vel ex eo quod non distinguat inter ingressum, qui fit in Missâ Præsanctificatorum, in qua verum Christi corpus, & ingressum aliorum Missarum in quibus panis nondum consecratus circumfertur. Scripsit librum pro hac adoratione Gabriel Archiepiscopus Philadelphicæ: cui doctè & diffusè respondit Arcudius.

V. Sed regredior ad Sacerdotem Latinum, qui calicem aqua mixtum Deo offert dicens: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, &c.* cumque in panis oblatione singulariter dixerit *Offero*, hic pluraliter ait *Offerimus*, quia nimirum Romano ritu eandem orationem simul cum Sacerdote in Missâ solemni recitat Diaconus, qui antea vinum calici infudit, & olim sanguinem populo ministrabat. Neque obstat, quod privatae Missæ sine Diacono celebrantur, & nihilominus Sacerdos dicit *Offerimus*, quia formulæ pro solemni Missâ institutæ in privata non mutantur. Hujus verbi *Offerimus* meminit Augustinus libro 20. adv. Faustum Manichæum cap. 21. dicens: *Quis enim assistit in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit.* Orat item Sacerdos in ipsa oblatione, ut calix oblati in conspectu divine majestatis cum odore suavitatis ascendat: cum illo scilicet mystico odore, qui ex ipso calice, cum consecratus fuerit, suavissimè expirat. Post hanc orationem collocat Sacerdos calicem in altari, hostia ante calicem constituta. At in hoc Græci differunt à Latinis, non enim in longum eoram se, sed in transversum, panem & vinum ordinant; qui mos etiam à Latinis diu ob-



fervatus est. Nam in Ordine Romano in postrema Missæ descriptione sic legimus: Archidiaconus suscipit oblatas Pontificis de oblationario & dat Pontifici: quas dum posuerit Pontifex in altari, levat calicem Archidiaconus de manu subdiaconi regionarii, & ponit eum super altare juxta oblatam Pontificis à dexteris. Et Micrologus cap. 10. Ita, inquit, juxta Romanum Ordinem in altari componenda sunt, ut oblatam in corporali posita, calix ad dextram, latus Oblatæ ponatur, quasi sanguinem Dominici suscipiturus, quem de latere Dominico profuisse credimus. His autem recentior B. Joannes de Parma, septimus Ordinis Minorum Minister Generalis, qui obiit ann. 1289. in epist. ad Fratres Provinciæ Thuscæ, quam Lucas Wadingus refert in Annalibus, præcepit illis, ut juxta ritum Romanæ Ecclesiæ, à quo fortassis aliqui tunc deviare incipiebant, hostiam ad sinistram Sacerdotis, calicem ad dextram ex transverso altaris componerent. Postea hic ordo mutatus est, nam calix in medio altaris, & inter calicem & sacerdotem hostia collocatur. Sequitur deprecatio *In spiritu humilitatis* ex verbis Azariæ apud Danielelem, quæ in multis Missalibus M. SS. reperitur: itemque alia, *Veni sanctificator*, quæ communior & antiquior est, & dirigitur, ut plerique explicant, ad Spiritum sanctum, ut veniat & præparatum sacrificium benedicat. Invocare autem Spiritum sanctum ad oblationem sanctificandum mos antiquissimus fuit Ecclesiæ Africanæ, ut ex Fulgentio constat, qui lib. 2. ad Monimum à cap. 6. & deinceps hanc sibi propositam quæstionem solvit, cur sancti Spiritus tantum missio postuletur ad consecrandum sacrificium corporis & sanguinis Domini; cum ipsum sacrificium omni Trinitati offeratur. Ad eandem postulationem alludit Optatus Milevitanus l. 6. reprehendens Donatistas, qui altaria fregerant: *In quibus, inquit, vota populi & membra Christi portata sunt: quo postulatus descendit Spiritus sanctus.* His peractis adoletur incensum, quod à Leone I. institutum ex quibusdam Chronicis scribit Radulfus Prop. 23. Sed illis Chronicis nulla fides adhibenda est, nam si sermo sit de quocumque usu thuris in Missa, jam supra ostendimus, ab initio Ecclesiæ Apostolorum decreto thus adhibitum in solemnibus sacrificiis. Si verò loquamur de thurificatione oblatorum in altari, testis est Amalarius in præfatione librorum de ecclesiasticis officiis, Romanos post Evangelium incensum olim super altare non obtulisse. Et Mi-

crologus c. 9. ait, *Romanus ordo præcipit, ut incensum semper præcedat Evangelium, cum ad altare sive in ambonem portatur: non autem concedit ut oblatio in altari thurificetur.* Et Amalario quidem testi oculato credendum est, licet ordo Romanus, ut nunc extat, in prima descriptione Missæ post oblationem dicat incensum poni super altare, nam hæc descriptio recentior est, cum symboli post Evangelium mentionem faciat, quod Romanæ post annum millesimum cantari cepit. Tertia verò & quarta, quæ verè Romanæ sunt, Amalario & Micrologo consentiunt, tunc tantum incensi usum præscribentes, cum legendum est Evangelium. Porrò fideles fumum incensi manu ad os trahere & naribus applicare solebant, ut ordo Romanus ait in præcitata prima descriptione. Thure etiam utebantur in monasteriis, in privatis ædibus tam Religiosi quam Laici ante privatas orationes. Sed istæ & aliæ thurificationes ad hunc tractatum non pertinent.

VI. Postquam Sacerdos thus adolevit, lavat manus in signum puritatis animæ, ut ait Clemens libro 8. *constit. cap. 11.* Dionysius quoque cap. 3. *Ecclesiast. Hierarch.* non solum Pontificem sacris operantem, sed omnes etiam Presbyteros manus abluisse docet, cujus lotionis prolixa ibidem Theoria legi potest. Adstipulatur Cyrillus Hierosolymitanus initio catechesis quinta mystagoga dicens, *Vidisti Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis qui circum altare Dei stabant Presbyteris.* Communis est omni nationi hic ritus manus abluendi post oblationem, Græcis, Latinis, Maronitis, & aliis orientalibus. Sed singulare est, quod scribit in expositione Missæ Nicolaus de Plove presbyter Posnoniensis, hanc abluitionem in Ecclesia sua dilatam usque ad finem præfationis immediatè ante canonem, & alios quidem recitasse tunc psalmum, *Lavabo inter Innocentes manus meas*: ab aliis verò convenientius omissum propter sequentis canonis continuationem. Post lotionem recitat Sacerdos aliam orationem incipientem *suscipe sancta Trinitas*, qua rursùm dona sacrandæ offert Deo in memoriam Passionis Christi, & in honorem B. Virginis, S. Joannis Baptistæ, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, & istorum, quorum videlicet Reliquiæ in eo altari condite sunt. Franciscus Archiepiscopus Rothomagensis in collationibus de Missa parte 2. art. 3. ait quoddam pro istorum, legere justorum, quam lectio-



nem vulgatæ præfert, sed perperam, nam illa vox *justorum* non benè coheret, & superflua foret, cum statim sequatur & *omnium sanctorum*. quam antiqua sit hæc oratio, non liquet. Extat paucis mutatis in codice Tiliano apud Menardum, & in Missâ Illyrici quotidiana & generalis nuncupatur; fitque in ea expressa mentio sanctorum, quorum ibi Reliquiæ habentur. Tum memor sacerdos fragilitatis suæ, cum sit & ipse circumdatus infirmitate, orationum suffragia ab astantibus postulat dicens: *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*. In codice Tiliano hæc postulatio sic exprimitur; *Orate pro me misero peccatore ad Dominum nostrum Jesum Christum, ut meum ac vestrum sacrificium sit acceptabile in conspectu divine pietatis*. In Missâ Illyrici: *Orate pro me peccatore fratres & sorores, ut meum & vestrum sacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conspectum suum*. Aliæ Ecclesiæ apud Alensem P. 4. summæ tract. de off. Missæ dicunt: *Obsecro vos fratres, orate pro me, & ego pro vobis, ut meum pariterque vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*. Respondent ministri vel circumstantes ex Missali Romano, *suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ*. Ab aliis præscribitur hæc oratio, *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, suscipiatque de manibus tuis sacrificium istud, orationes tuæ ascendant in memoriam apud Deum, pro nostra & totius populi salute*. In Codice Tiliano, *Orent pro te omnes sancti Dei. Memor sit Dominus sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Exaudiat te Dominus pro nobis orantem. Misereatur tui omnipotens Deus & dimittat tibi omnia peccata tua*. Eadem oratio additis nonnullis, habetur in Missâ Illyrici. Alii apud Alensem sic respondent: *Spiritus sanctus superveniat in te, & virtus Altissimi obumbrat tibi*. Græci quoque sacerdotes pro se in sua Liturgia populi orationes poscunt, ut notat Goar ad Missam Chrysostomi num. 113. Quod verò fideles circumstantes à sacerdote fratres appellantur, id ex veteri consuetudine simul cum religione exorta ad nos profluxit. Nam Christiani fratres se invicem mutuæ charitatis causa nuncupabant; sed quia gentiles sacris nominibus fratris & sororis ad libidines tegendas abutebantur, ut ex Petronio & Martiali, aliisque constat; ideo Cæcilius apud Minutium Felicem hanc fratris & sororis nomenclaturam Christiana hanc exprobat, inde arguens supra & libidines

ab illis perpetrari. Cui respondens Octavius ait, *sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei coheredes*. Rectè Arnobius in Psal. 133. *Unde estis omnes fratres? De uno patre Christo, de una matre Ecclesia*. Denique omnia ad offertorium pertinentia secretis orationibus concluduntur, quæ super oblata recitantur, ut ea Deus ad gloriam suam, & ad salutem nostram acceptare dignetur. Ad earum originem & antiquitatem spectant quæcumque de Collectis dicta sunt supra. His utuntur omnes Ecclesiæ Latini ritus, & in fine ipsarum extollens vocem Sacerdos intonat, *Per omnia secula seculorum*. Græci item aliquot Liturgiæ orationes secreto legunt, quarum postremam clausulam voce elata pronuntiant, ut ab omnibus audiatur.

## CAPUT X.

*Præfatio Missæ, ejusque ratio, nomina, & institutio. Usus ipsius Antiquissimus in omnibus Ecclesiis, sed formula diversa. Tot erant olim Præfationes, quot Missæ. Postea in Romana Ecclesia redactæ ad novem. Tributa perperam hæc restrictio Pelagio Papa. Addita una communis, & altera de B. Virgine. Clauditur Præfatio hymno Seraphico. Ejus ritus & origo. Duplex Trisagion. Quot sint hymni liturgici.*

**I.** **L** Ecis secreto orationibus super oblata, incipit Sacerdos Præfationem præmissâ populi salutatione. Est autem Præfatio veluti proloquium astantes excitans & disponens ad præcipuam actionem, in qua propriè sacrificium consistit. In verustissimo codice Missarum Serenissimæ Christianæ Reginae Sueciæ sæpius laudato, Præfationi præfigitur hic titulus, *Immolatio*, & interdum *Contestatio Missæ*, quia in ea Sacerdos auditâ voce populi, vel Cleri, sive Ministri afferentis dignum & justum esse Deo gratias agere, contestatur veram esse hanc populi assertionem: tum solemnem gratiarum actione se & fideles disponit ad tremenda mysteria, quibus Christi corpus immolatur. In Missali Mozarabico inscribitur *Intatio*, quia, ni fallor, ex verbis fidelium infert Sacerdos verè dignum & justum esse Deo omnipotenti gratias agere, ipsum



ipsumque laudare & prædicare. De primo Præfationum auctore hæc scribit Walfridus Strabo c. 22. Præfationem actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac deinde humane vocis supplicatio cælestium virtutum laudibus admitti deposcitur, quis primus ordinaverit, nobis ignotum est. Alii earum institutionem Gelasio I. tribuunt, ea ducti ratione, quod in libro Pontificali sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone composuisse dicatur. Sed quamvis concedamus, plures à Gelasio, plures item ab Ambrosio & à Gregorio Magno, aliisque Patribus editas fuisse: certum nihilominus est, in ipsis Eccl. primordiis jam usum Præfationum extitisse, earumque institutionem vel Apostolis vel Apostolicis viris tribuendam, quod facile probari potest: nam integra, nostræque simillima legitur in Jac. Apostoli Liturgia, ejusque mentio reperitur apud sanctos Patres Gelasio & Ambrosio antiquiores. Et ut incipiam à Cypriano, illi etiam ex nomine nota fuit, ut ex libro de oratione manifestum est. Quando stamus, inquit, ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda, ut, dum respondet plebs Habemus ad Dominum, admonetur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Hanc Cypriani sententiam recitat & laudat Eligius Noviomensis Episcopus hom. 11. Cypriano autem addo Augustinum, cujus plura afferri possunt hac de re testimonia. Epist. 57. ad Dardanum, Nocti in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro. Et ad Honoratum epist. 120. cap. 19. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in sacrificio novi Testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus invenies. Itemque ad Probam epist. 156. Anima Christiama non frustra audit Sursum cor, nec frustra respondet se habere ad Dominum. Idem de vera Religione cap. 3. Quotidie per universum orbem humanum genus una penè voce respondet, sursum corda se habere ad Dominum. De dono perseverantiæ cap. 13. Quod ergo in sacramentum fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum & justum esse respondent. De bono viduitatis cap. 16. Inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso

adjuvante id valeamus, & ideo sequitur, ut de hoc tanto bono Dominio Deo gratias agamus; quia hoc dignum, hoc justum est recordari. Eadem ferè ait in Psal. 10. & 85. De spiritu & littera cap. 11. & serm. 44. & 54. de tempore. Concilium Milevitanum, cui interfuit ipse Augustinus can. 12. Placuit ut preces, vel orationes, seu Missæ, sive Præfationes, quæ probatæ fuerint in concilio, ab omnibus celebrentur. His suffragatur Cæsarius Arelatensis hom. 12. Consonant etiam Patres Græci. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quinta myrtagogica diffusè & eleganter, Clamat, inquit, Sacerdos Sursum corda. Verè enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, & non deorsum ad terram terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit Sacerdos, curas scilicet vitæ hujus omnes, & domesticas sollicitudines illà horâ relinquere, & cor in caelo habere apud Deum generis humani amatorem: Vos deinde respondetis. Habemus ad Dominum, assentes ei profrendo. Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat, Habemus ad Dominum, mente verò circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde sacerdos, Gratias agamus Domino. Certè gratias agere debemus, quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocavit. Ad hæc vos subjicitis; Dignum & justum est. Cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profectò & justum opus facimus. Et paucis interjectis, quibus totius Præfationis seriem texit, Angelosque commemorat apud Isaiam canentes Sanctus, Sanctus, Sanctus; Dominus Deus Sabaoth; quem hymnum nos cum illis modulamur, hujus modulationis rationem reddit dicens; Propterea enim traditam nobis hanc seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa caelesti hymnodia cum supramundana militia communicemus. Chrysostomus hom. 18. in 2. ad Cor. In tremendis mysteriis, ait, ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit. Neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id justè ac dignè fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur. Et hom. de Euchar. Quid facis o homo? Non promissisti sacerdoti, qui dixit, Sursum mentem & corda, & dixisti, Habemus ad Dominum? Anastasius Synaita serm. de sacra synaxi: Hæc testatur nobis Sacerdos dicens: Sursum corda. Deinde quid nos ad ista respondemus? Habemus ad Dominum. Quid an, quid facis? Mens



ma ad corruptibilia & temporalia temere attolli-  
tur, & iudicis, Habeo ad Dominum? Occurrunt  
passim aliorum testimonia, sed in re clarissima  
superflua sunt.

II. Præfationes autem ubique receptas atque  
usitatas fuisse, ex Liturgiis omnium Ecclesiarum  
& nationum palam fit. Diversæ quidem in di-  
versis Ecclesiis illarum formulæ fuerunt, omnes  
tamen idem argumentum prosequuntur. Nam  
primò sacerdos corda sursum attolli jubet, quæ  
verba ex Alcuino hunc sensum habent. „ Jam  
„ Apostolicis & Evangelicis præceptis sufficien-  
„ ter instructi & confirmati, corda vestra à terre-  
„ nis curis sursum ad Dominum dirigite, ut sa-  
„ crificium, quod Deo offerendum mihi obtu-  
„ listis, dignè offerre valeam. Ait populus se cor-  
habere ad Dominum & sacerdos iterum hortat-  
tur ad gratias agendas; quod populus dignum &  
justum esse profitetur. Mox ille assumens fide-  
lium vocem vertit se ad Deum Patrem omni-  
potentem, ipsique laudem concinit & gratias agit  
magnificis verbis. Demum Angelicis immixtus  
choris tam ipse quam omnis populus unanimi  
concentu & quasi uno ore sacrum Trifigium mo-  
dulantur. Quæ omnia Jacobus Apostolus in sua  
Liturgia his verbis exprimit. „ Verè dignum &  
„ justum est, decens & debitum, ut te laudemus,  
„ te hymnis celebremus, tibi gratias agamus  
„ omnis creaturæ visibilis & invisibilis opifici,  
„ thesauro æternorum bonorum, fonti vitæ &  
„ immortalitatis, omnium Deo ac Domino,  
„ quem cæli & cæli cælorum laudibus cele-  
„ brant, ac omnis virtus eorum, sol & luna,  
„ universusque astrorum chorus, terra, mare, &  
„ omnia quæ in eis sunt, Hierusalem cælestis  
„ congregatio, Ecclesia Primogenitorum de-  
„ scriptorum in cælis, spiritus Justorum & Pro-  
„ phetarum, animæ Martyrum, Apostolorum,  
„ Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes,  
„ Principatus, Potestates, ac Virtutes tremen-  
„ dæ, Cherubimque multos oculos habentia, &  
„ Seraphim sex alis prædita, quæ duabus quidem  
„ alis operiunt facies suas, duabus verò pedes,  
„ & reliquis duabus volantia clamant alterum ad  
„ alterum incessabili voce, perpetuis laudibus  
„ hymnum triumphalem tuæ magnificæ gloriæ  
„ clara voce canentia; Sanctus, Sanctus, San-  
„ ctus, &c. Hæc est Præfatio Jacobi, quam ex-  
pressit supra relatus Cyrillus ejus in throno Hie-  
rosolymitano successor; nec multum ab eo di-  
screpat Basilius in sua Liturgia. Chrysostomus  
verò aliis verbis, eadem sententia ait. „ Dignum

„ & justum est te celebrare, te benedicere, te  
„ laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni  
„ loco dominationis tuæ. Tu enim es Deus in-  
„ effabilis, qui nec mente percipi, videri, nec  
„ comprehendi potes. Qui semper es, eodem-  
„ que & simili modo existis tu, & Unigenitus Fi-  
„ lius tuus, & Spiritus tuus sanctus. Tu è nihilo  
„ ad esse nos eduxisti; & cum lapsi essemus, nos  
„ rursus erexisti, & omnia facere non destitisti,  
„ donec nos in cælum deduceres, & futurum  
„ tuum regnum largireris. Pro his omnibus agi-  
„ mus tibi gratias, & Unigenito Filio tuo, &  
„ Spiritui sancto, pro omnibus quæ nescimus &  
„ scimus, manifestis & occultis tuis beneficiis.  
„ Agimus tibi gratias etiam pro hoc sacro mini-  
„ sterio, quod ex manibus nostris suscipere di-  
„ gnatus es: etsi tibi adsistant millia Archange-  
„ lorum, & myriades Angelorum, Cherubim &  
„ Seraphim sex alas & multos oculos habentes,  
„ sublimes & alti, qui triumphalem hymnum ca-  
„ nunt, vociferantur & dicunt: Sanctus, Sanctus,  
„ Sanctus, &c. Eodem ferè tenore procedunt  
reliquæ orientalium gentium Præfationes, quæ  
prolixi operis foret singillatim referre. Diffusissi-  
ma autem illa est, quæ tribuitur Clementi *lib. 8.*  
*Constit. Apost. cap. 16.* In ea siquidem Dei perfe-  
ctiones & attributa, ac æterna Verbi generatio,  
tum productio omnium creaturarum, earumque  
dispositio, atque in eis regendis admirabilis Dei  
sapientia & providentia, & erga homines benigni-  
tas eleganti sermone recensentur. Demum con-  
cluditur more usitato Angelorum commemora-  
tione canentium & dicentium, *Sanctus, San-  
ctus, &c.* In Missa Maronitarum Sacerdos di-  
cit, *Sursum sint pendentes intellectus nostri, men-  
tes nostræ, & corda omnium nostrum.* Respondet  
populus, *Sunt ad te Domine.* Sacerdos, *Confiteamur Domino in timore, & adoremus in tremore.*  
Populus, *Dignum & justum est.* Sacerdos, *Corde,  
intellectu, & lingua confiteamur tibi Domine Pater  
& Fili & Spiritus sancte, qui es unus Deus verus.*  
*In congregationibus invisibilibus & ordinibus innum-  
merabilibus commisceantur seraphicæ voces nostræ.*  
Populus tuus fidelis Domine ter laudant, excla-  
mant, & dicunt ter: *Sanctus, Sanctus, San-  
ctus, &c.* Porro Græci & alix in Oriente natio-  
nes unicam habent Præfationem, quæ in singu-  
lis Missis repetitur; Latinis variæ sunt. Ambrosia-  
ni unam communem Romanæ similem habent;  
at in Missis propriis sive de festo, sive de Domi-  
nica, aut de feria, propriam item canunt Præfa-  
tionem. Simili modo Mozarabes propriis semper



uruntur, in quibus vel mysteria ejus festivitatis, quae tunc celebratur, vel Sancti de quo est Missa laudes & encomia stylo sublimi, variisque sententiis exornato decantantur. In libro Sacramentorum S. Gregorii propriae item extant in singulis Missis ab Ambrosianis diversae, quarum usus diu permansit, ut ex antiquis codicibus M. SS. constat. Extant aliquot libelli Praefationum in Bibliotheca Vaticana: & Cornelius Schultingius 10. 2. Bibliothecae Ecclesiasticae *parte 2. cap. 12.* laudat librum editum Coloniae ab Henrico Gravio, in quo sunt ducentae quadraginta Praefationes propriae. Apud Ennodium Ticinensem una etiam legitur dictione sacra quinta pro Missa, in qua Episcopus consecratur.

III. Baronius 10. 7. *Annalium an. 590.* & Binius 10. 4. *conciliorum*, alique passim citant & referunt Pelagii II. Epistolam ad Episcopos Germaniae & Galliae, qui ipsum rogaverant, ut ordinem Praefationum eis mitteret, quem S. Romana Ecclesia tunc habebat, quibus sic respondet: „De vestra voluntate & studio bono multum gavisi sumus, & sacrum Ordinem Romanorum, sacraque constituta nostrorum Antecessorum solerter relegentes, invenimus has novem praefationes in sacro Catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retrò veritas in Romana Ecclesia haecenus servavit. Unam in albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione, sextam de Apostolis, septimam de S. Trinitate, octavam de Cruce, novam de jejunio & Quadragesima tantummodo dicendam. Has Praefationes tenet & custodit S. R. E. Has tenendas mandamus. Hoc ipsum decretum in antiquis editionibus Gratiani de *consecr. dist. 1. cap. Invenimus*, Gelasio adscribitur. Sed hanc Epistolam dum attentius considero, hac suspitione vehementer percussus sum, ne alterius fortè Pontificis recentioris sit, & Pelagio per errorem tributa. Si enim aetate Pelagii illis tantum Praefationibus Romana Ecclesia tanquam dudum in ea receptis & approbatis utebatur, quomodo Gregorius ejus immediatus successor, sacrarumque rituum tenacissimus custos, alias novas instituit? Auget suspitionem Joannes Diaconus, qui, cum res à Gregorio gestas in vita ipsius minutissimè prosequatur, nullam tamen de Praefationibus ab eo contra morem diu receptum institutis mentionem facit. Ipse item Gregorius in Epistola saepius relata ad Joannem Syracusanum, in qua de additis vel

immutatis in ritibus sacrificii, propter quae reprehensus fuerat, rationem reddit, de Praefationibus silet: sicut & de Epistola Pelagii silens scriptores illius & aliquot sequentium saeculorum. Quod si mea suspicio aequo lectori non placeat, hoc saltem negare non poterit, usum Romanae Ecclesiae, de quo Pelagius testatur, post ejus decessum antiquatum fuisse, ejusque decretum de novem Praefationibus nullibi receptum, nec executioni mandatum, nisi saeculo X. vel XI. Evidens enim est in libris antiquis sacramentorum, qui Romanae Ecclesiae titulum praeseferunt, plures reperiri Praefationes, vixque ulla Missa est, cui propria & peculiaris non assignetur. Accedit testimonium Guimundi ex Monacho S. Benedicti Episcopi Aversani, qui obiisse dicitur anno MLXXX. Romanis ritibus jam ubique receptis. Nam *l. 1. de Eucharistia adversus Berengarium*, „Ne quis, inquit, existimet me, hanc sententiam ex meo sensu commentatum, Praefationem istam, quae per totum penè orbem Latinum inter Epiphaniam & Septuagesimam in quadam die Dominica habetur, hic supposui haec continentem. Aeternae Deus: Et tibi hanc immolationis hostiam offerre, quae est salutifera, & ineffabile divinae gratiae sacramentum: quae offertur à plurimis, & unum corpus Christi sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis. Propterea ipsi, qui suminus communionem hujus sancti panis & calicis, unum Christi corpus efficiunt. Eiusdem Praefationis auctoritate utitur Algerus Monachus Cluniacensis, qui anno MCXXX. floruit *lib. 1. de sacram. Corp. & sanguinis Domini cap. 5.* Extat autem in libro sacrament. S. Gregorii Dominica V. post Epiphaniam, & in hodierno Missali Ambrosiano VI. quamvis Algerus eam ex Ambrosio Dominica V. citet. Quo verò tempore tot Praefationes desierint, non liquet; nisi quod in Missalibus scriptis post annum MCC. illae novem dumtaxat reperiuntur à Pelagio enumeratae: quibus duae additae sunt, una communis antiquissima, quae Gelasii sive Gregorii creditur esse, altera de B. Virgine ab Urbano II. instituta. Et haec undecim sunt, quibus omnes Ecclesiae ritui Romano adhaerentes hodie utuntur.

IV. Sequitur hymnus, quem Epinicion, sive triumphalem vocant Graeci. Hunc in omnibus Liturgiis Ecclesia militans à triumphante edocta Deo exercituum modulatur, cui, ut loquitur



Tertullianus lib. de oratione, illa Angelorum circumstantia non cessat dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Vidit Isaïas cap. 6. Dominum sedentem super solium excelsum, & audivit seraphicos Spiritus alterna modulatione psallentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria ejus. Et Joannes in Apocalypsi cap. 4. quatuor mystica animalia plena oculis describit, requiem non habentia die ac nocte & dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est. Præclare Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant & dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Non semel dicunt, ne singularitatem credas: non bis dicunt, ne Spiritum excludas: non sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes: sed ver repetunt & idem dicunt, ut etiam in hymno distinctionem Trinitatis, & divinitatis intelligas unitatem. Hæc cum dicunt, Deum prædicant. Additum hunc Hymnum sacrificio Missæ à Sixto I. plerique scribunt, sed liber Pontificalis hoc solum à Sixto constitutum ait, ut sacerdotè ipsum incipiente, etiam populus eundem cantaret. Quia verò progressu temporis quidam abusus irrepsit, ut non nisi in solemnibus Missis diceretur, eo tollendo hic canon à Concilio Vasensi anno 529. editus est; Ut in omnibus Missis sive matutinis, sive Quadragesimalibus, vel que in defunctorum commemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine quo ad Missas publicas dici debeat: quia tam dulcis & desiderabilis vox etiam si diu noctuque possit dici, fastidium non potest generare. Altera pars hymni, Benedictus qui venit in nomine Domini. O sanna in excelsis, Christo Domino à turbis in solemnium Jerosolymæ ingressu ante passionem decantata fuit. Antiqua Ritualia statuunt ut Trisagion psallentes, inclinent se chorus contra chorus, & incipientes, Pleni sunt cæli, erigant se. Idem præcipit Lanfrancus in suis statutis cap. 5. nisi, inquit, versus interponantur. Solebant enim alicubi eo tempore versus quidam interponi, licentia, quam, ut alibi notatum est, sequioris ævi Religiosi sibi inconsulto usurparant. In vetusto quodam Missali sequentes rhythmos interpositos reperi pro festis Domini.

*Cælestis præconium  
Soner vox fidelium  
Ad Dei magnalia. Sanctus.  
Virgo parit Filium*

*Castitatis liliam  
Dei plena gratia. Sanctus,  
Cujus natalitia  
Stella prodit prævia,  
Quem paterna proprium  
Vox testatur Filium  
Ad Jordanis flumina. Sanctus.  
Cujus Sancta Passio,  
Mors, & Resurrectio  
Mundi lavit crimina. Pleni sunt &c.  
Jam in Patris dextera  
Sedens super aethera  
Regnat super omnia,  
Cum paterno Numine,  
Et cum sancto Flammine. O sanna in excelsis.  
Ipsi laus & gloria, in excelsis.*

Alia similis interpolatio rhythmica extrat in Missa Thomæ Aquinatis adscripta de sanctissimo Sacramento.

*Sanctus. Sanctum divinum mysterium semper declaratur,  
Et mens infidelium tumens excacatur.  
Firma spes credentium fide roboratur.  
Sanctus. Fides est summopere credere in Deum,  
Panem sanctum edere, & tractare eum,  
Jubens dicit: Sumite, Hoc est corpus meum.  
Sanctus. Panis prius coaritur, sed dum consecratur,  
Caro Christi fit mutatur, quomodo convertitur,  
Deus operatur. Dominus Deus Sabaoth.  
De vino similiter fit benedictum,  
Et tunc est veraciter sanguis Christi dictum,  
Credamus communiter verum & non fictum.*

Pleni sunt cæli & terra gloria tua, O sanna in excelsis.

*Nobis celebrantibus istud sacramentum,  
Et cunctis fidelibus fiat nutrimentum,  
Judais negantibus sit in detrimentum,  
Benedictus qui venit, &c.*

V. Sunt autem hoc loco duo quadam advertenda. Unum quod duplex est Trisagion. Istud nimirum de quo nunc agimus omnibus Ecclesiis commune: & illud, quod Græci quotidie, Latini semel in anno Græce simul & Latine concinunt in magna Parasceve, nempe Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis, cujus originem Felix III. Pontifex narrat in Epistola ad Petrum Chaphæum. Cum enim Constantinopolis terræ motu quateretur, & populus in campo oraret cum Proclo Patriarcha, Puer parvulus spectante multitudine in cælum raptus



raptus est, & post horam in terram demissus narravit se hunc hymnum à cœlestibus spiritibus cantari audivisse, sibi que præceptum impositum, ut populo denuntiaret, Deum illi propitium futurum, si eundem hymnum devotè cantarent; atque ita eo decantato ab imminente clade liberati sunt. Addidit postea huic hymno nequissimus vir Petrus Cnapeus Patriarcha Antiochenus hanc clausulam, *Qui crucifixus es pro nobis misere nostri*, eâ dolosè tegens hæresim Eutyche-tis, qua infectus erat. Facti seriem, hujusque additamenti condemnationem, & quicquid per-tinet ad hoc Trisagion, congestit in notis ad can. 81. Concilii Trullani Christianus Lu-pus.

Alterum notandum est, quatuor esse Litur-gicos hymnos, ut ait Goar in notis ad Missam Chrysostomi, quorum primus est Angelicus *Gloria in excelsis Deo*, quem nato Domino An-geli cecinerunt. Secundus Cherubicus, quem Græci Cherubim voces æmulantes ante magnum introitum cantant dicentes „Qui Cherubim my-„sicè representamus, & vivicanti Trinitati ter „sanctum hymnum canimus, omnem sæcula-„rem deponamus sollicitudinem, tanquam Re-„gem omnium suscepturi, Angelicis invisibili-„ter stipatum agminibus. Alleluja. Hujus insti-tutionem ad Justini tempora revocat Cedrenus. Tertius Trisagion, de quo supra, nempe *Sanctus Deus, Sanctus fortis*, &c. Quartus Epinicion, Deo tanquam Victori & omnium triumphatori ab omnibus post Præfationem decantatum. Ob-servo nihilominus, plures ex Græcis scriptoribus secundum à tertio non distinguere, & tam illis quam ultimo Cherubici & Seraphici nomen pas-sim tribuere.

## CAPUT XI.

*Transitur ad Canonem. Ipsum interpolare illicitum. Varia ejus nomina. Origo & auctores investigantur. Agitur de prima Canonis oratione. In ea mentio Papa, Episcopi, & Regis fit. Orat sacerdos generaliter pro cunctis fidelibus. Tum specialiter pro offerentibus. De nominum recitatione.*

**H**Actenus sacerdos seipsum & astantes iis omnibus, quæ præcesserunt, ad tre-

menda mysteria in sacra Synaxi perficienda, tanquam præviis initiationibus disposuit & præpara-vit: jam propius ad ea accedit, & elevatis in cœlum oculis, sursumque expansis manibus, quasi ingressus in Sancta Sanctorum, secretò cum Deo loquitur, ut rei divinæ hac silentii gravitate ma-jor reverentia concilietur. Multa verò à sacer-dotibus secretò dici usus antiquissimus est, ut ex Jacobi & aliorum Liturgiis, & ex can. 19. Concilii Laodicensi evidenter ostenditur. In ve-tustissimis Sacramentorum codicibus inter Præ-fationem & Canonem Christi crucifixi imago pi-cta conspicitur, qui ritus etiam hodie servatur, ut ejus aspectus in mentem celebrantis revocet cru-entum illud sacrificium, quod in cruce semel ob-latum quotidie in Ecclesia verè & realiter, sed actione incruenta renovatur. Ipsi imagini osculuna figendum à sacerdote, priusquam canonem inci-piat, scribit Nicolaus de Plove in expositione Missæ, sed ex more singulari suæ Ecclesiæ Pos-nonien-sis. Addit Petrus ab Opmeer in assertio-ne Missæ pag. 362. hanc orationem post hym-num triumphalem Canonis præmittendam. „Domine Jesu Christe fili Dei vivi, adjuva in-„firmitatem meam, & conforta me nunc in hac „hora: quia imperfectum meum vident oculi „tui. Adoramus te Domine Jesu Christe & be-„nedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam „redemisti mundum. Qui passus es pro nobis, mi-„serere nostri. At hujusmodi interpositiones, ut sæpe dictum est, inconsulta quorundam de-votione introductas nunquam approbavit Eccle-sia. Ut enim rectè ait Micrologus cap. 12. „Nimis temerarium videtur, ut nos aliqua Ca-„noni ad nostrum libitum adjiciamus, nisi quæ „à sanctis Patribus adjecta vel adjicienda esse co-„gnovimus; præcipuè cum inter ipsos sanctos „Patres nulli aliquid adjecisse legantur, nisi qui „Apostolica auctoritate præditi hoc facere po-„tuerunt. Optimum ergo videtur, ut in hac „causa terminos patrum nostrorum non exceda-„mus, nec nos Apostolicæ auctoritatis reos effi-„ciamus, si, quod soli Apostolicæ auctoritati „competit, Canonem nostris interpositionibus „augmentare præsumamus. Idèd expunctæ sunt ab ipso Canone diversæ orationculæ, quæ in antiquis Missalibus M. SS. variis in locis inter-jectæ leguntur, quia tametsi ex se bonæ sint, ei ta-men actioni non conveniunt; & hæc semper sum-morum Pontificum cura fuit, ne quid irreperet in-ordinatum, superfluum, aut superstitiosum. Inci-pit ab oratione *Te igitur clementissime Pater*, usque ad



ad orationem Dominicam, quæ absoluto Canone alta voce recitatur. Nomen canonis tempore Gregorii Magni in usu erat, nam *lib. 7. epist. 64.* referens quorundam adversus se murmurationes, hoc inter cætera querelarum caput enumerat, quod orationem Dominicam mox post canonem dici statuisset. Et *lib. 11. epist. 59.* narrat Januarium Episcopum Calaritanum tempore, quo sacrificium celebrabat, tantam passum frequenter angustiam, ut vix post longa intervalla ad locum Canonis, quem reliquerat, redire valeret. Canon autem regula est, qua voce usa est Ecclesia, ut indicaret hanc esse regulam fixam & stabilem, qua novi Testamenti sacrificium celebrandum est. Idem Gregorius *eadem epist. 64. lib. 7.* precem vocat, eo loquendi genere, quo nonnunquam Patres utuntur, dum verba consecrationis preces nuncupant, quia sunt verba sacra: neque enim totus Canon ex precibus contextus est. Haymo Halberstatensis explicans *cap. 2. epist. 1. ad Timoth.* *Orationes, inquit, sunt, quas sündit Sacerdos in consecratione Eucharistiae.* In Concilio Eboracensi tempore Celestini III. Secretum Missæ nuncupatur his verbis: „ Quia secretum Missæ frequenter invenitur, aut scriptorum falsitate, aut „ librorum vetustate corruptum, ita ut distinctè „ legi non possit, Archidiaconorum sollicitudo „ provideat, ut in singulis Ecclesiis ad verum & „ probatum exemplar Canon Missæ cum omni „ diligentia corrigatur. Ab aliis Actio dicitur, quia in eo, ut ait Walfridus, dominica sacramenta conficiuntur. Atque hinc intelligitur, qua de causa, cum aliquid in ipso canone in oratione quæ incipit *Communicantes* addendum est, quod in Christi Domini festivitatis fieri solet, titulus apponatur, *Infra actionem*, quia nimirum actio sacrificii ibi propriè continetur. Hic verò titulus *Infra actionem* ante ipsum *Communicantes* in editis Missalibus passim reperitur.

II. Auctorem canonis quidam fuisse putant Gelasium Papam, alii Musæum Presbyterum Massiliensem, alii Voconium Episcopum Castellaniensem in Mauritania, qui teste Gennadio libros sacramentorum composuerunt. Aldelmus Episcopus *lib. de laudib. Virginitatis cap. 23.* à Gregorio Magno editum existimat. At ipse Gregorius Epist. præcitata ait à Scholastico compositum, sed quo tempore id factum fuerit, non dicit. Jacobus Janssonius in suis Liturgicis *lib. 3. cap. 11.* per precem, quam Gregorius ait à Scholastico compositam, non putat canonem intelligi debere, sed aliquam orationem actioni Missæ in

sertam. Reverà tamen de canone ibi Gregorium loqui, ipse contextus Epistolæ evincit. Miras nugas de hoc Scholastico quidam scribunt, præsertim Eterodoxi Misoliturgi; cum manifestissimum sit, in prædicta Gregorii Epistola nomen Scholastici non esse proprium alicujus hominis, sed accipi pro viro docto & erudito, quales olim fuerunt qui scholis Christianorum præficebantur, ut conversos ad fidem erudirent. Augustinus tract. 7. in Joannem, *Qui habent causam, & volunt supplicare Imperatori, querunt aliquem Scholasticum Furisperitum, à quo sibi preces componantur.* Salvianus in Præfatione libri de gubern. Dei. *Id facere amissi sunt, ut Scholastici ac disertii haberentur.* Hieronymus de viris Illust. *Serapion Episcopus ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruit.* Quicumque autem fuerit ille Scholasticus, à quo Canonem compositum indicat Gregorius, certum est antiquiorem fuisse Gelasio & aliis supra nominatis. Nec credendum Polydoro Virgilio, qui *lib. 5. de Invent. rerum cap. 10.* à multis Pontificibus compactum asseverat: licet enim aliqui paucula quædam verba adjunxerint; ipsum tamen, ut ait Vigilus Papa Epist. ad Eucherium, *ex Apostolica traditione suscepimus.* Concilium quoque Tridentinum *sess. 22. cap. 4.* constare Canonem docet ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum Pontificum institutionibus. Observandum nihilominus, neminem ex Pontificibus post Gregorium Magnum quidpiam addidisse aut immutasse. Hoc solum legimus apud Anastasium, quod sæviente Leonis Isaurici Imp. adversus imagines & reliquias Sanctorum acerrima persecutione, Gregorius III. Oratorium edificavit in honorem omnium Sanctorum, quorum reliquias toto orbe collectas in eo collocavit, ac ibidem eorum natalitia à Monachis trium Monasteriorum Basilicæ S. Petri servientibus celebrari præcepit, & à sacerdote in ipso Oratorio Missas agente hanc clausulam in canone post illa verba, & omnium sanctorum tuorum, dici instituit: *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum.* At hoc specialiter pro illo oratorio institutum fuit, atque idè, ut notat Walfridus *cap. 22.* non est Canon, qui generaliter dicitur, adnotatum: cumque plura viderim Missalia M. SS. in uno dumtaxat hæc verba adscripta reperi, quod extat in Bibliotheca Barberina cod. 1858. Idem Walfridus canonem per partes compositum fuisse ex eo arguit, quia nomina



Sanctorum in duobus locis posita sunt; quæ sanè levissima conjectura sive suspicio est, nullâ veterum Patrum auctoritate comprobata. Primam verò partem ex eo conjicit antiquissimam esse, quia nomina Apostolorum non sunt eo ordine digesta, quo in emendatioribus Evangelii inveniuntur. Idque fortasse hac de causa evenisse putat, quia pars illa prius composita est, quam Evangelia ad eam veritatem, quæ nunc habetur apud Latinos, corrigerentur, cuius rei S. Hieronymum testem producit. Porro Canon penè ad verbum reperitur apud Ambrosium *lib. 4. de sacramentis*. Auctor item questionum veteris & novi Testamenti apud Augustinum *tom. 4. qui quest. 24. se scribere testatur annis trecentis post elapsas Danielis hebdomadas*, hoc est integro sæculo ante Gelasium, asserit *quest. 109. Melchisedech esse quidem sacerdotem, sed non summum, ut, inquit, in oblatione præsumunt Antistites*: in oratione scilicet quæ incipit, *Supra quæ propitio ac sereno vultu*. Alludere etiam ad Canonem mihi videtur Optatus Milevitanus *lib. 2. his verbis: Offerre vos dicitis pro Ecclesia toto terrarum orbe diffusa*. Sed his generaliter præmissis operis ratio postulat, ut singulas ejusdem Canonis partes percurramus.

Prima oratio est, *Tu igitur Clementissime Pater*, quam referens Haymo Halberstatensis in 1. Timoth. c. 2. omittit hæc verba *supplices rogamus*, brevitatis causa, ut puto, nam extant in omnibus M. SS. Ad hanc respexit Vigilus Papa sic scribens in epist. ad Justinianum Imperatorem: *Omnes Pontifices antiquâ in offerendo sacrificia traditione depositimus, ut Catholicam fidem adunare, regere Dominus, & custodire toto orbe dignetur*. Et primò quidem offert Sacerdos pro Ecclesia, deinde pro Papa. Hæc tessera unitatis Ecclesiæ est, in qua, ut ait Cyprianus epist. 76. ad Magnum, *non nisi concordēs & unanimes habitant*: hæc nota unionis membrorum cum capite, quæ, ut idem Cyprianus scribit epist. 52. & 55. cum Ecclesia Catholica ille communicat, qui cum Romano Pontifice consentit: & à Petri cathedra unitas sacerdotalis exoritur. Teste item Irenæo *lib. 3. cap. 3. ad Romanam Ecclesiam propter potentiorē principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*: quia nimirum, ut scribit Augustinus epist. 162. *semper in ea viguit Apostolicæ cathedræ principatus*. Unde constat, inquit Pelagius Papa citatus ab Alcuino, ab universi orbis communione separatos esse, qui qualibet diffensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam

secundam consuetudinem frequentant. Refert Nicephorus *lib. 16. cap. 17. Acacium Constantinopolitanum primum omnium Papæ nomen (erat tunc Felix. II.) è sacris tabulis erasisse, quod nemo ante eum tentaverat, quamvis in eo throno plures Episcopi hæretica labe infecti sedissent*. Idem aulus est in Ecclesia Alexandrina impius Dioscorus, pronunciato adversus Leonem Magnum anathemate. Episcopi quoque orientales eodem spiritu divisionis imbuti, Athanasium causa fidei persequentes, ut scribit Sozomenus *lib. 3. cap. 10. à Julio Romano Pontifice recesserunt*. Patres verò orthodoxi semper Papæ nomen in Liturgicis precibus commemorarunt; quod cum in aliqua Galliarum Ecclesia fortassis prætermittetur, id Concilium Vasense II. præcepit hæc lege edita can. 4. *Nobis justum visum est, ut nomen Domini Papæ, quicumque Apostolicæ sedi præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur*. Ennodius Ticinensis in Apologia pro synodo, nullo unquam tempore à nominis Papæ, Symmachi videlicet, commemoratione cessatum esse asserit, dum sacra Missarum solemnità celebrarentur, quo argumento ostendit ipsum, non Laurentium, legitimum Pontificem fuisse. In Liturgia quæ Marci nomine inscripta est, Papæ mentionem ter fieri legimus, sed cuius ævi illa sit ignoramus. In Liturgiis Jacobi, Basilii, & Chrysostomi generalis commemoratio omnium Episcoporum fieri solet hæc formula: „Memento Domine sanctorum Patrum, qui in Ecclesia catholica sunt, & fratrum nostrorum ac Episcoporum, qui per universum orbem orthodoxè administrant verbum veritatis tuæ. An verò primis sæculis Græcia orthodoxa mentionem fecerit Romani Pontificis, non liquet. Isaacius Habertus ad partem VIII. Pontificalis Græcorum observat. 12. tunc putat Papam ccepisse in sacris nominari, cum reliquorum Patriarcharum mentio fieri ccepit, cuius conjecturæ nihil habeo quod opponam, nisi aliquid certius elucescat. Nunc teste Arcudius *lib. 3. cap. 39. Antistitum mentio à Græcis hoc ordine fit. Presbyter pro suo Episcopo orat, Episcopus pro Archiepiscopo, seu Metropolita, is verò pro Patriarcha: Hunc autem orasse olim pro summo Pontifice addit Arcudius, nullum afferens testimonium ad suæ sententiæ confirmationem. Testatur Habertus in quibusdam exemplaribus Liturgiæ Chrysostomi legi hæc verba. Nicolai sanctissimi universalis Papæ longa sint tempora, quæ vivente Nicolao primo ab aliquo Patriarcha addita putat. Habemus autem hujus rei anti-*



antiquius monumentum in Divali sacra Constantini Pogonati Imperatoris ad Agathonem Papam Concilio sexto præfixa, in qua asserit se Patriarchis illarum partium restitisse postulantibus ut nomen Papæ à Diptrychis expungeretur, donec eorum, quæ inter Romanam & Constantinopolitanam sedem controversa erant, inquisitio fieret & satisfactio. Hinc quoties actum est de unione utriusque Ecclesiæ, id semper inter cætera stabilitum fuit, ut nomen Papæ in sacrificio recitaretur. Petijt hoc à Michaelæ Palæologo Urbani IV. ut scribit Nicetas lib. 5. Hoc idem exegit Gregorius X. teste Nicephoro Gregora, qui factam referit concordiam sub certis conditionibus, quarum prima fuit, ut in sacris hymnodis Papæ mentio fieret cum quatuor Patriarchis: quam conditionem adimpletam fuisse narrat Gregorius Pachymeres in historia nuper edita ex Bibliotheca Barberina lib. 5. cap. 22. duo asserens subsequuta esse ex adventu legatorum pacem factam referentium, Patriarchæ schismatici exaurationem, & publicam Papæ in sacro commemorationem. Celebratâ enim synaxi die primâ Augusti, mentio Papæ proprio loco per Diaconum facta est, & Gregorius summus Pontifex Apostolicæ Ecclesiæ ac Oecumenicus Papa proclamatus. Ducas quoque in historia Byzantina cap. 36. celebratam ait Constantinopoli Liturgiam in magna Ecclesia anno 1452. præsentem Iudoro Cardinali Legato, in qua Nicolai Papæ facta est commemoratio, plerisque repugnantibus, & à sacris donis abstinentibus obnitam concordiam cum Latinis, quos acriter perstringit Ducas, eosque meritò ait in Turcarum manus devenisse. Summo Pontifici singulæ Ecclesiæ proprii Antistitis commemorationem subjungunt, quæ in omnibus M. SS. sacramentorum libris, & in omnibus Græcorum Liturgiis reperitur.

Addunt Græci nomen Imperatoris, & aliquot Latinae Ecclesiæ nomen Regis ex Apostolica traditione, præcipiente Paulo 1. ad Timoth. cap. 2. ut fiant orationes pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, idque etiam pro infidelibus, quales erant qui Paulo vivente regnabant. *Sacrificamus pro salute Imperatoris*, ait Tertullianus ad Scapulam cap. 2. *sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo præcepit Deus, pura præc.* Idem hoc argumentum tilius prosequitur in Apologerico cap. 30. & 31. Sic etiam Arnobius loquitur lib. 5. contra gentes. „Nostra scripta cur ignibus

„dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cun-  
 „ctis & venia postulatur, magistratibus, exerci-  
 „tibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc  
 „vitam degentibus, & resolutis corporum vin-  
 „ctione. Sic Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 11. „Nos unum Deum  
 „rerum omnium opificem, qui Valeriano &  
 „Haliæno sacratissimis Augustis imperium tra-  
 „didit, colimus & adoramus. Huic continuas  
 „preces offerimus pro imperio illorum, ut sta-  
 „bile & inconcussum permaneat. Sic Origenes  
 „lib. 8. respondens Celso qui Christianos hortabatur ad gerenda bella pro Imperatore; *Laboramus*, inquit, *pro imperio Romano, dum justè viventes pro eo vota facimus.* Et supra jam dixerat, nos ferre auxilia Imperatori, sed divina, idque Apostoli monitis obedientes. Consonant Justinus martyr *Apolog. 2.* Melito Sardianus in libro pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, quem laudat Eusebius lib. 4. hist. cap. 26. Athenagoras in fine suæ legationis. Imò etiam pro Constantio Imperatore hæretico Liturgicas preces habitas testatur Athanasius in Apologia ad ipsum Constantium. Quod si pro impiis & infidelibus in sacris conventibus deprecationes fieri consueverunt, quantò magis pro christianis & orthodoxis? Ita lib. 3. arguit Optatus Milevitanus dicens, „Meritò Paulus docet orandum esse pro  
 „Regibus & Potestatibus, etiam si talis esset Imperator, qui gentilitè viveret. Quantò magis  
 „quod Christianus, quantò quod Deum timens,  
 „quantò quod religiosus, quantò quod miserit-  
 „cors? *Sequitur.* Et omnibus Orthodoxis, atque  
 „Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus. Quæ verba desunt in antiquo Ordine Romano, & in libro Sacramentorum S. Gregorii M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ cod. 495. itemque in vetusto Missali Vaticano cod. 4770. Eaque superflue poni notat Micrologus. c. 13. *Nam Ordo*, ait, *statim in sequenti versu, ubi dicitur Memento Domine, nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus quoscunque voluerimus.* Et cap. 23. describens Canonem ea omittit, sequutus nimirum Ordinem Romanum, in quo non extant. Sed meritò addita esse nec superflua censeri ex eo evidens fit, quod per ipsa omnes fideles vivi generaliter commemorantur: ac in sequentibus *Memento Domine*, offerentium dumtaxat commemoratio propriè fit, & ibi olim ex sacris tabulis quorundam nomina legebantur, ut mox videbimus. Ita sanè Aleuinus. „Cum dicitur *Memento Domine famulorum famularumque tuarum*,  
 „& sic



„ & sic deinde subjungitur, & omnium circumstantium, manifestum est, quod quasi quidam locus sit, ubi aliquibus specialiter nominatis, etiam cæterorum qui assistunt in Ecclesia commemoratio adjungatur. In quo loco liberum est Sacerdoti, quos desideraverit peculiariter nominare. Aut certe illud ab antiquis est observatum, ut ibi offerentium nomina recitarentur.

V. Post illa verba & omnium circumstantium, sive circumstantium, addunt quidam libri omniumque fidelium: sed omnino rejicienda hæc additio tanquam superflua; nam in fine præcedentis orationis præmissa est pro omnibus fidelibus deprecatio illis verbis, & omnibus orthodoxis. In aliis codicibus post eadem verba & omnium circumstantium, hæc adduntur; Et eorum quorum nomina ad commemorandum conscripsimus, ac super sacrum altare tuum scripta adesse videntur. Hæc autem suspicor substituta à quibusdam nominum recitationi, postquam prætermitti cepit, ut saltem generalis eorum mentio fieret, pro quibus orandum erat, posita super altari charta, in qua singillatim omnes descripti forent. Hæc formula orandi per verbum Memento, extat in omnibus Liturgiis, Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, & aliorum, & in quibusdam sæpius reperitur: quod à SS. PP. sapientissimè constitutum est, nam ut ait Augustinus, meminisse Dei adjuvare est. In quibusdam M. SS. priusquam sacerdos pro aliis oret, hanc pro seipso orationem præmittit. „ Memento mei quæso & „ miserere, licet hæc indignè tibi sancte Pater „ omnipotens, æterne Deus, meis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare nomen tuum „ dignus sum. Sed quoniam in honore, laude & „ memoria gloriosissimi dilecti filii tui Domini „ Dei nostri Jesu Christi offeruntur, sicut incensum in conspectu divinæ majestatis tuæ cum „ odore suavitatis accendantur. In Missali Vaticano num. 4770. oratio incipiens Memento, sic concepta est: „ Memento Domine famulorum „ famularumque tuarum, quorum commemoracionem agimus, & qui nobis bona fecerunt, „ & qui de eleemosynis suis commemoraverunt loca sanctorum, & qui nobis confessi „ sunt, & qui se nostris orationibus commendarunt, & pro quibus orare polliciti sumus. Re- „ tributor omnium bonorum retribuatur illis bona „ in vitam æternam. Et omnium circumstantium. Eadem ferè formula reperitur in Missali Palatino ejusdem Bibliothecæ Vaticanæ num. 499.

„ Memento Domine mei peccatoris & pessimi „ in bonum æternum: & omnium quorum ego „ eleemosynas suscepi, & quorum confessionem „ peccatorum audiivi, & quorum manus in memoriam familiaritatis suscepi, & qui mihi amicitia vel cognatione junguntur, etiam illorum „ qui mihi emendabiles inimici sunt; & famularum famularumque tuarum, &c. In Missali Bibliothecæ Barberinæ num. 1858. post illa verba primæ orationis, „ Apostolica fidei cultoribus, „ hæc subduntur: „ Mihi quoque indignissimo famulo tuo propitius esse digneris, & ab omnibus „ meis delictorum offensionibus me clementer „ emundare dignare. Et immediatè sequitur Memento, præmissa hæc inscriptione, *Peccatio secunda. Recita nomina.* In multis post Memento hæc vox parenthesi inclusa vel minio exarata legitur, Nomina, quia videlicet hoc loco nomina recitabantur. In aliis vel diverso caractere, vel in margine scriptum est: *Hic recitantur Nomina.* In Missali ejusdem Bibliothecæ Barberinæ circa annum 900. conscripto num. 326. post verba: „ Et nota devotio, hæc interseruntur, Mihi quoque indigno famulo tuo peccatori propitius esse dignare, & cum his omnibus me à cunctis emunda delictis, pro quibus tibi offerimus, &c. In alio quod erat Cardinalis Bessarionis, in margine è regione verbi Memento scriptum est *Bessarionis Episcopi, Theodulæ matris ejus, Georgii & Basilii.* Hæc verba, Pro quibus tibi offerimus, desunt in antiquo Ordine Romano, & in aliquot M. SS. eaque omittit Micrologus cap. 23. & superflua esse ait cap. 13. quia in antiquioribus & veracioribus sacramentariis, offerentes non nisi in tertia persona reperiuntur. At non esse superfluas, ut alias rationes omittam, usus omnium Ecclesiarum evincit. In libro Sacramentorum sæpius laudato ante annos nongentos scripto, Dominica tertia Quadragesimæ, in qua fieri olim solebat Scrutinium electorum, fit specialis mentio susceptorum his verbis: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi tui: & recitantur nomina virorum & mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt.* Quo verò tempore omitti cœperit hæc nominum recitatio, incertum est. Remigius Antisiodorensis, qui vivebat anno Christi 900. lib. de celeb. Missarum, *Etiã hodie, inquit, Romana Ecclesia recitat nomina ex Diptychis.* Auctor item Micrologi, quem post annum 1085. claruisse ex eo apparet, quod Gregorii VII. & Anselmi



Anselmi Lucensis meminerit, recitanda nomina monet post *Memento*, sed non die Dominico. Idem mos recitandi nomina in sacrificio, vige-  
bat eo tempore in monasteriis, ut patet ex Vi-  
store III. Rom. Pontifice, olim Desiderio Ab-  
bate Montis Casini lib. 1. Dialogorum, ubi re-  
fert miracula Joannis Lucensis Præpositi Mona-  
sterii. De iisdem nominibus agit Honorius  
scriptor XII. sæculi in *Gemma animæ lib. 1. cap. 107.* eâ tamen ratione, ut satis clarè indicet,  
jam tunc illam recitationem in desuetudinem abi-  
re cœpisse. Cur verò die Dominico nomina non  
recitarentur, fateor me ignorare.

## CAPUT XII.

*Diptycha quid sint, & quot eorum genera, qui usus. Inscripta eis nomina vivorum & defunctorum. De solis vivis hic agitur. Cur fiat in Canone quorundam Sanctorum commemoratio. Quædam notatu digna de Cosma & Damiano. Diversos fuisse mores Ecclesiarum in hac Sanctorum commemoratione. De oratione Hanc igitur oblationem, ejusque variis formulis apud Antiquos.*

I. Quoniam de Diptychis sæpe mentio facta est, & oratio, quæ *Memento* incipit, in quibusdam Missalibus M. SS. *Oratio super Diptycha* suscribitur, explicare hic breviter oportet, quid ea sint, & quis eorum in sacris usus fuerit. Diptychorum nomen à Ptychis, id est plicis derivatur: unde Diptycha tabulæ sunt, quæ duas habent plicas, de quibus, earumque profano usu plura ex Ethnicis scriptoribus congerit Heribertus Rosvuedus in *Onomastico ad Vitas Patrum*. Erant & Triptycha atque Pentaptycha, triplices nimirum & quintuplices tabulæ, de quibus Turnebus libro 9. *Adversar. cap. 23.* Publica etiam ratiocinia Polyptycha à Græcis dicta asserit Gothofredus ad l. 2. *de discussoribus lib. 10. Codicis*, quod illæ chartæ multas plicas haberent: quæ vox à Gregorio Magno lib. 7. *epist. 40. Indict. 2.* à Cassiodoro lib. 5. *epist. 16.* à Marculfo in *Formulis*, & ab aliis passim Latinis scriptoribus eo sensu usurpatur. Invenio autem tria fuisse genera Diptychorum sive tabularum, quibus nomina in singulis Ecclesiis inscribebantur. Pri-

imum erat peculiare Episcoporum, eorum præfer-  
tim, qui illam Ecclesiam rexerant, dummodò  
probitate ac sanctis moribus claruissent. Secun-  
dum vivorum, in quibus eorum nomina descripta  
erant; qui adhuc viventes, dignitate aliqua, vel  
beneficiis illi Ecclesiæ collatis conspicui, vel alio  
titulo benemeriti erant. In his primo loco Ro-  
manus Pontifex, tum alii Patriarchæ, & pro-  
prius Antistes; ac reliqui clero adscripti recen-  
sebantur: postea Imperator, Principes, Magis-  
tratus, & populus fidelis. Tertium erat mor-  
tuorum, qui in catholica communione deceffe-  
rant. Usus verò Diptychorum, eorumque le-  
ctionem intra Missarum solemnias vel ab Aposto-  
lis, vel ex illorum institutione seu traditione, ab  
immediatis successoribus cœpisse satis constat ex  
iis, quæ supra Cap. VIII. de nominum recita-  
tione ex præcis Patribus allata sunt. Quod autem  
spectat ad primum genus pro solis Episcopis cum  
opinionem sanctitatis vita functis, eam inscriptio-  
nem speciem quamdam habuisse canonizationis  
seu beatificationis, fidem facit Dionysius in the-  
oria capitis tertii eccles. Hierarchiæ. „ Sacrarum,  
„ inquit, tabularum recitatio deprædicat eos, qui  
„ sanctè vixerunt, & ad studiosæ vitæ perfectio-  
„ nem constanter pervenerunt. Nos quidem eo-  
„ rum imitatione ad beatissimum illum statum  
„ quietemque deiformem adhortando ac manu-  
„ ducendo: illos verò ceu viventes celebrando,  
„ quippe ut Theologia docet, nequaquam mor-  
„ tuos, sed ex morte ad vitam divinissimam  
„ translatos. Ideo Ecclesia sollicitè semper ca-  
vit, ne sanctorum Episcoporum nomina ob quo-  
rundam pravorum hominum calumnias, vel ob  
errores proborum è sacris Diptychis expunge-  
rentur. Hæc enim expunctio pœna erat illis so-  
lis irrogata, qui vel à fide defecerant, vel ob ali-  
quod crimen à communione Fidelium abstenti-  
erant. Notæ sunt diuturnæ altercationes de  
Chrysofomi nomine in Diptycha referendo, in  
quibus ipsum scribere multi renuebant, eò quòd  
à Theophilo Alexandrino exauktoratus, tamen  
iniquâ sententiâ, & non absolutus mortuus esset:  
qua de re rescribens Theodoretus lib. 5. *histor. cap. 34.* ait Episcopos Occidentis non prius  
cum Episcopis Ægypti, Orientis, Bosphori, &  
Thraciæ communicare voluisse, quàm nomen  
illius sanctissimi viri in tabulas defunctorum Epi-  
scoporum retulissent. Et quidem S. Cyrillus  
Theophili nepos, & in Cathedra Alexandrina  
successor, diu renuit Chrysofomum recipere, ut  
ex ejus & Attrici litteris constat, quarum partem

Bbbb

Facun-



Facundus Hermaniensis *lib. 4.* integras affert Nicephorus *lib. 14.* sed tandem cessit, eumque recepit, ne gratiam & communionem Romanæ Ecclesiæ amitteret. Ex eodem more Adrianus II. in epist. communitoria ad synodum Tricallinam Episcopis mandat, ut decessorem suum Nicolaum Papam Apostolicæ recordationis in Diptychis Ecclesiarum scribi, & nomen ejus inter sacra Missarum solemnia recitari faciant. Plures occurrunt similes historiae in actis Conciliorum, & in epistolis veterum Patrum. Nec solum Episcopi, sed etiam Oecumenica concilia Diptychis inscripta sunt. In synodo Constantinop. sub Menna act. v. sepius à fidelibus conelamatum est, ut Diptycha portarentur ad ambonem. *Quatuor synodos Diptychis, Leonem Episcopum Romanum Diptychis, Diptycha ad ambonem;* nempe at publicè legerentur, & populus audiret nomina quatuor synodorum & Leonis Papæ, & Macedonii, atque Euphemii restituta. Tempore autem Diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare: & cum lectæ fuissent à Diacono appellationes sanctarum quatuor synodorum, & sanctæ memoriæ Archiepiscoporum Euphemii & Macedonii & Leonis, voce magnâ universi clamarunt, Gloria tibi Domine, & post hoc cum omni modestia completa fuit cum Deo Divina Liturgia. Justinianus item Augustus in epist. ad Epiphanius Constantinop. quam Codici inseruit L. 7. de summa Trinitate §. 5. ait: Nullus frustra nos turbet spe vana innixus, quasi nos contrarium quatuor conciliis fecerimus, aut faciamus, aut fieri à quibusdam permittamus, aut aboleri eorundem sanctorum quatuor conciliorum piam memoriam ex Ecclesiæ Diptychis sustineamus.

II. Cæteram cum de Diptychis sermo est, id minimè prætermittendum, quod præter tabulas quæ sola nomina in Ecclesiis recitanda completebantur, aliæ erant ab his diversæ, in quibus omnium, qui ad baptismum accedebant, nomina describi solebant. Quam tabularum seu Diptychorum diversitatem quidam non attendentes, existimarunt omnium prorsus fidelium nomina intra sacram synaxim à Diacono lecta fuisse. Atqui hoc absurdum omnino est: Fide enim jam propagatâ & eversâ idololatriâ ad eam recitationem nec menses nec anni sufficissent; præsertim in civitatibus, quæ innumerabilem populi multitudinem continebant. Delectus itaque habebatur, & in Diptychis tam viventium quàm de-

functorum, quæ publicè in Ecclesia recitabantur, eorum tantum nomina notabantur, qui inter cæteros aliqua speciali nota præminebant, facta de reliquis generali commemoratione. Jacobus Goar in variis lectionibus Liturgiæ Chrysostomi pag. 97. ex codice M. S. ducentorum & amplius annorum Bibliothecæ Christianissimi Regis hanc brevem exhibet formulam commemorationis vivorum. „ Memento mei, & cunctorum, & cunctarum. Joseph sanctissimi & universalis Patriarchæ, nempe Constantinopolitani, nomen enim Papæ scriptor schismaticus omisit, Philothei Alexandriæ, Marci Antiochiæ, Theophili Hierosolymorum, & profferente Domino Deo sancta dona N. honorando Sacerdote: Sacerdotum etiam adstantium, venerandi Presbyterii, ministerii in Christo, & omnis sacri ordinis cœtus. Pro salute, victoria, permanentia devotissimorum & Christum diligentium Imperatorum nostrorum: devotissimæ & Christum amantis Dominiæ nostræ Hypomenes monialis: devotissimæ & Christum amantis Dominiæ nostræ Eugeniæ Monialis: devotissimorum & Christum diligentium Imperatorum nostrorum Joannis & Mariæ. Pro pace & consistentia totius mundi, & sanctarum Dei Ecclesiarum: pro redemptione fratrum nostrorum captivorum: prosperitate & firmitate Christum diligentis exercitus: residui populi salute, & cunctorum & cunctarum. Porro hæc formulâ contractior est, alias autem ampliores esse non dubito. De Diptychis mortuorum infra agam. Vivi autem dicuntur offerre pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ: memoriæ Sanctorum communicantes & eos venerantes; Ecclesia enim, quæ militat in terris, cum ea communicat, quæ in cœlis triumphat. Usus autem commemorandi B. Virginem & Sanctos in Missâ omnium Ecclesiarum immemorabili consuetudine comprobatur, ut patet ex earum Liturgiis. Cyrillus Hierosolymitanus sacram synaxim describens Cathed. V. Mytagogica affert Sacerdotem memoriam in ea facere SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras. Augustinus lib. de Virginitate cap. 45. „ Fidelibus, inquit, notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ sanctorum testimoniales ad altaris sacramenta recitentur. Idem tract. 84. in Joannem. „ Ideo ad mensam Domini



Domini non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut ipsi orent pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus. *Et serm. 17. de verbis Apostoli.* Martyres eo loco recitantur ad altare Dei ubi non pro ipsis oratur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Agit de hac Sanctorum commemoratione apud Græcos Nicol. Cabasilas in *exposit. Liturgiæ cap. 33.* Maronitæ in sua Missa hanc ipsam commemorationem sic peragunt. Memoria Domini Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi, & totius dispensationis illius sacræ quæ est erga nos, recordamur in hoc momento. Item patris nostri Adam, & matris nostræ Evæ, & omnium hominum, qui placuerunt ante Deum ab Adamo usque in hodiernum diem, scienter autem & nominatim sanctæ & laudabilis Virginis, & in omni tempore beatæ genitricis Dei Mariæ, & Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Justorum, Sacerdotum, Patrum, sanctorum, & Doctorum, Rectorum, Religiosorum, & omnium Virginum, & Sancti N. supra cujus altare offerimus.

III. In canone Romano post B. Virginem & Apostolos, Martyres duodecim nominantur. Confessorum nulla fit mentio, vel quia Martyres passionem & mortem Domini, quæ in hoc sacrificio repræsentatur, effuso sanguine imitati sunt: vel quia canon edictus est, antequam Confessorum memoria celebraretur, de quibus silent tribus prioribus sæculis Ecclesiastica monumenta. Quarto verò Gregorius Nyssenus Basilii laudes celebravit in die anniversaria obitus ejus, Gregorius quoque Nazianzenus Athanasii. Obiit eodem sæculo Martinus Turonensis, cujus festivitas statim colitur, ut alibi notavimus, & idem solus ex Confessoribus officium proprium in vetustissimis Breviariis habet, quia ipsi primo publicis ab Ecclesia cultus tributus est. Cur autem Lini, Cleti, Clementis, & cæterorum potius quam aliorum mentio fiat, evidens ratio assignari non potest, & fortassis non una & eadem omnium & singulorum est. Porro omnes, qui hic nominantur, vel Romæ passi sunt, vel in locis Romano Patriarchatui immediatè subjectis: ex qua consideratione hæc diu anceps, nesciens qua de causa soli inter orientales Cosmas & Damianus Arabes, & in Ægæa civitate martyrio coronati, hoc loco recenserentur. Sed tandem inveni tria fuisse pa-

ria sanctorum ejusdem nominis Cosmæ & Damiani: unum Martyrum in Arabia, alterum Confessorum in Asia, tertium Martyrum qui Romæ martyrium subierunt. Extrat de his ex M. SS. græcis syntagma historicum Viennæ in Austria editum, interprete Simone Wangnereckio. Arabum memoria in Menæis legitur die XVII. Octobris, Romanorum I. Julii, Confessorum I. Novembris. Quomodo autem Latini solos Arabes colant die XXV. Septembris, qua Romano Martyrologio inscripti sunt, quomodo confusa sint horum omnium acta, & quid in notis ejus diei peccaverit Baronius, eruditè pertractat Reinoldus Dehnius in Præfatione Apologetica prædicto Syntagmari præfixa. Credibile est amissa fuisse acta Romanorum, & per ignorantiam seu negligentiam substitutos Arabes, quorum passio illustrior fuit. Omnes professione Medici fuerunt, & dicti Anargyri, quia sine pretio ægros curabant. Ex qua professionis, & nominum similitudine facilè æquivocatio & confusio oriri potuit. Agit etiam de his Florentinus in suo Martyrologio ad diem XXVII. Septembris, ubi optimè advertit, Romanis in Urbe dicatam Ecclesiam, eorumque Natalitia tum in veteri Calendario, tum in libro Sacramentorum S. Gregorii V. Kalend. Octobris inscripta fuisse. Et hos proculdubio esse censeo, qui in canone nominantur. Ambrosiani post Apostolos addunt Xystum, Laurentium, Hippolytum, Vincentium, Cornelium, Cyprianum, Clementem, Chryzogonum, Joannem & Paulum, Cosmam & Damianum, Apollinarem, Vitalem, Nazarium & Celsum, Prothasium & Gervasium, Victorem, Narborem, Felicem, & Calimerum. In libro Sacramentorum Petaviano post nomina Cosmæ & Damiani hæc addita sunt, Dionysii, Rustici, & Eleuterii, Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti. In Codice Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ parisi antiquitatis cum superiori num. 495. adduntur nomina Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, & manu recentiori Uldarici, Adalberti. Codex item Vaticanus num. 4772. addit Donatum, Hilarinum, Laurentium, & Pergentinum. Et alius num. 4770. Hilarium, Martinum, Augustinum, Gregorium, Hieronymum, Ambrosium, Benedictum, Isidorum. Eadem nomina Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, & Benedicti leguntur in libro Sacramentorum, quem edidit Menardus.



At hæc additamenta particularium Ecclesiarum fuerunt: nam Ordo Romanus eos tantum Martyres admittit, qui in hodierno Canone sunt, Confessoribus semper exclusis. Quare nonnulli haud temerè existimantur Lucam & Marcum Evangelistas non esse in Canone, quia dubium est an fuerint Martyres. Adjungunt aliqui Codices nomen Sancti, cujus eâ die festiuitas celebratur, quod ex Liturgiis Basilii & Chrysostomi desumptum est. Refert etiam Matthæus Paris in vita Guillelmi Abbatis S. Albani interrogatum Innocentium III. an liceret addere in secreto Missæ nomen illius Sancti, cujus corpus in Ecclesia requiescit, respondisse id sibi dignum iurique consonum videri; Sed nihil addendum esse jam supra ostensum est.

IV. In sequenti oratione, *Hanc igitur oblationem*, rogat Deum Sacerdos, ut oblationem ipsius, cunctæque familiæ suæ, omnium videlicet assistentium, qui olim oblati muneribus, nunc voto & animo offerunt, placatus accipiat: tum pacem petit in præsentis sæculo, ereptionem à perpetua damnatione, & æternam patriæ felicitatem. Hæc autem verba, *Diesque nostros in tua pace disponas*, cum reliquis usque ad finem orationis, addidit Gregorius Magnus, ut referunt in ejus vita Joannes Diaconus & Anastasius. In festiuitatibus Paschæ & Pentecostes fit specialis oblatio pro renatis ex fonte baptismatis, quæ in omnibus antiquis codicibus extat. In vetustissimo autem sacramentorum libro Reginæ Sueciæ specialis intentio sæpe in hac oratione exprimitur, propter quam sacrificium offertur.

In Missa Dominicæ tertiæ Quadragesimæ pro scrutinio Electorum. „ Hanc igitur oblationem „ Domine ut propitius suscipias deprecamur, „ quam tibi offerimus pro famulis & famulabus „ tuis, quos ad æternam vitam & beatum gratiæ „ tuæ . . . . . dinumerare, eligere, atque vo- „ care dignatus es. Et recitantur nomina Ele- „ ctorum, & postquam recensita fuerunt, dicitur: „ Hos Domine fonte baptismatis innovandos, „ spiritus tui munere ad sacramentorum tuorum „ plenitudinem poscimus præparari. Porrò hic notandum, quod in *Memento* hujus Missæ recensentur nomina susceptorum, & hoc loco nomina electorum.

Feria V. in cœna Domini. „ Hanc igitur ob- „ lationem Domine cunctæ familiæ tuæ, quam „ tibi offerunt ob diem jejunii cœnæ Domini- „ cæ, in qua Dominus noster Jesus Christus tra- „ didit discipulis suis corporis & sanguinis sui my-

„ steria celebranda, quæsumus Domine placatus „ intende, ut per multa curricula annorum salva „ & incolumis munera tua tibi Domine mereatur „ offerre; diesque nostros, &c. In Missa de Pa- „ scha annotino, quam festiuitatem, qui in Pascha- „ te baptismi gratiam susceperant, anno sequenti „ celebrabant, die anniversaria suæ regenerationis. „ Hanc igitur oblationem famulorum famula- „ rumque tuarum, quam tibi offerunt annua re- „ colentes mysteria, quibus eos tuis adoptasti re- „ galibus institutis, quæsumus Domine placatus „ intende, pro quibus supplices preces effundi- „ mus, ut in eis & collata custodias, & promissæ „ beatitudinis præmia largiaris; diesque no- „ stros.

In dedicatione novæ Basilicæ. „ Hanc igitur „ oblationem famuli tui vel famulæ tuæ illius, „ quam tibi offerunt hanc dedicantes Ecclesiam „ quæsumus Domine placatus accipias, nostras- „ que preces dignanter exaudias, ut sint oculi „ tui aperti super domum istam die ac nocte, „ templumque hoc in honorem Beatorum Mar- „ tyrum tuorum illorum, vel illarum Sanctarum, „ & Confessorum sacris mysteriis institutum, cle- „ mentissimus dedica, miserator illustra, propi- „ tius splendore clarifica. Cunctam familiam „ tuam ad aulæ hujus suffragia concurrentem be- „ nignus exaudi, ejusdemque conditorum omnia „ desideria cordis complacita tibi pius adimple, „ votisque responde. Augmenta eis annos vitæ „ & temporum felicitatem, ut per spatia longæva „ viventes melioribus ornamentis studio eorum „ locus iste refulgeat: diesque nostros.

In natali consecrationis Presbyteri, qualiter sibi Missam debeat celebrare. Mos enim antiquorum fuit, singulis annis diem recolere suæ Ordinationis, seu Professionis quoad Religiosos, qui ritus in sola die anniversaria consecrationis Episcoporum hodie remansit: & hunc diem natalem vocabant, diem verò nativitatis ex utero matris, natalem genuinum nuncupabant. „ Hanc igitur oblationem quam tibi offero ego „ tuus famulus hodie, ob diem quo me nullius „ dignum meriti, sed solo tuæ misericordiæ dono „ ad hunc locum perducere dignatus es Presbyte- „ rii, quæso placatus accipias: diesque nostros.

In consecratione sacre virginis, quæ in Epiphania, vel secunda feria Paschæ, aut in Apostolorum natalitio celebratur. „ Hanc igitur obla- „ tionem famulæ tuæ quam tibi offert ob diem „ natalis sui, in quo eam tibi socians sacro vela- „ mine protegere dignatus es, quæsumus Domine „ pro-



propitiatus sanctifica, ut tibi Domino, ac spon-  
so suo venienti cum lampade sua inextinguibili  
placitura occurrere mereatur.

In Missa pro his qui Agapen faciunt. Hanc  
igitur oblationem Domine famuli tui illius,  
quam tibi offert cum justis eleemosynis suis,  
quas in pauperes tuos operatur; ut placatus  
suscipias deprecamur, pro quo majestati tuæ  
supplices fundimus preces, ut adjicias ei tem-  
pora vitæ, ut per multa curricula annorum læ-  
tetur tibi in pauperes tuos hæc operetur, atque  
annua tibi vota persolvat.

In trigésimo vel annuali nuptiarum. Hanc  
igitur oblationem famulorum tuorum, quam  
tibi offerimus ob diem trigésimum vel annua-  
lem, quo eos jugali vinculo sociare dignatus es,  
ut placatus suscipias deprecamur, pro quibus  
tremendæ pietati tuæ supplices fundimus pre-  
ces; ut pariter bene & pacificè senescant, & vi-  
deant filios filiorum suorum usque in tertiam &  
quartam progeniem, & te benedicant omnibus  
diebus vitæ suæ.

In natali genuino. Hanc igitur oblationem  
famuli tui illius, quam tibi offert ob diem ge-  
ninum natalis sui, quo eum de maternis visce-  
ribus in hunc mundum nasci iussit ad recogno-  
scendum Deum vivum & verum, ut placatus  
suscipias deprecamur: pro quo majestati tuæ  
supplices fundimus preces, ut adjicias ei annos  
& tempora vitæ, ut per multa curricula anno-  
rum lætus tibi hæc sua vota persolvat, atque  
ad optatam perveniat senectutem, & te benedi-  
cat omnibus diebus vitæ suæ.

Pro defuncto. Hanc igitur oblationem ser-  
vitutis nostræ quam tibi offerimus pro anima  
famuli tui illius, quæsumus Domine placatus  
intende, pro quo majestati tuæ supplices fun-  
dimus preces, ut eum in numero sanctorum tuo-  
rum tibi placentium facias dignanter adscribi:  
dieisque nostros, &c. Sunt & alia multa ejus-  
dem generis in eo Codice, sed hæc in exemplum  
allata sufficiunt.

## CAPUT XIII.

De Consecratione, ejusque forma & ritu.  
Olim Fideles post verba Consecrationis  
respondabant Amen. Mos elevandi Sa-  
cramentum antiquissimus apud Grecos.  
Quando cæperit apud Latinos. Explican-

tur reliqua usque ad commemorationem  
defunctorum. Error Græcorum schisma-  
ticorum perstringitur. Latini ab eorum  
calumnia vindicantur.

I. Accedimus ad Consecrationem, cui præ-  
mittitur hæc oratio, *Quam oblationem &c.*  
qua a Palchasio lib. de corp. & sang. Christi cap.  
12. sic explicatur. Rogamus hanc oblationem  
benedictam, per quam nos benedicamur: ad-  
scriptam, per quam nos omnes in cælo adscri-  
bamur: ratam, per quam in visceribus Chri-  
sti censeamur: rationabilem, per quam à be-  
stiali sensu exuamur: acceptabilemque facere  
digneur; quatenus & nos per hoc quia in  
bis displicuimus, acceptabiles in ejus unico  
Filio simus. Hæc Palchasius sub Augustini  
nomine citatus à Gratiano de consecr. dist. 2.  
cap. 72. & à S. Thoma 3. p. qu. 83. art. 4. Re-  
peritur hæc ipsa oratio apud Ambrosium lib. 4.  
de Sacram. cap. 5. Tum ait Sacerdos, *Qui pridie*  
*quam pateretur, accepit panem, & quæ sequun-*  
*tur, ut possit in persona Christi formam ipsam*  
*proferre, qua idem Dominus & Salvator usus*  
*est in hoc Sacramento conficiendo. Observat In-*  
*nocentius lib. 4. mysteriorum Missæ cap. 5. tria*  
*hic commemorari, quæ non sunt in Evangelio,*  
*videlicet elevatis oculis in cælum: & in calicis*  
*consecratione æterni testamenti, & mysterium*  
*fidei: quæ tamen asserit addita ex Apostolica*  
*traditione. Walfridus & Micrologus opinati*  
*sunt, ab Alexandro Papa additam hanc clausu-*  
*lam, Qui pridie: sed rectius sentit Alcuinus*  
*etiam Apostolis in usu fuisse. Extat autem in Li-*  
*turgia Jacobi & Clementis, & apud Ambrosium*  
*lib. de Sacramentis. Christum autem, cum gra-*  
*tias Patri acturus erat, oculos in cælum elevare*  
*consuevisse, notum est ex Evangelio: nec du-*  
*bitare licet, quin eundem ritum in hac maxima*  
*actione servaverit, licet non scripserint Evan-*  
*gelistæ. Forma consecrationis panis in Litu-*  
*rgiis Græcorum hæc est: Hoc est corpus meum,*  
*quod pro vobis frangitur; addunt Jacobus & Mar-*  
*cus, & datur, sive distribuitur, in remissionem*  
*peccatorum. In Missali Mozarabum, Hoc est*  
*corpus meum, quod pro vobis tradetur. Integra*  
*formula qua vinum consecratur, ex Evangelis-*  
*tis accepta est, his vocibus additis æterni &*  
*mysterium fidei: quæ in Liturgiis Græcorum*  
*non extant. In Missali Mozarabum sic concepta*  
*est; Hic est calix novi Testamenti in meo sangui-*  
*ne, qui pro vobis & pro multis effundetur in re-*  
*missio-*



missionem peccatorum. In Liturgia Jacobi, *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur & datur in remissionem peccatorum.* Apud Basilium & Chrysostomum eadem est, excepto verbo & *datur*. Hæc verba *Mysterium fidei* non sunt in Ordine Romano; sunt tamen in omnibus antiquissimis Missalibus M. SS. quos vidi. Erasmus Roterodamus temeritatem suam ac impietatem ostendit cum in Annotationibus ad cap. 11. primæ ad Corinthios optare se ait, ut Scriptura nobis exprimeret, quibus verbis Christus consecravit, & quibus nos oporteat consecrare. Utrumque enim Scriptura expressit, & manifestè tradidit Ecclesia divino magisterio edocta, debere nos facere quemadmodum fecit Dominus, à quo Apostolus accepisse se ait quod & tradidit nobis: & quandoquidem Erasmus ad antiquos Patres provocare solet, docere eum poterat, si aures audiendi habuisset, Latinorum antiquissimus Tertullianus, qui lib. 4. adv. Marcionem cap. 40. ait: *Acceptum panem & distributum discipulis corpus illum suum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum.* De qua Tertulliani sententia cum his quæ sequuntur, nos alibi fusiùs. Græci & alii Orientales verba consecrationis elatâ voce pronuntiant, & populus respondet *Amen*. Dionysius Alexandrinus de hoc ritu testimonium perhibet epist. ad Xystum Romanum Pontificem apud Eusebium lib. 7. hist. eccl. cap. 9. *Qui gratiarum actionem, inquit, frequenter audierit, & qui cum cæteris responderit Amen, qui ad sacram mensam assiterit, & quæ sequuntur.* Eundem morem servabat olim Ecclesia occidentalis, omnes enim audiebant sanctissima & efficacissima verba, quibus Christi corpus conficitur. Hinc Tertullianus lib. de spectaculis cap. 25. in eos invchitur, qui eo ore quo *Amen* in sanctum protulerant, gladiatori testimonium reddere non verebantur. Ambrosius lib. de iis qui initiantur ait: *Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis Amen, hoc est, verum est.* Alcuinus idem affert, & ex eo Florus magister in expositione Missæ: *„Amen autem quod ab omni Ecclesia „respondetur, interpretatur verum, non ubicumque „que & quomodocumque, sed mystica religione.* Hoc ergo ad tanti mysterii consecrationem, sicut & in omni legitima oratione respondent *„Fideles, & respondendo subscribunt.* Postea statutum est, ut Canon submissa voce recitaretur, & sic desit ea consuetudo sæculo decimo, ut conjicio, quia post Florum, qui nono labente

vixit, ejus mentionem non reperi apud ævi posteriores scriptores.

II. Latini peracta consecratione, Græci paulò ante communionem, ut ex Liturgiis Jacobi, Basilii, & Chrysostomi manifestum est, corpus Dominicum & calicem elevant, ut à populo adoretur. Idque ab antiquo tempore fieri solitum indicant scriptores Græci; Dionysius cap. 3. Eccl. hierarchiæ, *Divinissima, inquit, consecrata mysteria, & in aspectum ducit quæ celebravit.* Et infra. *Obiecta munera in apertum producit.* Basiliius lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit? S. Germanus in contemplatione rerum Ecclesiasticarum circa finem: elatio autem in altum venerandi corporis repræsentat crucis elevationem.* Anastasius Synaita serm. de sacra synaxi: *sacerdos post sanctificationem sacrificium incrementum, attollit panem vitæ, & omnibus illum ostendit.* Maronitæ post orationem Dominicam & alias preces eadem hoc ritu peragunt elevationem. Sacerdos elevat corpus Christi, & vocem attollens dicit: *„ Sancta sanctis in perfectione, puritate, & sanctitate dentur. Respondet populus, „ unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus „ Spiritus sanctus. Gloria Patri, & Filio, & „ Spiritui sancto. Tum elevat calicem dicens: Ita „ Domine in veritate & verè credimus in te, sicut „ credit in te Ecclesia sancta Catholica, „ quia es unus Pater sanctus, cui gloria, Amen; „ unus Filius sanctus, cui gloria, Amen; unus „ Spiritus sanctus, cui gloria & gratiarum actio „ in sæcula, Amen.* Eundem ritum sequuntur Æthiopes, nam sancta dona elevant ante communionem dicente Diacono, *Inspiciamus.* Tum ait Sacerdos, *Sanctum date sanctis.* Subdit populus, *unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus.* Et sacerdos elevans Sacramentum dicit alta voce, *Domine Jesu Christe miserere nobis.* Habet exemplum in veteri Testamento hæc hostiæ elevatio: nam passim legimus partem victimæ à sacerdotibus elevatam coram Domino; *Exodi 29. Levitici 7. & 23. Numerorum 5. 6. & 8.* David quoque Eucharistiæ nostræ elevationem prædixisse dicitur *Psal. 71. vers. 17.* Siquidem verba illa, *Eritis firmamentum in terra in summis montium,* paraphrasis Chaldaea sic legit, *Erit placenta tritici in capitibus sacerdotum,* sicut in commentario ejusdem Psalmi refert Genebrardus, quod Hebræorum magistri, qui ante Christum vixerunt, de sacrificio venturi Messiae expli-



explicarunt, si vera tradit Galatinus *lib. 10. arcannorum Catholicæ veritatis cap. 4.* & ante ipsum Raimundus Martinus in Pugione Fidei *Parte 3. dist. 3. cap. 15.* De campana pulsanda, dum fit elevatio, extat statutum Guillelmi Parisiensis Episcopi To. VII. conciliorum Bini p. 1. c. 14. „Sicut alias, *inquit*, statutum fuit, in celebratione Missarum, quando Corpus Christi elevatur, in ipsa elevatione vel paulò ante, campana pulsatur, ut sic mentes fidelium ad orationem excitentur. Et Ivo Carnotensis, qui eodem tempore vixit, ejus ritus meminit *epist. 142.* qua gratias agit Matildi Anglorum Reginae ob campanas quas dederat Ecclesiæ B. Virginis, quarum sonitu renovari ait in cordibus fidelium ipsius Reginae memoriam, tunc præsertim, „quando illa, salutaris hostia pro nobis redimendis in ara crucis oblata per novi sacerdotii ministros in Domini mensa quotidie consecratur. Ex quibus discimus, hanc piam consuetudinem viguisse in Gallia initio sæculi XII. At verò in Germania sequenti sæculo introducta fuit à Guidone Cardinali, qui prius fuit Abbas Cistercii, cum legatus Apostolicæ sedis Coloniam missus est ad confirmandam Othonis Imperatoris electionem. Hic enim, ut scribit Cæsius Heisterbacen. *lib. 9. Dialog. cap. 51.* „bonam illic consuetudinem instituit, ut ad elevationem hostiæ omnis populus in Ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret, sicque usque ad calicis benedictionem prostratus jaceret. Contigit hoc anno 1203, ut refert Odoric. Raynaldus *tom. 13. Annalium Ecclesiasticorum.* Quo verò tempore in Italia, aliisque regionibus hic mos inceperit, incertum est. Nec etiam liquet, quæ prima origo fuerit in Ecclesia Latina elevandi sacra mysteria statim ac consecrata sunt: in antiquis enim Sacramentorum libris & in codicibus Ordinis Romani tam excusis, quàm M. SS. nec in præcis rituum expostitoribus Alcuino, Amalario, Walfrido, Micrologo, & aliis aliquod ejus vestigium reperitur. Ea dumtaxat in Ordine Romano elevatio commemoratur, qua calix attollitur ante orationem Dominicam, *Cum dixerit*, Per quem hæc omnia Domine, *erigit se Archidiaconus solus, & cum dixerit per ipsum & cum ipso, levat cum offertorio calicem per ansas & tenet exaltans illum juxta Pontificem.* Stephanus Durandus, *lib. 2. cap. 40.* ab ipsis Ecclesiæ incunabilis consuetum putat Eucharistiam in altum tollere, Græcorum Patrum testimonio suffultus, qui de Latinis ritibus nihil probant. Scriptor Eterodoxus id primum

introducendum comminiscitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. sed crassa juris & facti ignorantia, ut ex Guillelmo & Ivone supra citatis evincitur, qui integro sæculo Innocentium antecesserunt: quibus accedit Hildebertus Turo-nensis ipsam elevationem commemorans in versibus de sacrificio Missæ. Solent quædam Galliarum Ecclesiæ, dum tollitur in altum hostia, eos versiculos canere, *O salutaris hostia, &c.* idque rogante Ludovico XII. ab Episcopis illius regni ingruentibus undique bellis statutum fuit: cum tamen satius sit Christum in silentio adorare, sicut consuevit Romana Ecclesia: quod etiam sancitum est in Concilio Provinciali Colonienfi *P. 2. can. 14.* Synodus verò Augustana *c. 18.* quamvis permittat Antiphonas ad sacrificium pertinentes sub elevatione decantari, rectè tamen subdit, melius fore & veteri Ecclesiæ convenientius præsentiam Domini corporis in altissimo silentio prostratos venerari. Missale Carmelitarum post elevationem calicis recitari præcipit diebus ferialibus Quadragesimæ in Missa conventuali psalmum, *Deus venerunt gentes*, cum hac oratione; „Pientissime Deus, qui iniquitatum ad te converforum non recordaris, sed eorum gemitus clementer exaudis, respice templum tuum infidelium manibus profanatum, & tui electi gregis afflictionem: reminiscere hæreditatis tuæ effusione pretiosissimi sanguinis tui Unigeniti acquisitæ: vineamque tuam plantatam dextera, quam ferus aper exterminare cõversus devastantium rabiem tua virtute corrobora, victores effice, in eaque bene operantes tui fac regni possessores. Per eundem. Diebus verò Dominicis & festis eodem loco dicunt Psalmum. *Letatus sum*, cum orationibus Ecclesiæ *v. e. Hostium nostrorum. Deus à quo sancta desideria.*

III. Peracta consecratione, in omnibus Liturgiis Christi mandatum commemoratur præcipientis, ut ipsum sacrificium in ejus memoriam peragamus, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quis enim auderet ad altare Dei accedere, & augustissimum mysterium celebrare, nisi Dominus tanti sacramenti institutor præcepisset? Ideo, ait Gaudentius *tract. 2. de Paschate*, „Discipulis mandavit, quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indefinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usque quo-



quo iterum Christus de caelis adveniat, quod & ipsi sacerdotes & omnes pariter fidelium populi, exemplar Passionis Christi ante oculos habentes quotidie, & gerentes manibus, ore etiam sumentes ac pectore, redemptionis nostrae indelebili memoriâ teneamus. Propterea Ecclesia Domini mandato obsequens, sequentia verba recitari constituit: *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta*, fidelis scilicet & in Ecclesiae gremio consistens; sancta, non quidem actu, cum non omnes sancti sint, sed vocatione, debito, & professione; quae vel praesens adest sacrificio, vel in unitate Ecclesiae ubique degens particeps est sacrificii, „ ejusdem Christi filii tui Domini nostri tam beatâ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in caelos gloriosae Ascensionis, offerimus „ praclarâ majestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, & quae sequuntur. Eadem hoc loco expressit Chrysostomus in sua Liturgia his verbis. „ Memores igitur salutaris hujus mandati, „ & omnium quae pro nobis facta sunt, crucis, se „ pulchri, triduanæ resurrectionis, in caelos ascensionis, à dextris sessionis, secandi & gloriosi rursus adventus, tua ex tuis tibi offerimus per orationia & in omnibus. Auctor libri Pontificalis in vita Alexandri I. ait, *Hic passionem Domini miscuit in precatone sacerdotum, quando Missae celebrantur.* Ad quae verba notat in scholiis ineditis Petrus Urbevitani, *ibi videlicet, tam beatâ passionis.* Alii etiam passim scribunt hanc orationem, unde & memores, ab Alexandro institutam. Sed si præcisè de memoria passionis sermo sit, sive istis sive aliis verbis fiat, ea certè non fuit ab hoc sancto Pontifice instituta, ut præclare observat Baronius anno 132. num. 3. habemus enim hac de re expressum in Evangelii præceptum Domini: & Paulus 1. ad Cor. c. 11. luculentum ejusdem rei testimonium præbet dicens, *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat:* quia nimirum durabit hoc sacrificium usque ad secundum Christi adventum in fine mundi. Extat apud Ambrosium hæc oratio lib. 4. de Sacramentis, simul cum sequenti, qua propitium Dei vultum super munera nostra precamur, quatenus nostra sunt, ne fortè propter iniquitates nostras minus grata sint Deo, quae alioquin ex parte rei oblatae, & ex parte primarii offerentis, qui est Christus, semper illi placita sunt: Similia habentur in Liturgia Jacobi & Basilii, & ad ea verba, quibus Melchisedech summus sacerdos nuncupatur,

respexit auctor quaestionum veteris & novi Testamenti supra à nobis citatus Cap. II. §. 2. Anastasius in vita Leonis Magni refert, eum constituisse, ut infra actionem sacrificii diceretur *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, quae sunt postrema verba hujus orationis. An verò hæc sola verba huic orationi, an ipsam integram orationem Canon Leo addiderit, Pamelius noluit definire Tom. 1. Liturgicorum pag. 572. At ego censo, nihil addidisse nisi prænotata verba, ipsius enim orationis memoratus auctor quaestionum utriusque Testamenti mentionem facit, qui Leone antiquior fuit. Maronitæ quoque in sua Liturgia veterum Patrum sacrificia commemorant hac oratione. „ Deus qui accepisti sacrificium „ Abel in planitie, & Noë in arca, & Abraham in „ summitate montis, & Davidis in area Dofon „ Jebusæi, & Heliae in monte Carmelo, & quæ „ drantes viduæ in gazophylacio, tu Domine „ Deus accipe oblationes istas, quae offeruntur „ tibi per manus meas infirmas & peccatrices, „ & fac in eis Domine Deus memoriam bonam „ vivis & defunctis, pro quibus offeruntur, „ & benedic habitationem offerentium eas. Amen.

IV. Post hæc Sacerdos externo gestu summam indicans animi demissionem, supplex Deum rogat, ut præferri jubeat, non ipsa corporis & sanguinis Christi mysteria; sed vota, fidem, & preces fidelium, in sublime altare suum, de quo Irenæus ait lib. 4. cap. 34. *Est altare in caelis, illuc preces nostrae & oblationes diriguntur per manus S. Angeli sui, cujus ministerio fidelium orationes in caelum deferri testatur Scriptura, Tobiae 12. & Apoc. 8.* Unde Tertullianus lib. de orat. cap. 12. eorum irreverentiam acriter reprehendit, qui sedendo orant, *sub conspectu, inquit, Dei vivi, Angelo adhuc orationis astante.* Id autem à Deo poscit Sacerdos, ut quotquot Christi corpus & sanguinem ex ea altaris participatione sumpserint, omni benedictione caelesti & gratia repleantur. Nam cum olim, qui aderant, communicarent, pro illis est hæc deprecatio: & hinc deducitur eam antiquissimam esse, cujus etiam meminit Ambrosius lib. cit. de Sacramentis. Ex hac oratione scriptor schismaticus Nicolaus Cabasila in expositione Liturgiae Latinis appingit recentioris Graeciae pessimum ac detestandum errorem, consecrationem scilicet non fieri verbis in persona Christi à Sacerdote prolatis, sed precatone ejusdem Sacerdotis postea orantis & dicentis; *Fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui,*



tui, quæ post verba consecrationis extat in Liturgia Chrysofomi; ac si verba Christi ad consecrandum Sacramentum inefficacia forent, aut forma Eucharistiæ deprecatoria sit. Sed præstat verba Cabasilæ audire, quibus Latinos hujus hæresis assertores efficere conatur ex verbis orationis, *supplices te rogamus*, de qua nunc agimus, perperam intellectis, & ad prævium sensum violentâ explicatione pertractis. Postquam enim cap. 29. dixit verba Christi narrative tantum proferri, & non sufficere ad donorum sanctificationem, subdit cap. 30. „Quod autem os eis, „qui contradicunt, omnino obstruit, est quod „etiam Latinorum Ecclesia, ad quam se referre „videntur, post verbum Domini pro donis oratione „re non recusat. Si autem ideò falluntur, quod „Latini non statim post Domini prolatum sermone „monem orant, & quod non aperte petunt sanctificationem, & mutationem in corpus Dominicum, sed aliis utuntur nominibus eò ferentibus, & quæ tantumdem valent. Quæ est autem oratio? Jube sursum ferri dona hæc in manu Angeli ad supercœlestem tuum altare. Dicant enim: quid est hoc, sursum dona deferri? Vel enim localem eis translationem precantur à terra & inferioribus locis in cœlum, vel dignam aliquam & ab humilioribus ad altiora mutationem. Et paucis interjectis. Unde manifestum est, eos omnino scire, ea adhuc esse panem & vinum, quæ sanctificationem nondum susceperunt, & propterea pro ipsis quidem orant, quæ oratione adhuc indigent. Orant autem ut ea sursum ferantur, ut quæ adhuc inferids sita sint; & ad altare, ut quæ nondum sint sacrificata, ut illic posita sacrificentur. Hæc Cabasilæ, Latinæ Ecclesiæ Catholice deprecationem ad suam hæresim distortâ interpretatione detorquens. At Græci orthodoxi veterum Patrum suorum ac fidei sententiæ adherentes, hæc de re in Concilio Florentino à Latinis interrogati, aperte professi sunt, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi per ipsius verba transubstantiari: illam verò orationem, *Fac hunc panem pretiosum corpus, &c.* quam postea adjungunt, hunc sensum habere, ut quod jam consecratum est verbis Christi, fiat suscipientibus in salutem. Hæc ipsorum verba sunt sess. 25. Concilii. *Faterinos diximus, per hæc verba Hoc est corpus meum, transubstantiari sacramentum panem & fieri corpus Christi: sed postea quemadmodum & vos dicitis, Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare*

tuum; ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi sui, transmutetque ipsa dona Spiritu sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, & non fiant in iudicium aut condemnationem nostram.

V. Hanc autem veram & orthodoxam esse illorum verborum *Fac hunc panem, &c.* explicationem, hunc legitimum sensum, quem Græci Antistites professi sunt, quarundam etiam in Occidente Ecclesiarum consensus evincit. Ritus enim Mozarabicus, quo omnes Hispaniæ & Galliarum Ecclesiæ olim utebantur, ut Lib. I. Cap. XI. & XII. ostensum est, post consecrationem brevem ponit orationem quæ *Post Pridie*, sive *post Secreta* inscribitur: & in ea sacerdos precatur, ut descendat Spiritus sanctus & dona benedicat atque sanctificet, ac si nondum benedicta & sanctificata forent. Ita legimus in Missa S. Germani, quam ex veteri codice M. S. transcriptimus supra Cap. XII. *Descendat super hæc, quæ tibi offerimus, Verbum tuum sanctum: descendat inestimabilis gloriæ tuæ Spiritus, ut fiat oblatio nostra hostia spiritalis.* Ita sæpius in Mozarabico. In die Natalis Domini: *In altare tuum panis ac vini holocausta proponimus, rogantes ut has hostias Trinitas indivisa sanctificet.* Dominica secunda post octavam Epiphaniæ: *Quæsumus ut oblationem hanc Spiritus tui permixtione sanctifices, & corpus ac sanguinem Domini nostri Jesu Christi plena transformatione conformes.* Dominica V. *Ut has hostias intendas propitiis, sanctifices, & benedicas.* Dominica I. Quadragesimæ: *Emitte Spiritum tuum de sanctis cœlis tuis, quo sanctificentur oblata.* Dominica III. *Dignetur hæc oblata sanctificare.* In die Paschatis: *Ut hic panis cum hoc calice in Filii tui corpus & sanguinem te benedicente durescat.* Dominica III. post Pascha: *His sacrificiis propitiatus illabere, hisque benedicturus descende.* Hæc & alia plura his similia in Missali Mozarabico legimus jam peracta consecratione. At ea prorsus eundem sensum orthodoxum habere, quo Patres Græci in synodo Florentina suam orationem *Fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui* explicarunt, ut nimirum hostia jam consecrata nobis nostræque salutis sancti Spiritus illapsu sanctificetur, ipsimet Mozarabice Missæ institutores in hac ipsa oratione *Post pridie* evidenter declarant. Nam Dominica III. Adventus hoc modo concepta est:

Cccc

His



„ His quoque te quæsumus sacrificiis nostris ita  
 „ sanctificationem tuam infunde, quo ex his  
 „ sumpturi nullo decidamus in crimine; sed  
 „ sanctificati tuum mereamur adventum impavi-  
 „ di sustinere. Dominica VI. post Pascha:  
 „ Oramus ut hæc libamina Spiritus tui sancti be-  
 „ nedictione respergens, sumentium visceribus  
 „ sanctificationem accomodes. Dominica I.  
 „ post Pentecosten: „ Imposita hæc altaribus tuis  
 „ munera benedicere nobis & sanctificare digne  
 „ ris. Nobis, inquit, id est pro nostra salute &  
 „ sanctificatione. Et hæc quidem vera & catholica  
 „ expositio est, sed recentioribus non est visa suf-  
 „ ficiens ad vindicandam Græcorum precationem  
 „ ab omni nota & suspitione erroris: Ritum au-  
 „ tem Mozarabicum in hoc convenire cum Græ-  
 „ co nemo hæcenus observavit. Ideo nonnulli  
 „ existimant, Græcos ab initio ea precatione  
 „ usos ante consecrationem, in quo nunc est. Sed huic conjecturæ  
 „ obstant antiqui Codices M. SS. in quibus legitur  
 „ eo ipso loco, in quo hodie reperitur. Omnes au-  
 „ tem corruptos fuisse nefas est suspicari. Deinde  
 „ eadem extat eodem loco in Liturgiis Jacobi,  
 „ Marci, Clementis, & Basilii, paucis verbis ad-  
 „ ditis vel immutatis, sensu tamen integro præ-  
 „ manente. Extat etiam in Liturgia Armeniorum,  
 „ quæ dum hæc scribo, data est mihi examinanda  
 „ à S. Congregatione de propaganda Fide in La-  
 „ tinum translata à Sacerdote illius nationis Basilio  
 „ Barfisch. Verba eorum hæc sunt. „ Adoramus,  
 „ „ rogamus & perimus à te benefactor Deus,  
 „ „ mitte in nos & in proposita hæc munera con-  
 „ „ sempiternum tuum & coessentialem S. Spiritu-  
 „ „ tum: Per quem panem hunc benedicens cor-  
 „ „ pus verè facies Domini nostri & Redemptoris  
 „ „ Jesu Christi: & dicitur. Et calicem hunc  
 „ „ benedicens sanguinem certè facies Domini  
 „ „ nostri & Redemptoris Jesu Christi: & dicitur  
 „ „ ter. Alii ipsam sic intelligendam putant, ut  
 „ „ respiciat non tempus quo profertur, sed quod  
 „ „ consecrationem antecedit: ac si Sacerdos tanti  
 „ „ mysterii sublimitate extra se raptus, suæque me-  
 „ „ mor fragilitatis, id quod jam factum ex fide ere-  
 „ „ dit, quasi efficiendum consideret, ac propterea  
 „ „ ore, Fac panem hunc pretiosum corpus Christi  
 „ „ tui: neque enim absurdum videtur, quod jam  
 „ „ concessum est, ac si nondum concessum foret,  
 „ „ iteratis precibus postulare. Alii dicunt corpus  
 „ „ Christi duplex esse, verum quod ipsius verbis  
 „ „ conficitur; & mysticum quod est Ecclesia, su-  
 „ „ pra quod Sacerdos Spiritum sanctum jam facta

consecratione descendere precatur, ut partici-  
 „ patione Sacramenti unum corpus Ecclesia cum  
 „ Christo efficiatur. Alias aliorum explicationes  
 „ omitto, ne actum agam. Tractant de hac con-  
 „ troversia Bessarion Cardinalis lib. de Eucharistia,  
 „ Goar ad Liturgiam Chrysostomi num. 139. Alla-  
 „ tius lib. 3. de perpetua utriusque Ecclesie consen-  
 „ sione cap. 15. Diffusilimè autem Petrus Arcu-  
 „ dius lib. 3. sue concordie cap. 27. & novim se-  
 „ quentibus.

## CAPUT XIV.

*Refertur & rejicitur quedam interpolatio.  
 Memoria defunctorum recitatis eorum  
 nominibus. Cur Dionysius sola Diptycha  
 mortuorum commemoret. Specialis ritus  
 Mozarabum. Quare cum mortuis nomi-  
 na simul Sanctorum recenseant. Qua  
 ratione sacrificium oblatum pro Sanctis.  
 De oratione Nobis quoque peccatori-  
 bus. Olim post eam benedictiones fru-  
 gum & aliarum rerum fieri solebant.  
 Omnes sacra & ecclesiastica funtio-  
 nes intra Missarum solemniam. Finitis Ca-  
 nonis.*

I. IN Missali Bibliothecæ Vaticanae nu. 4770.  
 Ante annos sexcentos scripto post oratio-  
 nem *Supplices* rogamus, ante commemoratio-  
 nem defunctorum interponitur hæc oratio.  
 „ Omnipotens sempiternus Deus, dignare susci-  
 „ „ pere hanc oblationem & hoc sacrificium; quod  
 „ „ ego peccator præsumo offerre in honorem  
 „ „ Domini nostri Jesu Christi: in memoriam In-  
 „ „ carnationis, Nativitatis, Resurrectionis, A-  
 „ „ scensionis ejus: in honorem Beatæ & gloriose  
 „ „ semper Virginis Dei genitricis Mariæ, sancto-  
 „ „ rumque omnium Angelorum, Archangelo-  
 „ „ rum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolo-  
 „ „ rum, Martyrum, Confessorum, & Virginum,  
 „ „ & omnium Sanctorum tuorum, & eorum ad  
 „ „ quorum honorem in isto altario reliquæ hæ-  
 „ „ bentur, & cujus hodie festa celebrantur, & pro  
 „ „ me misero peccatore, & pro omnibus meis pa-  
 „ „ rentibus, & pro omnibus benefactoribus meis.  
 „ „ Ut & ipsi pro nobis intercedere dignentur in  
 „ „ coelis, quorum memoriam facimus in terris.

Pex



„ Per Christum Dominum nostrum. Amen. Constat autem vel ex ipsius orationis textura, privata alicujus scriptoris licentia eam hic alieno loco inferam esse. In alio item Missali paris antiquitatis num. 4772. eodem loco sequens deprecatio scripta est, cujus meminit Durandus lib. 4. Rationalis c. 45. „ Memento mei quæso peccatoris, Domine Deus misericors, & miserere mei, licet hæc sancta indignè tibi sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, meis pollutis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum: sed quoniam in honorem & memoriam gloriosissimi & dilecti filii Domini nostri Jesu Christi tibi offeruntur, quæso Domine tibi placeant & sicut incensum in conspectu divinæ majestatis tuæ in odorem suavitatis accendantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. Sed & hæc inconsultò hic posita est, nam sacerdos pro se orare debet, cum fidelium viventium meminit ante consecrationem. In eodem codice post hæc orationem hæc leguntur. *Sequuntur nomina. Inigo Presbyterus, Petrus Presbyter, & alia nomina in sequenti oratione, Memento etiam Domine, recitanda.* In aliis Codicibus hæc ipsa oratio sic inscribitur, *Super diptycha.* Nomina enim fidelium defunctorum tabulis inscribere, & intra Missarum solemniam recitare, ut supra indicavi, antiquissima consuetudo est, & Apostolicum institutum. Habent mortuorum commemorationem omnes Liturgiæ, & de hac salubri institutione testimonium perhibent omnes ferè antiqui Patres, quos recensui in *tract. de Divina Psalmodia cap. 13.* Chrysostomus hom. 69. ad pop. Antioch. *Non temere, inquit, ab Apostolis hæc sancta fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.* S. Monica mortura filio Augustino, ut idem refert in *sine lib. 9. confessio-num*; mandavit memoriam sui fieri ad altare Dei. Et ipse Augustinus *lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1.* universæ Ecclesiæ consuetudinem esse testatur, ut in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habeat commendatio mortuorum. Serm. item 32. de verbis Apostoli ait, „ Hoc à Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communionem defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur, ac pro illis quæque id offerri commemoretur. Epiphanius quoque *her. 77.* antiquum morem fuisse testatur, defunctorum nomina proferendi & pro eis oran-

di. Hinc aliquem post mortem excommunicari, nihil aliud erat quam nomen ejus è sacris diptychis eradi, & à suffragiis Ecclesiæ excludi, ut ostendit Pamelius *ad epist. 66. Cypriani.* Florus Magister in explicatione Missæ, cujus duo exemplaria M. SS. vidi in Bibliotheca Serenissimæ Reginæ Succiæ num. 927. & 1348. ex quibus suppleri possunt multa, quæ in editis defunt. *Usus, inquit, antiquorum fuit, sicut etiam usque hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, id est tabulis, nomina defunctorum; atque ista post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia, Iplis Domine &c. Iplis videlicet quorum nomina memorantur, & cæteris omnibus in Christo quiescentibus.*

II. Hunc autem ritum orandi pro aliquibus, prolatis eorum nominibus, & pro reliquis generali commemoratione, commendat Augustinus eodem libro de cura pro mortuis dicens: „ Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut, quibus ad ista defunt parentes, au filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi. In Monasteriis viguit olim hic mos, & in plerisque adhuc manet, ut mitterent sibi invicem Fratrum, amicorum, & benefactorum defunctorum nomina, ut diptychis inscriberentur. Postquam verò diptychorum usus desit, in libro, quem Necrologium vocabant, scribebantur; & quotidie post lectionem Martyrologii ex ipso Codice eorum nomina legebantur, qui ipsa die obierant, & pro ipsis psalmus *De profundis* cum oratione competentem cantari solebat, sicut hodie fit in Cœnobis benè institutis post generalem defunctorum commemorationem. Ven. Bedæ *lib. 4. hist. Angliæ. cap. 14.* loquens de obitu Osualdi Regis, *Quæram, inquit, in suis codicibus, in quibus defunctorum est adnotata depositio, & invenient illum hæc ut diximus die raptum esse de seculo.* Plura ejusdem consuetudinis testimonia exhibent epistolæ S. Bonifacii Martyris: nam *epist. 24.* Fratrum defunctorum nomina se mittere scribit Aldherio Abbati: & *epist. 52.* scripta nomina trium monasteriorum ait, „ Nomina nostrarum defunctorum fororum ego Cneuburg memoris, aliter te habere, o Vuitberte Presbyter fidelis, deprecor, & omnibus circumquaq;



amicis transmittere, quarum prima fuit Quon-  
 gyth soror mea germana, & Ellu. Epist. item  
 74. *Nomina Presbyterorum vestrorum, Diaconorum-  
 que ac Monachorum vel Monacharum per monaste-  
 ria & Ecclesias nostrae diocesis direximus.* Et sic  
 alibi saepe, ut epist. 62. 84. 95. 106. Similia le-  
 guntur in antiquis statutis & Ritualibus Mo-  
 nachorum. Non est autem hoc loco praetermit-  
 tendum, quod Dionysius cap. 3. *Eccles. hier-  
 rarchiae divinae Liturgiae mysteria edisserens,*  
 nusquam meminit nomina viventium recitata  
 tunc fuisse, sed mortuorum dumtaxat, idque  
 ante consecrationem. Hoc in scholiis tanquam  
 dignum observatione à S. Maximo notatum  
 est. *Notandum, ait, mortuorum tantum eo Pon-  
 tifice recitari solita fuisse nomina.* Cujus rei cau-  
 sam investiganti illud venit in mentem, in ea  
 Ecclesia cui praefuit Dionysius, omnes fideles,  
 qui pauci erant, nondum extincto ethnicismo sa-  
 cris solemnibus interfuisse: atque idem defuncto-  
 rum, qui soli aberant, factam dumtaxat com-  
 memoracionem. At ubi postea vel aucto fide-  
 lium numero, vel diminuto fervore, plures  
 abesse coeperunt, illorum quoque nomina reci-  
 tata sunt, vivorum quidem ante consecratio-  
 nem, & post illam defunctorum. Sunt qui scri-  
 bunt à Pelagio II. sancitum, ut mortuorum me-  
 moria post consecrationem fieret, sed hi recentio-  
 res sunt, nec ullam afferunt ex antiquis scripto-  
 ribus sui dicti confirmationem.

III. Ritu Mozarabum nomina eodem con-  
 textu leguntur paulò post offertorium; primò  
 quidem vivorum, deinde defunctorum. Sacer-  
 dos enim generaliter Ecclesiam catholicam,  
 omnesque lapsos, captivos, infirmos & peregrinos  
 Deo commendat: tum sacrificium offerri  
 ait pro universa fraternitate dicens, ut suo loco  
 notavimus: offerunt Papa Romensis & reliqui  
 pro se & pro omni clero. Item, Offerunt uni-  
 versi Presbyteri, Diaconi, clerici, ac populi  
 circum adstantes in honorem Sanctorum pro se  
 & suis. Et chorus respondet: *Offerunt pro se &  
 universa fraternitate.* Hic verò recitabantur no-  
 mina vivorum offerentium, seu pro quibus ipse  
 celebrans offerebat. Deinde praemissa com-  
 memoracione B. Virginis, Zachariae, Joannis, In-  
 fantium, Petri, Pauli, & reliquorum Apostolorum,  
 atque Evangelistarum, & omnium Mar-  
 tyrum, ait Sacerdos: *Item pro spiritibus pausan-  
 tium.* Et recitat nomina Hilarii, Athanasii, Mar-  
 tini, & aliorum plurimorum, ex quibus nonnulli  
 Sanctorum catalogo adscripti sunt, alii non item;

quibus recitatis ait chorus, *Et omnium pausan-  
 tium.* Tum sequitur oratio in singulis Missis diversa,  
 in qua saepe mentio fit offerentium, itemque de-  
 functorum, & omnium ipsorum: ex quo palam  
 fit, ante hanc orationem ipsa nomina ex tabulis le-  
 cta fuisse. Inscrubitur autem. *Post nomina,* ejus-  
 que formula haec est. *Dominica III. Adventus.*  
 Tu offerentium nomina illuc adscribe, quo ip-  
 se praecessisti in corpore, ut quos hic adventus  
 primi gratia redemisti, in secundi adventus  
 examinatione nulla exurantur poena supplicii:  
 sicque nunc pro defunctorum quiete exaudia-  
 mur, quo te opitulante aeterno cum illis pa-  
 riter fruamur consortio Beatorum. In Missa S.  
 Andreae Apostoli. *Nominibus sanctorum*  
 Martyrum, offerentiumque fidelium, atque  
 eorum qui ab hoc saeculo transferunt, à mi-  
 stris jam sacri ordinis recensitis, te Dominum  
 Deum nostrum per intercessum sancti tui An-  
 dreae Apostoli & Martyris deprecamur, ut, &  
 Martyrum patrocinia nobis semper opitulen-  
 tur, & offerentium obsequia à te clementer  
 accipiantur, ac defunctorum fidelium anima-  
 bus caelestium receptacula mansionum, & sem-  
 piterna quietis tutamina tribuantur. In Missa  
 Circumcisionis in fine orationis. *Offerentium*  
*sacrificia sanctificanda suscipias, atque spiri-  
 tus quiescentium, quorum est facta commemo-  
 ratio nominum, in requiem electorum perdu-  
 cas.* *Dominica ante Cineres.* *Recensita Do-  
 mine tuorum Fidelium nomina quaesumus ut  
 liber vitae aeternae contineat: & defunctos  
 eruas à tenebrosa infernali caligine.* In festo  
 Apostolorum Petri & Pauli. *Quorum nomi-  
 na ore prolata sunt recitantium.* Et sic alibi  
 saepe. Nullibi autem clarius distinctio nomi-  
 num, quae legebantur, apparet, quam in Mis-  
 sa Dominicae quartae Adventus, cujus oratio-  
 nem *Post nomina* hic exhibeo. *Sanctorum*  
*tuorum Domine communicantes memoriae,*  
*Patriarcharum, Prophetarumque tuorum non*  
*sumus immemores, ipsis enim renunciantibus,*  
*adventus tuus claruit mundo.* Memoramus  
 etiam Apostolos tuos, qui adventum tuum à  
 Prophetis, Patriarchisque praedicatum, oculis  
 suis cernere meruerunt. Facimus quoque & tuo-  
 rum Martyrum mentionem, qui te Dominum  
 redemptorem jam venisse confessi, ad mortem  
 usque sunt certati pro veritate. Fidelium prae-  
 rea tuorum in hac adhuc peregrinatione degen-  
 tium nomina recensemus, protestantes, ut eo-  
 rum vitae cursum & perfectionem consummes,  
 quos



quos sanctos tuos apud te in caelesti habitaculo  
cautos perfectosque jam retines (quos scilicet ad  
vitam aeternam praedestinasti.) Non oblivisci-  
mur quoque defunctos naturae nostrae ac fidei  
socios: sed precamur te Dominum amplissimae  
pietatis, ut eis refrigeria tribuas sempiternae  
quietis. In Missali item antiquissimo Reginae  
Sueciae, de quo supra actum est Lib. I. Cap. XII.  
extant hujusmodi orationes post nomina, ex qui-  
bus idem ritus probatur, nomina enim offeren-  
tium & defunctorum audita & recensita multo-  
ties commemorantur; oratque Sacerdos, ut ea  
Dominus in libro vitae inscriptione sempiternam  
figere dignetur.

IV. Quia verò inter defunctos, pro quibus  
hoc ritu sacrificia offerri dicuntur, illi etiam enu-  
merantur, quos catholica Ecclesia sancti Spiritus  
infallibili magisterio edocta cum beatis aeter-  
nae patriae civibus venerat; legentium scrupu-  
lo occurrendum est, ne mores antiquos ex prae-  
sentis aevi usu aestimantes in suspensionem erroris  
trahant, quod à sanctis & orthodoxis Patribus  
institutum fuit. Tempora igitur distinguenda  
sunt, ut omnis offensionis occasio praecidatur.  
Quamvis enim tempus praecisum ignoremus, quo  
à sanctis Hispaniae Episcopis haec Missa instituta  
fuit; credimus tamen ejus originem illi aëvo ad-  
scribendam, quo solis Martyribus publicus &  
solemnis cultus concedi solebat: reliqui autem,  
praesertim Episcopi, qui in pace Ecclesiae, etiam  
cum opinione sanctitatis decedebant, sacris de-  
functorum tabulis inscribi, eorumque nomina  
promiscuè legi consueverant; ita ut nullum dif-  
ferentiam esset inter illos qui postea sancti nuncu-  
pati sunt, quales fuerunt Hilarius, Athanasius,  
Martinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius,  
Leander, Isidorus; & ceteros quibus hic titu-  
lus nunquam tributus fuit. Cum igitur eo tem-  
pore utrorumque par causa esset, nec ulla Ec-  
clesiae declaratione constaret, quemquam ex illis  
Dei visione perfrui, & consequenter viventium  
non indigere suffragiis, pro omnibus indiscrimi-  
natim preces & sacrificia offerebantur: eadem  
propterea ratione, qua nunc solemus pro singulis  
defunctis orare, tametsi aliqui ex illis cum opi-  
nionem sanctitatis decesserint: nec tamen erramus,  
quia donec à summo Pontifice Sanctorum nume-  
ro adscripi sint, certò scire non possumus in quo  
statu reperiantur. Ecclesia autem per Sacerdo-  
tem ministrum suum sacrificium offert pro mor-  
tuis intentione conditionata, ut, si quidem eo in-  
digent, illis proficit; alioquin aliis indigentibus

applicetur. Illud insuper advertendum, quod  
veteris Ecclesiae phrasi etiam pro justis & sanctis,  
atque adeo pro ipsis Martyribus sacrificium of-  
ferri dicebatur, non quidem pro eis orando,  
non enim ignorabant antiqui Patres superfluum  
id fore, cum persuasissimum omnibus esset, Mar-  
tyres Christi statim post obitum supernae patriae  
felicitate frui, sed pro illorum honore & com-  
memoratione. Testatur hoc Cyprianus epist. 34.  
in qua differens de Martyribus, qui palmas à Do-  
mino & coronas illustri passione meruerunt, ait:  
*Sacrificia pro eis semper ut meministi offerimus:*  
quod pro illorum commemoratione intelligen-  
dum esse idemmet clarius edisserit epist. 37. di-  
cens, *Dies eorum*, qui scilicet in carcere & vin-  
culis propter Christum detenti decesserant, qui-  
bus excedunt, annotat, ut commemorationes eo-  
rum inter memorias Martyrum celebrare possimus.  
Et infra. *Celebrentur hic à nobis oblationes & sa-  
crificia ob commemorationes eorum.* Aliter expli-  
cat hanc phrasim, qua etiam in Liturgia utuntur  
Graeci, Nicolaus Cabasila in ejusdem Liturgiae  
expositione cap. 33. ut offerri dicatur sacrificium  
pro Sanctis in gratiarum actionem Deo pro donis  
ab ipso eisdem collatis. „Hi enim, ait, id est  
sancti, sunt Ecclesiae agendarum Deo gratia-  
rum causa. Pro iis offert rationabilem hunc  
cultum, tanquam Deo gratiarum actionem, &  
praeter ceteris omnibus pro Beata Dei matre, ut  
quae omnem sanctitatem excedat. Propterea ni-  
hil pro eis orat Sacerdos, sed potius eos orat,  
ut ab eis in orationibus adjuvetur. Quia non ad  
supplicationem, sed ad gratiarum actionem, ut  
dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem.  
Sic Caius Papa, ut refert Baronius an. 295. num.  
9. à die quo Susanna virgo neptis ejus martyrio  
coronata fuit, in loco ubi percussa est, jugiter  
obtulit sacrificium pro ejus commemoratione.  
Innocentius quoque Tertius c. cum Marthe, de  
celebr. Missarum secretam orationem S. Leonis,  
pro ut legitur in antiquis codicibus, videlicet:  
*Annue nobis Domine ut animae famuli tui Leonis*  
*haec proficit oblatio*, ita explicat, ut proficit illi ad  
honorem, adeò ut magis à fidelibus glorificetur,  
quod fit in ejusdem annua commemoratione. Si-  
ve igitur in commemorationem, sive in gratiarum  
actionem, sive in honorem modo explicato sa-  
crificium pro Sanctis offerri dicatur, nihil in hoc  
vel fidei catholicae, vel ecclesiasticis ritibus dif-  
ferentia est. Sed ex hoc diverticula in semitam re-  
dire oportet.

V. Orationi pro defunctis alia subnectitur  
Cccc 3 inci-



incipiens, *Nobis quoque peccatoribus*, qua seipsum & adstantes Deo Sacerdos commendat, ut sibi & aliis sanctorum societatem, & partem aliquam beatitudinis donare dignetur. Rursum autem aliquot Sancti hinc recensentur, quorum in priore parte Canonis mentio facta non est. Et primo quidem loco nominatur Joannes, non evangelista, ut putat Alexander A lensis in expositione Missae, non Marcus item evangelista, qui & Joannes ex quorundam sententia dicitur, ut Honorius asserit *lib. r. Gemma cap. 107.* sed Joannes Baptista praecursor Domini, quem etiam commemorant post consecrationem Basilii & Chrysostomi Liturgiae. Caeteri ex diversis ordinibus selecti sunt, ut idem Honorius observat *ibidem cap. sequenti*, ex Diaconis Stephanus, ex Apostolis Matthias, ex discipulis Barnabas, ex Episcopis Ignatius, ex summis Pontificibus Alexander, ex Presbyteris Marcellinus, ex clericis minorum ordinum Petrus, ex conjugatis Felicitas & Perpetua, ex virginibus, quas à Gregorio Magno canoni adjunctas scribit Aldelmus Episcopus *lib. de Virginitate cap. 27.* Agatha, Lucia, Agnes, Caecilia, Anastasia. Florus Magister post Marcellinum & Petrum addit Hilarium & Martinum, & in quibusdam codicibus Vaticanis adjungitur Augustinus, in aliis Juliana, & Euphemia; sed solos Martyres in canone admitti, nec ulli licere aliquid adiacere, jam supra ostendimus, *alioquin*, ut ait Honorius, *praesumptio non devotioni adscribetur.* Finita hac oratione post illa verba *Largitor admitte*, si novae fruges, aut quaelibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante altare collocari olim solebant, & hinc à Sacerdote benedici, & terminata benedictione solita clausula: *Per Christum Dominum nostrum*, sequentem addebant orationem, *Per quem haec omnia Domine semper bona creas*: quae, ut notat Lucas Dacherius in praefatione ad Lectorem *tomo 4. sui spicilegii praefixa*, non solum referuntur ad oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus continuo creat sive producit, easque petimus ejus benedictione sanctificari nostris usibus profuturas. In libro antiquissimo sacramentorum Reginae Sueciae ponitur hoc loco benedictio ista novarum frugum in die Ascensionis Domini. „Benedic „Domine & has fruges novas fabae, quas tu „Domine rore caelesti & inundantia pluviarum „ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobiscum gratiarum actionem in „nomine Domini nostri Jesu Christi, Per quem

„haec omnia Domine, &c. In antiquo item Missali Vaticano *num. 470.* inserta est eodem loco benedictio Agni in die Paschatis, quae legi potest in Ordine Romano. In aliis plerisque tum Vaticanæ, quam Barberinae Bibliothecae, lac & mel benedicuntur pro Catechumenis in Missa sabbathi sancti hac oratione: „Benedic Domine „& has creaturas fontis, lactis & mellis, & pota „famulos tuos de hoc fonte perenni, qui est spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle. Tu enim Domine promissisti patribus nostris Abraham, & Isaac, & Jacob dicens: Introducam vos in terram fluentem lacte & melle. Conjunge Domine famulos tuos spiritu charitatis & pacis, sicut conjunctum est hoc lac & mel, in Christo Jesu Domino nostro. Per quem haec omnia, &c. Antiqua statuta monasterii Cluniacensis edita à Dacherio *tomo 4. spicilegii*, alterius benedictionis mentionem faciunt, *lib. 1. cap. 35.* quae olim communis erat in die Natalis S. Sixti Martyris, uvarum scilicet, si tamen ea die essent maturae. „Sed si nondum sunt maturae, inquit statuta, custos Ecclesiae observat, quando primo maturefiant, ut faciat eas ad Ecclesiam deferri: alias Armario repraesentat, & Armarius Sacerdoti inter canonem ad horam competentem & praenotatam, ut eas benedicat. Postea in Refectorio per Sacerdotem distribuuntur. Porro Armarius voce barbarâ dicebatur, cui Armarii, id est, cellarii cura commissâ erat, quem Latini promum-condum vocant. Eadem benedictio uvae in die S. Sixti in libro sacramentorum S. Gregorii legitur apud Menardum, à quo quaedam adduntur in notis. Hanc ipsam habent Graeci die item sextâ Augusti in Euchologio edito à Goar *pag. 695.* Ritus autem ejus sic describitur ipsa die S. Sixti in Missali Lugdunensi. *In canone Missae antequam Sacerdos dicat*, Per quem haec omnia Domine semper bona creas, ponantur à Diacono, super altare ad partem dextram prope manum Sacerdotis dexteram acini uvarum in vase mundo, & Sacerdos dicat: Benedic Domine hos fructus novos uvae, quos tu Domine rore caeli, & inundantia pluviarum, & temporum serenitate atque tranquillitate, ad maturitatem perducere dignatus es, & dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu Christi. Deinde Sacerdos aspergat acinos uvarum aquâ benedictâ, & postea subjungat, Per quem haec omnia. Diaconus verò elevet vas acinorum de altari, & tradat Vicemagistro chori, quo



quo accepto, ipse videlicet Vicemagister cho-  
ri, distribuat acinos uvarum omnibus de con-  
ventu in choro existentibus, & omnibus aliis  
laicis in Ecclesia. Hæc nimirum majorum no-  
strorum religio fuit, ut omnes sacre & ecclesia-  
sticæ functiones, sacramentorum administratio-  
nes, & quæcunque benedictiones intra Missæ  
solemnia peragerentur; omnium enim, ut  
diximus supra Lib. I. Cap. III. ultima perfectio  
& consummatio Eucharistia est, à qua vim e-  
nergeticam & sanctitatem accipiunt. Sive fœ-  
dus sancendum foret, sive incunda concordia,  
sive aliquid Deo offerendum, sive hæretici ex-  
communicandi; sive Sanctorum natalitia, alia-  
que Festivitates denuncianda, sive indicenda  
jejunia & Litanæ, sive reconciliandi prænitentes,  
sive imponenda manus super iniucios, sive  
Episcopi consecrandi, sive Reges inungendi,  
sive chrisma conficiendum; hæc & alia ejusdem  
generis ab Eucharistia auspiciari solebant, nec  
quidquam sine sacrificio rectè institui existima-  
bant. Sed tepescente successu temporis fervore,  
multa ex his, ne Missa prolixior evaderet, ab  
ea paulatim sejuncta sunt; adeo ut etiam ipsa  
communio post Missam differatur, non sine ma-  
gna rituum ecclesiasticorum perturbatione; quia  
orationes, quæ post communionem à Sacerdote  
dicuntur, pro ipsis communicantibus sunt. Porro  
Ecclesia finem canoni imponit hac oratione, *Per  
quem hæc omnia Domine semper bona creas*, qua ve-  
luti epitogo, supremam Christi excellentiam stri-  
ctim commendat, quia per ipsum, & cum ipso, &  
in ipso est Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus  
sancti omnis honor & gloria. Primam hujus par-  
tem putant nonnulli apud Cyprianum reperiri,  
*serm. de cæna Domini*; sed dudum observantur  
Eruditi, tractatum illum, qui de operibus Christi  
cardinalibus inscribitur, perperam tribui Cypria-  
no, cum sit Arnoldi Abbatis Bonævallis.

## CAPUT XV.

De prisco usu Orationis Dominicæ in sacrifi-  
cio. Gregorii Magni hæc de re sententia  
expenditur. *Ipsius orationis præfationes.*  
*Olim interdicha Catechumenis. Brevis*  
*ejus expostio. Addita oratio Libera nos,*  
*qua Embolismus nuncupatur. Hostiam*  
*frangi, & particulam in calicem mitti,*  
*mos est omnium Ecclesiarum. Horum ri-*  
*tuum antiquitas.*

I. Dignum & conveniens fuit post actionem  
sanctissimam sacrificii, orationem recita-  
ri quam Christus docuit, ut ejus acerbissimæ  
passionis præmissa commemoratione, fidelium  
pétitiones facilius à Deo Patre exaudiri merean-  
tur. Errant autem, qui putant hoc à Gregorio  
Magno statutum fuisse; veterem quippè & A-  
postolicam consuetudinem esse, ipsemet Grego-  
rius testatur *lib. 7. ep. 64.* dicens, „Orationem  
„Dominicam idcirco mox post precem dici-  
„mus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam  
„solummodo orationem oblationis hostiam  
„consecrarent. Quæ verba, quæ ratione intelli-  
„genda sint, supra explicavimus Lib. I. Cap. V.  
„§. 3. Deinde illa diètio exceptiva, *solummodo*,  
aut irrepit in textum Gregorii, aut ad alias ora-  
tiones restringenda est, quæ consecrationem an-  
tecedunt & subsequuntur. Nam verba, quibus  
Christus hoc sacrificium instituit, Apostoli pro-  
culdubio recitabant non omiſsa memoriâ passio-  
nis ejus, sicut ille præcepit, *Hoc facite in meam*  
*commemorationem.* Hieronymus etiam ait *lib. 3.*  
*adv. Pelagianos*, Apostolos quotidie orationem  
Dominicam solitos dicere in sacrificio, sed non  
addit solam. De prisco autem ipsius usu in Missæ  
celebratione testimonium perhibent, tum omnes  
Liturgiæ, tum sancti Patres Gregorio antiquio-  
res. Optatus Milevitanus *lib. 2.* *Inter vicina mo-*  
*menta, dum manus imponitis & delicta donatis,*  
*mox ad altare conversi, dominicam orationem præ-*  
*termittite non potestis.* Quia nimirum absolutio  
Pœnitentium, de qua loquitur, fieri solebat ante  
orationem Dominicam & communionem. Au-  
gustinus *epist. 59. ad Paulinum*, explicans de sa-  
crificio Missæ obsecrationes & orationes, quas  
Apostolus commendat *1. ad Timoth. c. 2.* oratio-  
nes tunc fieri dicit, dum id, quod est in Domini-  
ca mensa, benedicitur & sanctificatur, & ad distri-  
buendum comminuitur: *quam totam petitionem,*  
*inquit, serè omnis Ecclesia dominicâ oratione con-*  
*cludit.* Idem *hom. 42. inter 50.* *In Ecclesia ad al-*  
*tare Dei quotidie dicitur oratio dominica, & au-*  
*diunt illam fideles.* Cyrillus Hierosolymitanus *ca-*  
*tech. mystag. 5.* *Post hæc, inquit, nempe post com-*  
*memorationem fidelium defunctorum, dicimus*  
*orationem illam, quam Salvator suis discipulis tra-*  
*didit.* Cæsarius Arelatenſis *hom. 12.* quæ est de  
sacrificio Missæ, ait, *Quando oratio dominica dici-*  
*tur, quis est, qui humiliter aut veraciter clamet, Di-*  
*mitte nobis debita nostra?* Eiusdem meminit  
Ambrosius *lib. 6. de Sacram. cap. ult.* illique ad-  
dita ait hæc verba, quibus caret hodiernus ritus:  
„Audi



„ Audi quid dicat sacerdos. Per Dominum no-  
 „ strum Jesum Christum, in quo tibi est, cum  
 „ quo tibi est honor, laus, gloria, magnificen-  
 „ tia, potestas, cum Spiritu sancto à sæculis, &  
 „ nunc & semper & in omnia sæcula sæculorum.  
 Quod si usus universæ Ecclesiæ à temporibus A-  
 postolorum fuit, hanc orationem in singulis Mis-  
 sis recitare, nescio cur Gregorius in præcitata e-  
 pistola dicat, inconveniens sibi visum eam omit-  
 tere, ac si suo tempore in usu non esset: nec vi-  
 deo, cur hac de causa à quibusdam reprehensus  
 fuerit, ac si novos & græcicos ritus introdu-  
 xisset. An fortè in quotidianis Missis omitteba-  
 tur, ipse autem pristinum morem restituit? Sanè  
 hunc ab usum in Ecclesiis Hispaniarum invaluisse,  
 eodem sæculo, quo Gregorius decessit, con-  
 ciliium IV. Toletanum nos docet c. 9. *Nulli,*  
*inquit, sacerdotum in Hispaniis reperitur, qui do-*  
*minicam orationem, quam Salvator noster docuit &*  
*præcepit, non quotidie, sed tantum die Dominica di-*  
*cunt.* Id autem vetat deinceps fieri, & singulis  
 diebus dici constituit, eum verd, qui præterierit,  
 ordinis sui honore multari jubet. Verùm si at-  
 tentius verba Gregorii considerentur, & cum  
 iis conferantur, quæ de illo Joannes Diaconus  
 scribit *vita ejus lib. 2. cap. 20.* nihil aliud à Gre-  
 gorio statutum fuisse constat, nisi ut loco congruo  
 recitaretur. *Orationem dominicam,* ait Joannes,  
*mox post Canonem super hostiam censuit recitari.*  
 Notat autem Gregorius in eadem epistola, apud  
 Græcos ab omni populo, apud nos à solo sacer-  
 dote dici, qui mos etiam hodie in utraque Ec-  
 clesia græca & latina perseverat. Præmittitur  
 item ab omnibus brevis Præfatio, quâ sacerdos  
 se indignum & degenerem Dei filium agnoscens,  
 protestatur se non audere Deum patrem compellere,  
 nisi Christus monitis & præceptis fiduciam  
 præbere dignatus esset. *Dignos nos redde Domine,*  
*ajunt Græci, qui cum fiducia absque condem-*  
*natione ausimus invocare te Deum patrem celestem,*  
*& dicere: Pater noster.* Maronitæ hæc formulâ  
 utuntur. „ *Aperi Domine Deus ora nostra*  
 „ *& labia nostra, sanctifica corpora nostra*  
 „ *atque animas omnium nostrum, & purifica*  
 „ *intellectus ac mentes nostras, adeo ut supplici-*  
 „ *ter clamemus ad te Deus Pater misericordia-*  
 „ *rum, atque oremus & dicamus: Pater noster,*  
 „ *&c.* Mozarabes diversas habent formulas in  
 singulis Missis, ut in die Natalis Domini.  
 „ *Quod via, ut sequeremur, ostendit, quod vi-*  
 „ *ta, ut loqueremur, docuit: quod veritas, ut*  
 „ *teneremur, instituit; tibi summe Pater cum*

„ *tremore cordis proclamamus è terris, Pater*  
 „ *noſter. In die Reſurrectionis. „ Chriſte Jeſu*  
 „ *bone, qui ad Patrem de cruce clamasti, tu nos*  
 „ *in hac die, qua ipſe de tumulo ſurrexiſti, ad te*  
 „ *clamantes exaudi: quo Reſurrectionis tuæ hi-*  
 „ *lariſſime, gaudentium ora repleantur jubilo lau-*  
 „ *dis, & corda effectum percipiant exoratiſſime,*  
 „ *cum nunc exoraverint ea quæ præcepisti, cla-*  
 „ *mantes atque ita dicentes è terris, Pater noſter,*  
 „ *qui es in cœlis. In aſſumptione B. Mariæ. „ Do-*  
 „ *mine Jeſu Chriſte, qui ſic Virginem matrem*  
 „ *honorificasti, quouſque Aſſumptionis gratia*  
 „ *cam coram te exiſti ſuffragatricem incom-*  
 „ *parabilem, indigni quæſumus divinitatis tuæ*  
 „ *clementiam, quatenus per obtentum illius Bea-*  
 „ *tiſſimæ Genitricis, emundati ab univerſis con-*  
 „ *tagiis, audeamus exclamare & dicere è terris;*  
 „ *Pater noſter qui es in cœlis. Romana Eccleſia*  
 „ *uno ſemper tenore dicit, Præceptis ſalutaribus*  
 „ *moniti, & divina inſtitutione formati, audeamus di-*  
 „ *cere, Pater noſter. Conveniunt ſemper cum Ro-*  
 „ *manis Ambroſiani, excepto die Cœnæ Domini,*  
 „ *quo hæc formulâ utuntur. „ Ipſius præceptum*  
 „ *eſt Domine quod agimus, in cujus nunc te præ-*  
 „ *ſentia poſtulamus. Da ſacrificio authorem*  
 „ *ſuum, ut impleatur fides rei in ſublimitate my-*  
 „ *ſterii, ut, ſicut veritatem cœleſtis ſacrificii exe-*  
 „ *quimur, ſic veritatem dominici corporis &*  
 „ *ſanguinis hauriamus, per eundem Chriſtum*  
 „ *Dominum noſtrum dicentes, Pater noſter.*  
 „ *Diſcrepant etiam aliquantulum in die S. Paſchæ,*  
 „ *nam dicunt: Divino magiſterio edocti, & ſalu-*  
 „ *taribus monitiſſime inſtituti, audeamus dicere, Pater*  
 „ *noſter. Hujus autem formulæ antiquitatem in-*  
 „ *dicat Hieronymus lib. 3. adv. Pelagianos: ſic*  
 „ *docuit Apoſtoloſ ſuos, ut quotidie in corporis*  
 „ *illius ſacrificio credentes, audeant loqui, Pater*  
 „ *noſter. Ad eandem alludit Chromatiſſime Aquile-*  
 „ *ienſis tract. de octo beatitudinibus, Deum nobis*  
 „ *indulſiſſime dicens, ut ipſum patrem dicere audea-*  
 „ *mus.*

II. Hanc olim orationem recitare ſolis initia-  
 tis licitum erat, *Qui enim nondum initiatus eſt,*  
 inquit Chryſoſtomus hom. 21. in Matth. *non po-*  
*teſt patrem appellare Deum.* Ideo Competenti-  
 bus tradi conſueverat feria 4. poſt Dominicam  
 quartam Quadrageſimæ, ut ex Ordine Romano  
 conſtat: & in Africa feria 2. majoris hebdo-  
 madæ, ut oſtendit Auguſtinus hom. 42. ſuperius  
 citata, quam dixit illa die. Tradebatur autem  
 brevi & nervoſâ expoſitione adjuncta, quæ  
 in Ordine Romano & in antiquis codicibus  
 M. SS.



M. SS. extat: neque extra propositum meum erit, aut legenti inutile, eam hic transcribere.

*Pater noster qui es in caelis.* Hæc libertatis vox est, & plena fiducia. Ergo nobis his moribus est vivendum, ut & filii Dei & fratres Christi esse possimus. Nam patrem suum Dominum, quâ temeritate dicere præsumit, qui ab eius voluntate degenerat? Unde vos dilectissimi dignos exhibete adoptione divinâ: quoniam scriptum est, Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

*Sanctificetur nomen tuum.* Non quod Deus nostris sanctificetur orationibus, qui semper est sanctus; sed petimus ut nomen eius sanctificetur in nobis, ut, qui in baptismate eius sanctificamur, in eo quod esse cœpimus, perseveremus.

*Adveniat regnum tuum.* Deus namque noster quando non regnat maximè, cuius regnum est immortale? Sed cum dicimus: Adveniat regnum tuum, regnum petimus advenire à Deo nobis promissum, Christi sanguine & passione quæsitum.

*Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra.* Id est, in eo fiat voluntas tua, ut, quod tu vis in caelo, hoc nos in terra positi irreprehensibiliter faciamus.

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hic spiritalem cibum intelligere debemus. Christus enim panis est noster, qui dixit, Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Quem quotidianum dicens, ita nos semper immunes præcipit esse peccati, ut digni simus cœlestibus alimentis.

*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc pactum est significans nos non aliter peccatorum posse veniam promereri, nisi prius nos in nos delinquentibus aliis veniam relaxemus, sicut in Evangelio Dominus noster dicit: Nisi dimiseritis peccata hominibus, nec vobis Pater vester dimittet peccata vestra.

*Et ne nos inducas in tentationem.* Id est, ne nos patiaris induci ab eo, qui nos tentat pravitatis auctore: nam dicit Scriptura, Deus enim tentator malorum est, diabolus verò est tentator, ad quem evincendum Dominus dicit, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

*Sed libera nos à malo.* Hoc idèd ait, quia dixit Apostolus, Nescitis quid vobis oporteat orare. Unde Deus omnipotens ita à nobis orandus est, ut, quicquid humana fragilitas cavere non prævalet, hoc ille propitiis nobis conferre dignetur Jesus Christus Dominus noster. Qui vivit & regnat cum Deo Patre & Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hactenus antiquus Paraphrastes, qui in petitione 4. subobscurè loquitur de sacramento Eucharistiæ, quod ante baptismum non licebat Catechumenis clarè explicare. Sequutus est autem in hujus petitionis expositione illorum sententiam, qui putant, hic peti panem spiritualemente sive Eucharisticum. Et hunc quidem principaliter petimus, secundario autem quicquid pertinet ad vitæ sustentationem Sacerdotes Græci recitata à populo hac oratione dicunt elata voce: *Quia tibi convenit regnum & virtus & gloria Patri & Filio & sancto Spiritui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Quæ exclamatione à Græcis omnes orationes terminantur. Postrema petitio latius extenditur sequenti deprecatione, *libera nos*, quam præsi rituum expositores græca voce Embolismum vocant, latine interpositionem, sive excrescentiam, aut superaugmentum. Ea siquidem magis exprimitur, à quibus malis liberari petamus, à præteritis scilicet, præsentibus, & futuris, intercedente B. Virgine, cum beatis Apostolis Petro & Paulo, atque Andrea, qui primus ad Apostolatam vocatus fuit. Usus erat antiquus hic addere plures sanctos ad arbitrium sacerdotis. Ita Micrologus asserit cap. 13. *Aliorum Sanctorum nomina annumerare non debemus, nisi quos in canone invenimus antiquitus descriptos, excepto post Pater noster in illa oratione Libera nos, ubi juxta ordinem quorumlibet Sanctorum nomina internumerare possumus.* Honorius in Gemma lib. 1. cap. 109. idem testatur. Vetus Missale M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ num. 483. post hæc verba, atque Andrea, ait: Hic nominat quoque sanctos voluerit. In aliis plerisque M. SS. additos legimus Patronos illius Ecclesiæ, ad quam codex ille pertinebat. Ambrosiani addant Ambrosium. Nonnulli teste Scultingio to. 4. Biblioth. Eccl. P. 1. pag. 74. post hanc orationem, perperam usurpata licentia, sequentem recitant: *Respice Domine Jesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & de sede gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui sursum cum Patre sedes, & hic nobiscum invisibiliter ades, & dignare potenti manu tua participes nos facere immaculati corporis tui & pretiosi sanguinis, & per nos omnem populum. Qui vivis.*

III. Orationi *Libera nos* consueta clausula apponitur *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, quam dum profert Sacerdos, hostiam frangit ritu antiquissimo, & cum ipsa hujus sacramenti institutione exorto. Christus enim in mystica cœna

D d d d

acceptit



accepit panem, benedixit & fregit, deditque discipulis suis dicens: *Hoc est corpus meum*. Et quia præcepit Apostolis, ut idem in ejus commemorationem facerent, eundem morem & ipsi sequuti sunt, & Ecclesiæ tradiderunt. Ideo in actis ipsorum legimus *cap. 20.* quod die Dominico conveniebant cum Fidelibus ad frangendum panem: ipsique fideles supra *cap. 2.* perseverasse narrantur in communicatione fractionis panis. Non utique panis comminis, sed Eucharistici, de quo ait Apostolus *1. ad Cor. cap. 10.* panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Hunc igitur ritum ex Domini traditione accepimus, qui passionem suam mox futuram ea fractione designavit. Ideo Ecclesia, quæ hoc sacrificio incruento eandem passionem quotidie repræsentat, corpus ejus sub specie panis immolatum quotidie frangit, quia quæ sunt in speciebus panis, in Christi corpore dicuntur fieri, quod sub illis reipsa existere non dubitamus. Frangitur autem & dividitur ad divisionem specierum, ipso in se integro permanente & in qualibet particula existente; sicut anima rationalis, ut præclare dixit Augustinus *lib. 6. de Trinit. cap. 6.* *Et in toto corpore tota est, & in qualibet ejus parte tota est.* Aptè id explicat Cæsarius *lib. 3. dialog. Interrog. 169.* *Credimus secundum sermonem divinum id esse corpus dominicum, quod in divina mensa sanctè consecratur, & uniuerso cœtui sacro absque sectione dividitur, & absque defectu participatur.* Hoc sensu Chrysostomus *hom. 24. in 1. ad Corinthios* exponens Pauli verba, *Panis quem frangimus*, ait: „Hoc licet videre fieri in Eucharistia, in cruce autem non item, sed utique ei contrarium, os enim, inquit, ejus non conteretur: Sed quod non est passus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, ut omnes impleat. Dividitur enim, ut scitè dixit Cæsarius, sine sectione; frangitur incruenta fractione, eodem modo quo Christus in cœna corpus suum fregit absque scissura & dolore: quod multò magis nunc fit, cum ejus corpus immortale est, nullique passioni obnoxium. Sed hæc obiter dicta sint: nam fusior hujus mysterii explicatio ad Theologos spectat. Hujus fractionis tamquam in Ecclesia semper & ubique à temporibus Apostolorum usitata mentionem faciunt sancti Patres, & alii Ecclesiastici scriptores. Clemens Alexandrinus *lib. 1. Strom.* „Cum Eucharistiam, ut mos est, dividerint, permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere. Dionysius *cap. 3. Eccl. Hierarch. §. 13.*

„Pontifex obtesta munera in apertum producit, ipsoformque unitatem in plura dividit. Gregorius Nazianz. *epist. 240. ad Amphilochem.* „O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris orare & intercedere pro nobis, quando dicto alieis Verbum Dei: quando incruenta sectione corpus & sanguinem Dominicum secas, vocem adhibens pro gladio. Augustinus *epist. 59. ad Paulinum loquens de pane Eucharistico: Cum benedicatur, inquit, & sanctificatur, & ad quoque distribuendum comminuitur.* Omitto alios innumeros, præsertim recentiores. Liturgiæ quæcumque extant, hanc fractionem præscribunt, ejusque mytheria edisserunt sacrorum rituum expositores Amalarius *lib. 3. cap. 31.* Walfridus *cap. 22. Micrologus cap. 18. & 23.* Ivo Carnotensis *tract. de convenientia vet. & novi sacrificii propè finem.* Hugo à S. Victore *lib. 2. de Eccl. off. c. 39.* Honorius in *Gemma lib. 1. c. 63.* Germanus in expositione Liturgiæ; quibus addi possunt S. Thomas *3. parte, qu. 83. art. 5.* Ernulphus Roffensis *Episcopus epist. 2. tom. 2. Spicilegii, quest. 2. & alii passim.*

IV. Latini dividunt in tres partes, Græci & reliqui orientales in quatuor, Mozarabes in novem. Olim fracta hostiâ, una pars servabatur usque ad finem Missæ, ut ex Sergio Papa refert Gratianus *de consecr. dist. 2. c. 22.* quam pro infirmis reservatam fuisse asserit Micrologus. Ordo quoque Romanus ait, particulam oblatæ quam frangit Pontifex, ab eo relinqui super altare. Maronitæ, dum hostiam frangunt; „Credidimus, inquit, & obtulimus, signamus & frangimus Eucharistiam hanc, panem cœlestem, corpus Verbi Dei vivi in calice salutis & gratiarum actionis; signamus in face ardenti, propitianti, & plena mysteriis ab excelso: in nomine Patris vivi in vitam: & Filii Unigeniti & sancti, geniti ab eo, & illi consubstantialis in vitam: & Spiritus sancti principii & finis & sigilli totius quod factum est & fit in cœlo & in terra. Una virtus, una potestas, una voluntas: unus Deus verus, benedictus & excelsus, in quo non est divisio, à quo est vita in sæcula sæculorum. Amen. Græci frangunt statim post elevationem hoc modo. Diaconus stans à dextris sacerdotis ait: *Divide Domine panem sanctum.* Sacerdos vero frangit in quatuor partes dicens: „Frangitur, & dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur, & non comminuitur: qui semper comeditur & non consumitur: sed eos qui sunt participes sanctificat. Tum accipit partem unam, & in manu



manu tenet, & Diaconus ostendens sacrum calicem dicit, *Imple Domine sanctum calicem.* Ait Sacerdos, *Plenitudo fidei Spiritus sancti.* Et exprimens signum crucis immittit in sanctum calicem. Quid verò per plenitudinem Spiritus sancti Patres Græci hoc loco intelligant, luculenter edisserit Isaacius Habertus *ad partem X. Liturgiæ ordin. observ. 4.* Ritu Ambrosiano post orationem *Per quem hæc omnia,* sacerdos dividit hostiam super calicem dicens, *Corpus tuum frangitur Christe, calix benedicitur.* Tum aliam detrahit particulam dicens, *Sanguis tuus sit semper ad vitam, & ad salvandas animas, Deus nosse.* Mox particulam ponens in calicem ait: *Commixtio consecrati corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi nobis edentibus & sumentibus proficiat ad vitam & gaudium sempiternum.* Interim chorus concinit Antiphonam, quam vocant Confractorium, statimque sequitur oratio Dominica, & post eam libera nos: deinde, *Pax & communicatio Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum.* Et Diaconus subdit, *Offerte vobis pacem;* choro respondente *Deo gratias.* Romano more Sacerdos fracta hostia in duas partes æquales; unâque deposita super patena, ex altera parte, quam tenet sinistra manu, aliam particulam decerpit, qua ter signans calicem, dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum:* quæ salutatio in Ordine Romano, & in omnibus antiquis Missalibus reperitur. Illam verò particulam mittit in calicem dicens: *Hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Abest à quibusdam codicibus vox *consecratio,* quæ de exteriori quadam consecratione ex corporis & sanguinis mixtionem intelligenda est: quamvis enim nec corpus sine sanguine, nec sanguis sine corpore sit, quia tamen seorsum corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini consecrantur, justis de causis, quas tradunt Missæ expositores, statutum est, ut corpus sanguini misceretur. Extat hæc mixtio in Liturgia Jacobi, & in vetustissimo Ordine Romano, aliisque Missalibus, sed oratio quæ miscendo dicitur, in diversis codicibus aliis verbis concepta est, quæ tamen idem significant, ut ex infra scriptis formulis apparet. In codice Rotaldi apud Menardum: *Hæc sacrosancta commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus sumentibus salutis mentis & corporis, & ad vitam capiendam æternam præparatio salutaris.* In codice Tiliano apud eundem: *Sancti sanguinis commixtio cum sancto corpore Domini nostri Jesu Christi profit omnibus*

*sumentibus ad vitam æternam.* Apud Micrologum cap. 23. *Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam.* Ritu Maronitarum dum sacerdos ponit particulam in calice, dicit: „*Conjuxisti Domine divinitatem tuam, cum humanitate nostra, & humanitatem nostram cum divinitate tua, & vitam tuam cum mortalitate nostra, & mortalitatem nostram cum vita tua. Tu nostrum tulisti nobis tuum in vitam & salutem animarum nostrarum. Tu gloria in sæcula. Amen.*“

## CAPUT XVI.

*Benedictiones Episcopales ante communionem, & priscus earum usus. De duplici benedictione in Missa. Olim preces indite post Orationem Dominicam. Mos antiquus denuntiandi festa, jejunia, aliasque functiones post fractionem hostiæ. Ritus dicendi Agnus Dei, quando vel à quo institutus. Orationes ante communionem. Osculum pacis. Quædam obiter de osculo.*

I. **O**lim post orationem *Libera nos,* antequam Sacerdos diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum,* interponi solebat benedictio, quam Scriptores sacrorum rituum Episcopalem vocant, quia ad solum Episcopum pertinebat. Extant hujusmodi benedictiones in vetustis libris Sacramentorum, & in Romano Pontificali edito sub Leone X. Sunt etiam seorsum M. SS. in codicibus Vaticanis. Constant tribus capitulis seu precationibus, & nonnunquam quatuor, addita conclusionem, ut mox videbimus: singulis autem responderetur *Amen.* Ex recentioribus Pontificalibus expunctæ sunt, earum tamen usum in quibusdam Ecclesiis adhuc vigere testatur Menardus in notis ad librum Sacramentorum Gregorii pag. 30. Earum meminit Ordo Romanus in prima Missæ descriptione his verbis. *Post solutas, ut in his partibus mos est, Pontificales benedictiones, cum dixerit, Pax Domini sit semper vobiscum, mittit in calicem de sancta oblata.* Et in secunda ait idem Ordo: *Episcopo dicent. Per omnia sæcula sæculorum, nempe post libera nos, accipiat Diaconus benedictionalem librum, & conversus ad populum dicat, Humiliate vos ad benedictionem; & clero respondente Deo gratias,*



porrigat Episcopo librum. Expleta autem benedictione, veniens Presbyter accipiat pacem ab Episcopo, eandem cæteris oblaturus. Eiusdem benedictionis ritus sic fusiùs describitur in Missali Vaticano M. S. cod. 4743. Responso Amen post orationem Libera, Pontifex ponit particulam super patenam. Tum Diaconus ad populum conversus cambucam, ita baculum pastoralem vocant medii reu scriptores, in manibus tenens dicit alta voce: Humiliate vos ad benedictionem, & chorus respondet Amen. Et statim cantat alta voce, Princeps Ecclesiæ, pastor ovilis, tu nos benedicere digneris. Mox diaconus rursus ait: Cum mansuetudine & charitate humiliate vos ad benedictionem. Chorus dicit: Humili voce clamantes atque dicentes Deo gratias semper agamus. *Qui- bus dictis Pontifex convertit se ad populum ante medium altaris, & legit benedictionem solemnitati congruentem, qua data ait: Et pax ejus sit semper vobiscum: tum particulam mittit in calicem dicens, Fiat commixtio. Idem ferè ritus habetur in Pontificali M. S. Bibliothecæ Barberinæ num. 1866. & in aliis codicibus apud Menardum p. 27. Ritu Mozarabum non solum episcopi, sed omnes presbyteri hanc benedictionem in singulis Missis impertiri solent; de qua re loquitur canon 17. Concilii IV. Toletani: „ Nonnulli „ Sacerdotes post dictam orationem Dominicam „ statim communicant, & postea benedictionem „ in populo dant, quod deinceps interdiximus, „ sed post orationem Dominicam, & conjun- „ ctionem panis & calicis benedictio in populum „ sequatur.*

II. Harum benedictionum formulam pro singulis Missis, apud Pamelium habemus tom. 2. Liturgicorum post librum sacramentorum Grimaldi Abbatis, quarum prima hæc est in Adventu Domini.

Omnipotens Deus, cujus Unigeniti adventum & præteritum creditis & futurum expectatis, ejusdem adventus vos illustratione sanctificet, & sua benedictione locupletet. Respondet chorus. Amen.

In præsentis vitæ stadio vos ab omni adversitate defendat, & se vobis in judicio placabilem ostendat. Amen. Quo à cunctis peccatorum contagiis liberati, illius tremendi examinis diem expectetis inter- ruiti. Amen.

Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, & Pax Domini sit semper vobiscum.

Item in Nativitate S. Joannis Baptistæ.

Benedicat vobis omnipotens Deus B. Joannis Baptistæ intercessione, cujus hodie natalitia celebratis, concedatque, ut cujus solemnia colitis, patrocinia sentiat. Amen.

Illius obtentu ab omnibus adversis tucamini, & bonis omnibus persruamini, qui adventum Redemptoris mundi necdum natus agnovit, matris sterilitatem nascendo abstulit, patris linguam natus absolvit. Amen.

Quatenus ipsius Agni, quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redempti, ita virtutum lanis vestiri, & innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ patriæ felicitate possitis adjungi. Amen.

Quod Ipse præstare. Benedictio Dei Patris, ut supra. Istæ enim clausulæ semper postremo loco adjunguntur: & per ultimam, ut patet, connectitur antecedenti benedictioni subsequens saluatio, Pax Domini. Ultima verò clausula in præcitato codice Vaticano num. 4743. his verbis concipitur: Benedictio Dei patris omnipotentis & Filii & Spiritus sancti descendat super vos & maneat semper. Amen. Tum additur hæc notula: Isto loco Indulgentia pronuntiat: & postea dicit, Et Pax ejus sit semper vobiscum; faciendo cum hostia, sicut est fieri consuetum, tres cruces.

Mozarabes hanc benedictionem conferunt hoc ritu. Dicit Diaconus, Humiliate vos benedictioni. Tum ait Sacerdos, Dominus sit semper vobiscum. Respondet chorus, Et cum Spiritu tuo. Deinde Presbyter legit benedictiones: quarum formula hæc est. Dominica prima Adventus.

Illustrat vos Unigenitus Dei Filius lumine adventus sui, qui vos redimere non dedignatus est pretio sanguinis proprii. Amen.

Accingat vos virtutibus pacis, & ditet muneribus copiosis. Amen.

Ipsamque Dominum semper habeatis protectorem, quem omnipotens Pater suscipiavit de viribus Juda victorem. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus & vivit, & omnia regit in secula seculorum. Amen.

In veteri quoque Missali, quod Gallicanum supra nuncupavimus, similes benedictiones reperuntur, quæ quatuor vel quinque continent petitiones, ut in Missa S. Cæciliæ.

Summe, optime, misericordissime Deus, benedic famulos, & famulas tuas. Amen.

Tribue eis per interventum S. Cæciliæ virgi- nis



*nisi cor in tuo amore sollicitum, in tuo timore devotum, in tuo fervore perfectum. Amen.*

*Da eis tranquillitatem temporum, salubritatem corporum, salutem animarum. Amen.*

*Mereantur te fide querere, operibus invenire, gratia promereri. Amen.*

*Et illa studeant agere te teste, quæ digna fiant in remuneratione te iudice. Amen.*

*Quod ipse præstare digneris, qui in Trinitate perfecta visus, dominaris, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

De hac benedictione loquitur Cæsarius Arelatenfis hom. 8. inter eas quas nuper edidit Stephanus Balufius, his verbis: *quia præmissa oratione Dominica benedictio vobis non ab homine, sed per hominem datur, grato & pio animo, humiliato corpore, & corde compuncto, rorem divine benedictionis accipite, ut fiat in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam.* Similes benedictiones plura capita continent leguntur apud Hincmarum in coronationibus Regum Caroli Calvi, & Ludovici, in fine tomi primi. Hujus item benedictionis tanquam communiter tunc usitatæ mentionem faciunt Acta Concilii Lemovicensis apud Baronium anno 1034. in causa Apostolatus S. Martialis. *Cum ad horam fractionis Dominici corporis ventum esset, atque ex more Archiepiscopus benedictionem funderet super populum, intersevit B. Martialis nominis mentionem, ita dicens: Benedicat & custodiat vos omnipotens Deus, domique hanc sui numinis præsentia illustrare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedatque propitius, ut omnes, qui ad solemnitatem anniversariam hujus Basilicæ hodierna die convenistis, intercedente B. Martiale Apostolo, & cæteris Sanctis ejus, quorum Reliquiæ hinc pio venerantur amore, vobiscum hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. Amen. Quatenus eorum interventione ipsi templum sancti Spiritus, in quo Deus Trinitas jugiter habitare dignetur, effecti, post hujus vitæ labentis excursus ad gaudia æterna feliciter venire mereamini; & cætera quæ Episcopali benedictione, proferri solitum est.* Hactenus acta illius Concilii.

III. Hunc ritum ignorantes quidam scriptores nostri temporis, & prisca mores ex hodierno usu perperam aestimantes, confundunt hanc benedictionem Episcopalem cum ea, quæ in fine Missæ ab omnibus Presbyteris dari consuevit: & cum legunt in Concilio Agathensi sub Symmacho c. 44. *Benedictionem super plebem in Ecclesia*

*funderet, aut penitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non licebit:* vel hunc canonem intelligendum esse, ajunt de benedictione extra Missarum solemniam, qualem Episcopi per Ecclesiam incedentes largiri solent: vel mendum in eum irrepsisse. Id verò confidentius asserunt, quia alia sanctio in eodem concilio extat c. 47. priori contraria, ut ipsi putant. *Missas, inquit, die Dominico secularibus totas tenere speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat.* Hoc igitur canone prior destrui vel corrigi videtur: nam hic præcipit, ut populus non discedat ante benedictionem Sacerdotis; ille autem edicit non licere Presbytero benedicere. At nullo modo concilium duo sibi adversantia constituit. In priori etenim canone sermo est de benedictione Episcopali intra Missarum solemniam, & de solemnibus ac publicis penitentium reconciliationibus, quæ duo ad solos episcopos tunc pertinebant: & hanc esse veram & communem illius canonis interpretationem asserit Microl. c. 21. Posterior autem sanctio vel nomine sacerdotis episcopum intelligit, pro ut usus illorum temporum ferebat, & benedictio de qua loquitur illa est, quam dabat Episcopus post Dominici corporis confractionem: vel ut indicat Microl. benedictionis nomine intelligitur oratio, quæ post communionem dicitur. Porro hoc firmiter stabilitur, quia aliunde non constat, quod eo tempore benedictio, pro ut hodie accipitur, in fine Missæ dari solet: & nos supra ostendimus, nomen benedictionis olim Collectis sive orationibus tributum. Hanc meam expositionem confirmat Walfridus Strabo c. 22. licet Concilium Aurelianense nominet pro Agathensi. Illi ad stipulantur Amalarius & Rabanus, quorum verba expendens Bernardus in notis ad librum Sacramentorum, licet fateatur in antiquis Missis & codicibus M. SS. nullam reperiri in fine Missæ benedictionem, canonem tamen Agathensem loqui existimat de benedictione, quæ datur peracta Missa: *nam si hæc benedictio, ait ille pag. 28. non daretur in fine Missæ, sed ante communionem, illa data populus egrediens non interesset integræ Missæ, quæ ante communionem discederet.* Sed hoc erat illi probandum, quod hujusmodi finalis benedictio tunc esset in usu, aliquid enim afferenti absque legitima probatione non creditur: neque satis percipio, quomodo sequentia Cæsarii Arelatenfis verba, quibus ad confirmandam suam sententiam utitur, benedictioni in fine Missæ aptari possint. *Qui vult Missas, ait Cæsarius hom. 12. ad integrum cum*



lucro animæ suæ celebrare, usquequo oratio Dominica dicatur & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde debet se in Ecclesia continere. Sanè hîc benedictio connectitur cum oratione Dominica, & de illa proculdubio sermo est, quæ post ipsam orationem ab Episcopo dari consueverat. Idem sancitum fuit in Concilio III. Aurelianensi can. 28. *De Missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica dicatur oratio: & si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur.* Ubi vides, præceptum Concilii ad illos primitus dirigi, qui nondum recitata Dominica oratione ab Ecclesia egrediebantur: tum subdit, quod si Episcopus præsens fuerit, ipsius benedictio, quæ post prædictam orationem dari consueverat, expectetur. Sed dices, Ergo licitum erit ante communionem discedere, Missa nondum peracta. Ita planè, si mores attendantur illius ævi, quo omnes qui aderant Missæ communicabant: quicumque enim aut non poterant, aut nolebant mysteriorum esse participes, absoluto canone priusquam oratio Dominica recitaretur, ab Ecclesia discedebant, quia, quod reliquum erat, ad communionem pertinebat; ipsa scilicet oratio & benedictio Antistitis atque osculum pacis tanquam dispositio; ut his expiati puriores ad divinam mensam accederent: mox ipsa communicatio sequebatur, & post eam gratiarum actio. Juber ergo Concilium, ut saltem permaneant, donec recitata Dominica oratione, Episcopali benedictione muniti discedant. Idem præcipit, ni fallor, verbis citatis Cæsarius, quia fortassis ea tunc erat in illis regionibus consuetudo sive abusus. Observo tamen canonem, de quo sermo est, totidem verbis insertum esse Capitularibus Caroli Magni lib. 7. cap. 210. cum hac additione, *Neque ante Missam expletam quis egredi præsumat:* quæ verba aliud mandatum à superiori distinctum continent, permanendi in Ecclesia usque ad finem Missæ: ac hoc fortassis addiderunt Episcopi, qui jussu Caroli Magni Capitulare compilarunt, trecentis serè annis post dictum Concilium, habita suorum temporum consideratione. Nec obstat his, quæ hæcenus dicta sunt, Concilii primi Aurelianensis canon 28. apud Biniium. „Cum ad celebrandas Missas „in Dei nomine convenitur, populus non ante „discedat, quam Missæ solemnitas compleatur, „& ubi Episcopus non fuerit, benedictionem „accipiat Sacerdotis. Nam ut testatur Carolus le Coite to. 1. *Annal. Eccl. Francorum an. 511.* aliter legitur hic canon in Codicibus M. SS.

expuncta scilicet negatione, & ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis. Quam sanè negationem idem auctor à Collectoribus canonum adjunctam fuisse arbitrat, quia Sacerdotem hoc loco diversum ab Episcopo putarunt, cum idem sit. Loquitur ergo Concilium de benedictione Episcopali post Dominicam orationem; quia Presbyteri non benedicebant, nec ulla tunc erat in fine Missæ benedictio. Hinc autem liquet, eradicandæ prævæ consuetudini, quæ irreperat, exeundi ante communionem, illarum partium Episcopos semper in Synodis incubuisse. Hæc occasione Episcopatum benedictionum dicta sunt, quas solemnes vocat Guibertus Tornacensis, qui vivebat an. 1260. lib. de offic. Episcopi cap. 2. „Solemnes, inquit, benedictiones ad solemnes pertinent Sacerdotes, „scilicet ad Pontifices, quas solemniter per solemnes exhibent dies, quæ causam & originem „nanciscuntur ex eis quæ in Numeris sic leguntur. Loquutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron & filiis ejus, sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. *Tres igitur clausule in hac benedictione tanguntur, & tres clausule similiter in benedictionibus Episcopi solemnes apponuntur.* Et post allatas earum mysticas rationes, easdem ait pro festorum & temporum differentia variari. *Sunt & aliæ, inquit idem cap. 3. benedictiones non solemnes, quæ in fine Missæ conferuntur populo tam per Episcopos, quam per minores alios sacerdotes: jam enim ipso vivente instituta fuerat benedictio expleta Missæ.* Alias quoque recenset benedictiones minus solemnes cap. 4. *quæ usitato & communi nomine benedictiones dicuntur, & quadragesimali tempore conferuntur, cum humiliare Deo capita jubemur.* Hinc verò confirmatur, quod supra dictum est, sumi quandoque nomen benedictionis pro Collecta sive oratione, quæ in fine Missæ recitatur.

IV. Nicolaus III. ad impetrandam pacem inter Principes christianos statuit in Missa solemniter postquam Sacerdos dixit *Pax Domini sit semper vobiscum*, ante *Agnus Dei* cantari psalmum *Laturus sum* cum aliquod versiculis & Collecta pro pace. Idemque constituit Joannes XXII. pro tollendo schismate, ut testatur Angelus Roccha in Paralipomenis commentarii de campanis. Idem psalmus cum precibus extat in Missali Cister.



Cisterciensi dicendus post *Pater noster* pro pace Ecclesiastica & temporalis. Missale Sarisburiense editum Parisiis anno 1557. in Quadragesima & certis feriis tres psalmos dici decernit, antequam dicitur *Pax Domini*, nempe, *Deus venerunt gentes. Deus misereatur. Domine in virtute tua*, cum Antiphona *Tua est potentia*, & post eam precibus ac tribus orationibus, quarum prima est pro recuperatione Terræ sanctæ, altera pro Pontifice, tertia pro Rege. In libro Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ ante annos nongentos scripto, quem sæpe citavimus, post salutationem *Pax Domini sit semper vobiscum*, hæc ex usu illorum temporum adnotantur. „ *Post hæc com-  
menda plebs pro jejuniis quarti, septimi,  
, & decimi mensis temporibus suis: sive pro  
scrutinii, vel aurium apertione: sive orandum  
pro infirmis, vel annuntianda Natalitia San-  
ctorum. Hæc sunt autem in hoc codice formula  
Denunciationum:*

**Denunciatio jejunii.** *Anniversaria fratres carissimi, jejunii puritate, qua & corporis acquiritur & animæ sanctitas; nos commonet illius mensis instaurata devotio: Quarta igitur & sexta feria solito convenientes occursum offeramus Deo spirituale jejunium. Die verò Sabbati apud B. Petrum, cuius nos intercessionibus credimus adjuvandos, sanctas vigilias christiana pietate celebremus, ut per hanc institutionem saluiferam peccatorum sordes, quas corporis fragilitate contraximus, jejuniis & elemosynis ablquam. Auxiliante Domino Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum. Jejuniorum autem denunciatio necessaria olim fuit, quia statam & definitam sedem non habebant. Vetus quidem consuetudo fuit, ut jejunium æstivum mense Junio, autumnale Septembri, hiemale Decembri fieret, in designanda autem hebdomada diversis diversarum Ecclesiarum mos erat, ut notat Sirmondus ad epist. 23. lib. 3. Goffridi Vindocinensis. Gregorium VII. certam eis hebdomadam assignasse docet Micrologus, sed ejus decretum non statim ubique promulgatum fuit: nam Goffridus ibidem, ac si res adhuc incerta foret, ab Hildeberto Episcopo quaerit, qua hebdomada Junii jejunium celebrari deberet.*

**Denunciatio pro scrutinio.** *Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri divinitus instruuntur, imminere cognoscite. Ideoque sollicita devotione illa feria cir-*

*ca horam diei sextam convenire dignemini, ut caeleste mysterium, quo diabolus cum sua pompa destruitur, & janua regni caelestis aperitur, inculpabili Deo juvante ministerio peragere valeamus.*

**Denunciatio pro Natalitiis Sanctorum.** *Novem vestra devotio, sanctissimi fratres, quod B. Martyris illius anniversarius dies intrat, quo diaboli tentationes exuperans universitatis creatori gloriosa passione conjunctus est. Ideoque Dominum collaudemus, qui est mirabilis in sanctis suis, ut, qui illis victoria coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa via, illa feria hanc eandem festivitatem solita devotione celebremus.*

**Denunciatio cum reliquiæ Martyris ponendæ sunt.** *Dilectissimi fratres, inter cætera virtutum solemnia, quæ ad gloriam pertinent Christi Domini nostri, hoc quoque præstitit Martyribus, qui pro nominis ejus confessione morte suscepta caelestia præmia meruerunt, ut fidelium votis, eorum præclaris Reliquiis collocari, integritas sancti corporis esse credatur. Et ideo commonemus dilectionem vestram, quoniam illa feria, illo loco, Reliquiæ sancti illius Martyris collocandæ sunt. Quæsumus ut vestram præsentiam nobis admonentibus non negetis. Hæc Denunciationes in notis ad librum Sacramentorum commemorat Menardus ex Codice Remensi pag. 164. & 208. ubi etiam testatur, postquam dixerat Sacerdos, *Pax Domini sit semper vobiscum*, eas legi consuevisse.*

V. *Confracta hostiæ & immissa in calicem particulâ, sequitur deprecatio ad Christum Agnum Dei tollentem peccata mundi, incurrentem a Sacerdote immolatum, de quo ad se veniente testimonium perhibuit Joannes Baptistâ dicens, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ex quo Præcursoris elogio mos emanavit pingendi Christum in forma Agni, quem synodus Trullana c. 82. ausu temerario convellere tentavit, prohibens ne deinceps Christus Dominus sub Agni figura pingeretur. Sed pseudosynodi conatibus resistit Romana Ecclesia, quæ veterem usum semper retinuit. Et Sergius I. summus Pontifex, teste Anastasio, statuit ut tempore confractionis dominici corporis, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, miserere nobis, à clero & populo decantaretur. Apud Græcos antiquior est Agni Dei mentio in sacris solemnibus, sed non per modum precatiois. Jacobus in Liturgia:*  
Ecce



Eccē Agnus Dei, filius Patris, qui tollis peccata mundi. Et in Liturgia Chrylostomi Sacerdos divisurus sanctum panem dicit, *Frangitur & dividitur Agnus Dei, filius Patris.* Hac autem Agni in græca synaxi commemoratione quidam decepti, & eam ad Latinoꝝum precationem trahentes, scripserunt ante Sergium cœpisse, & concilio Nicæno antiquiorem, vel certe cœvā existimant. Et Sergius quidem instituit ter dici *Miserere nobis*; sed multis postea ingruentibus Ecclesiæ adversitatibus, ut ait Innocentius lib. 6. de mysteriis Missæ cap. 6. sive ad tollendum schisma, ut alii scribunt, statutum fuit, ut in tertio diceretur, *dona nobis pacem*; qui ritus ubique receptus est, exceptā Basilicā Lateranensī, in qua adhuc servatur antiqua forma dicendi ter, *miserere nobis.* In antiquis Missalibus ante annum millesimum scriptis, hæc oratio tertio reperitur cum clausula, *Miserere nobis*: ex quo apparet, prædictam mutationem post eum annum contigisse. A quo Pontifice statuta fuerit, nusquam memini me legisse. At si verax est Robertus Abbas Montensis in supplemento Chronici Sigiberti, hæc pacis postulationem attulit è cœlo B. Virgo. Apparuit enim, ut ipse refert anno 1183. cuidam fabro lignario opus facienti in sylva, deditque illi sigillum cum imagine sua & Filii sui, & cum hac inscriptione: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*: iussitque ut ferret ad Episcopum, atque ei diceret, ut qui vellent pacem Ecclesiæ, facerent huiusmodi sigilla, & portarent in signum pacis. In quodam Missali antiquo sic interpolatam repertā privatā quorundam licentiā hanc precationem. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, crimina tollis, aspera mollis, Agnus honoris, miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, vulnera sanas, ardua planas, Agnus amoris, miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, sordida mundas, cuncta secundas, Agnus odoris, dona nobis pacem.*

VI. Ante communionem tres orationes Romano ritu præmitti solent, non ex antiqua summiſſorum Pontificum institutione, sed ex religionum traditione, ut ait Micrologus cap. 18. Prima est, qua Sacerdos pacem precatur Ecclesiæ, postquam sequitur osculum pacis, quo ipse Ministros, tum illi, omnesque fideles se invicem salutant in signum unionis & mutue charitatis. Apostolicum institutum hoc est, ut per solemniam pacis sacrificii consummatio fiat. Et Romani quidem atque Ambrosiani hoc loco, Græci vero & alii Orientales, itemque Mozarabes, ante

Præfationem dant osculum pacis, diverso ritu, sed eadem fide & religione, ut ostendant se omnes in Christo unum esse; eosque dumtaxat divinorum munerum participatione dignos cœleri, qui pacem fratribus verbo & opere impendant. In Liturgia Jacobi, post symboli recitationem porrigitur osculum præmonente Diacono, *Osculemur nos in osculo sancto.* In Liturgia Chrylostomi ante symbolum ait Diaconus, *Diligamus nos invicem, ut in concordia consistamur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Apud Maronitas Sacerdos ante Præfationem dat pacem altari & mysteriis dicens: *Pax tecum altare Dei, & pax mysteriis sanctis positis super te.* Et dat pacem ministro dicens: *Pax tibi minister Spiritus sancti.* Minister dicit: *Veni in pace Pater noster, Sacerdos candide.* Et dant pacem in Ecclesia. Mozarabes in singulis Missis proprias habent orationes pro osculo pacis, quibus breviter à Deo petunt, ut oscula fidelia sint, & pax sincera: ut per exterioris hominis osculum, indisrupta maneat interioris hominis pax: ut pacem, quam ore annuntiant, opere impleant: ut una dilectionis copula jungat, quos unius fidei sacramenta locupletant. Similes habentur precationes in Missali Gallicano, orat enim Sacerdos in Missa Epiphaniæ, ut osculum, quod in labiis datur, non negetur in cordibus: in Missa sancti Clementis, ut, qui in præfenti labiorum impressione illigati fuerint osculo, Dei custodia pacifici permaneant in futuro: in Cathedra sancti Petri, ut, qui ex præcepto junguntur osculo, livore peccatoris excludo, illic per gratiam ducantur, ubi est Petrus janitor cœli. Ritu Ambrosiano dicit Diaconus, *offerre vobis pacem.* Chorus autem respondet, *Deo gratias.* Et præmissa oratione, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, prout in Romano, datur Pax.* In quibusdam Missalibus M. SS. Diaconus ait, *Habere vinculum pacis & charitatis, ut apri sitis sacrosanctis mysteriis.* Et circumstantes se invicem osculantes dicunt, *Pax Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus nostris.* In aliis sunt orationes peculiare, quibus Sacerdos, dum se populus invicem osculatur, Deum rogat, ut omnes pacificare dignetur. Errant qui Innocentio I. huius osculi institutionem adscribunt: non enim instituit, sed ab usum emendavit, qui irreperat, ut contra usum Romanæ Ecclesiæ pax alicubi ante consecrta mysteria traderetur, cum necessario indicenda sit post consecrationem, ut pacis osculo demonstraretur populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur atque in Ecclesia cele-



celebrantur, præbuisse consensum. Ita ille scribit *epist. 29.* ad Decentium Episcopum Eugubinum. Deinde ejusdem osculi, tanquam ab Apostolis instituti mentionem faciunt veteres & orthodoxi Patres, Tertullianus de Orat. cap. 14. „Alia jam consuetudo invaluit, jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra? Quale sacrificium, à quo sine pace receditur? Et lib. 2. ad uxorem cap. 4. non passurum ait maritum infidelem, uxorem fidelem alicui fratrum ad osculum convenire. Narrat Optatus Milevitanus lib. 1. Lucillam feminam potentem & factiosam, quæ schismati Donatistarum occasionem præbuit, solitam fuisse ante communionem osculum cujusdam Martyris, si tamen Martyris, aut si Martyris, necdum vindicati, osculari: qua de re à Cœcilianò tunc archidiacono, postea Episcopo Carthaginensi correpta, ipsi Cœcilianò irata, schisma adversus illum suscitavit. Hanc autem mulierem idè reprehensam puto, quod fraternum osculum, quod sibi mutuo ante susceptionem corporis Christi præbebant fideles, vel dedignata, vel eo non contenta, incertas insuper reliquias osculari præsumeret. Meminit ejusdem osculi Dionysius *cap. 3. eccl. Hierarchie*, itemque Justinus Martyr *Apolog. 2.* quibus suffragantur alii Patres græci & latini. Cyrillus Hierosolymitanus initio Catechesis quintæ: „Clamat Diaconus, complectimini & osculamini vos invicem; atque tunc mutuo nos osculo salutamus. Hieronymus *epist. 62.* ad Theophilum Alexandrinum. „Quisquamne extensa manu vertit faciem, & inter sacras epulas Judæ osculum porrigit? Augustinus *serm. 83.* de diversis: „Ecce ubi peracta est sanctificatio, dicimus orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis. Post ipsam dicitur, Pax vobis, & osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia fiat in conscientia. Id est, quo modo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde ejus non recedat. Chrysostomus *l. 1. de compunctione*: „Osculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur, in usu est; sed vereor, ne fortè plures ex vobis labiis hoc tantummodò faciant, cum Christus pacem non ex ore, sed ex corde desideret. Anastasius Synaita orat. de Sancta Synaxi: „Propter hoc ipsum nos mutuo in osculo pacis amplectamur, ut omni colligatione impietatis & cordis duri-

tie abjecta, puro corde ad Dominum accedamus. In actis S. Mariæ Ægyptiacæ, *Pacis osculum obtulit seniori, & sic vivifica dona suscepit.* Gregorius *3. dialog. c. 36.* navim describens tempestate agitatam, omnes qui in ea erant, pacem sibi dedisse ait, corpusque & sanguinem Redemptoris accepisse. Huc pertinet, quod non semel Apostolus hortatur fideles, ut salutent se invicem in osculo sancto: ex quo, inquit Haymo Halberstaden. in *epist. ad Romanos c. 16.* „mos traditus est Ecclesiæ, ut convenientes fideles ad audiendam verbum divinum, Missarumque celebrationem, post orationes osculo dilectionis suscipiant se invicem.

VII. Erat autem osculum non solius communionis, sed & omnium Ecclesiasticarum functionum signaculum & sigillum, quod in omnibus sacramentis adhiberi solebat. Nam Episcopus baptizatum & confirmatum, collato sacramento osculabatur additâ salutatione, *Pax tecum*: quam cum Ordo Romanus, ac veteres Sacramentorum libri præscribunt, osculum quoque subintelligitur. Cyprianus *epist. 59. ad Fidum* de baptizandis infantibus; „Etsi infans, ait, à patre, tu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace faciendâ horrere debeat osculari. In ordinum collatione consuevisse Episcopum initiatos osculari, testes sunt post Dionysium in *eccl. hierar.* Ordo Romanus, & antiqua Pontificalia. Mos item fuit osculari mortuos, ut idem Dionysius scribit *cap. postremo ejusdem libri*, qui in pace & communionem Ecclesiæ decedebant, cujus ea saluatio indicium & protestatio erat. Sed postea concilium Antifiodorense sub Gregorio Magno *c. 12.* osculum dari mortuis prohibuit. Missæ quoque defunctorum olim osculo carebant, quia privatæ & sine communionem erant; qui ritus etiam nunc permanet. Scribit etiam Albaspinæus *observ. 17. lib. 1.* Missis Monachorum osculum defuisse, quia privatæ: & Durandus *lib. 4. Ration. cap. 53. Inter Monachos*, inquit, *Pax non datur, quia mundo mortui reputantur.* Contrarium tamen evincitur ex vetustis Monachorum Ritualibus, quæ osculum ante communionem præscribunt: & ipse Monachorum Pater Benedictus *cap. 63. Regulæ* præcipit Monachos secundum ordines, quos constituerit Abbas, vel quos ipsi habuerint, debere ad pacem & ad communionem accedere. Idem *cap. 55.* suscipi hospites jubet osculo pacis. Subtrahitur similiter osculum feria VI. ante Pascha in signum mœstitiæ: quare Procopius in

Eccc historia



historia arcana Justinianum & Theodoram infaussto omine imperium suscepisse refert eâ die, quâ nulli pacem & salutem dicere fas erat. Signum igitur mutuae dilectionis & pacis erat osculum inter Christianos, à quo procul aberat omnis suspicio impuri affectus. Commendant ejus sanctitatem Clemens Alexandrinus *lib. 3. Pedagog. cap. 11.* & Athenagoras circa finem Apologiae. Aptissimè autem & eleganter Chrysostomus *hom. 30. in epist. 2. ad Cor.* agens de osculo, quod communioni praemittitur, „ De hoc, inquit, sancto osculo aliud quoque afferri potest. „ Templum Christi sumus: Itaque templi vestibula & aditum osculamur, cum alii alios osculamur. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum excipit: eâque praesertim de causa tum mutua oscula jungimus. Veteri tandem simplicitate in malitiam degenerante subtractum paulatim est osculum, & ejus vice mos introductus porrigendi tabellam cum crucis vel Christi imagine, quam sequioris saeculi Scriptores *osculatorium* vocant, de quo vocabulo agit Spelmannus in Glossario. Hanc dum primùm Sacerdos, tum reliqui osculantur, eandem mutuam charitatem & fidem se habere testantur, quae olim per osculum indicabatur. Alii mutuo amplexu idem munus persolvunt. Osculum oris adhuc vigeat tempore Innocentii III. qui de eo loquitur *lib. 6. mysteriorum Missae cap. 5.* atque hinc inferre probabiliter possumus, osculi consuetudinem permanisse, donec à Fratribus Franciscanis plerique ritus Romanae Ecclesiae, ut *Lib. I. Cap. VII.* ostendimus, aut sublata aut immutati sunt.

## CAPUT XVII.

*Ritus & usus Antiphonae, quae Communicatio nuncupatur. Orationes Sacerdotis ante communionem. Ejus danda, & accipiendae diversa consuetudo. Quotidiana veterum communicatio. Ea ad Clerum, tum ad ministros altaris redacta. Olim Eucharistia manu excepta, domi servata, ad absentes missa, delata in itinere, custodita in Ecclesiis, defunctis consecrata. Hi mores an & quando desierint. Qui fuerint alicubi in communiione abusus. Modus, ordo, situs communicantium.*

I. **P**ost osculum pacis suscipit Sacerdos sacra dona, quibus ipse refectus ea populo dispensat, & interim chorus cantat Antiphonam, quae idem communicatio dicitur, quia populo Communicante cantatur. Olim psalmus simul concini solebat cum *Gloria Patri*, atque ipsius antiphonae repetitio, ut tota actio communionis laude Dei personante perficeretur. *Sciendum est autem*, inquit Micrologus *cap. 18. eandem antiphonam semper eundem psalmum cum introitu habere, si non habet proprium, ex quo sumpta videatur.* Cujus rei exemplum habemus in Antiphonario Sancti Gregorii, & in antiquis Missalibus manu exaratis. Testatur Augustinus *libro 2. Retract. cap. 11.* hanc consuetudinem in Ecclesia Africana ipso vivente coepisse, ut hymni ad altare de Psalmorum libro dicerentur, cum populo oblatio sacra distribueretur. Ordo Romanus in prima descriptione Missae ejusdem ritus antiquitatem confirmat dicens: „ Mox ut Pontifex coepit communicare populum in Senatorio, statim Schola incipit antiphonam ad communionem, & psallunt usque dum communicatum omni populo, etiam in parte mulierum, redit in sedem, & reperito versu quiescunt. Pontifex verò contemplans populum communicatum esse, innuit per Subdiaconum primo Scholae, & ille resalutato eo dicit *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, & Versum. Et finita antiphona surgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ad altare dat orationem ad complendum. Eundem morem vigere apud Aethiopes docet eorum Missa his verbis: „ Dum ministratur Sacramento populo, psallunt docti aliqua carmina, in honorem Sacramenti, & Sanctorum, quorum festa celebrantur, composita, quae populus reiterat canendo. Armenii quoque hymnos cantant & psalmos non solum tempore communionis, sed etiam cum eulogiae peracta synaxi distribuuntur. In Liturgia S. Jacobi, dum sacerdos oblata in partes dividit, cantantur Psalmi, *Dominus regit me. Benedicam Dominum in omni tempore. Exaltabo te Deus meus rex. Et Laudate Dominum omnes gentes.* Ante communionem ter dicit Sacerdos, *Domine non sum dignus*, qui versus in quibusdam antiquis Missalibus M. SS. reperitur, at in plerisque deest. Ejus usum commendat Origenes *hom. 5.* in diversa loca Evangelii: „ Quando, inquit, sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitae pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum ingreditur. Et



„Et tu ergo humilians te ipsum imitare hunc  
 „Centurionem & dicit: Domine non sum dig-  
 „nus ut intres sub tectum meum. Chryso-  
 „stomus item hom. de S. Thoma Apostolo exhor-  
 „tans fideles ut puri accedant ad Dominum, ait,  
 „Dicamus Redemptori nostro, Domine non  
 „sum dignus, ut intres sub tectum animorum no-  
 „strorum; quia tamen tu à nobis teneri vis, de  
 „tua freti indulgentia ad te accedimus. Sunt & al-  
 „iæ peculiare orationes à diversis Ecclesiis in suis  
 „Missilibus præscriptæ à Sacerdote recitandæ an-  
 „te communionem, quarum nonnullæ cum Ro-  
 „manis ferè coincidunt, aliæ diversæ sunt. In Mis-  
 „sali Romano M. S. quod mihi ostendit vir mul-  
 „tæ eruditionis Camillus de Maximis Patriarcha  
 „Hierosolymitanus, hæc indicitur, quam etiam  
 „legi in Missali Sarisburicensi. „Deus pater, fons  
 „& origo totius bonitatis, qui ductus miseri-  
 „cordia Unigenitum tuum pro nobis ad infima  
 „mundi descendere & carnem sumere voluisti,  
 „quem ego indignus hic in manibus meis teneo,  
 „te adoro, te glorifico, te tota mentis ac cordis  
 „intentione laudo & precor, ut nos famulos  
 „tuos non deferas, sed peccata nostra dimittas,  
 „quatenus tibi soli vivo ac vero Deo puro corde  
 „& casto corpore servire valeamus. *Tum imme-*  
 „*diatè ante communionem:* „Ave in æternum san-  
 „ctissima caro Christi, mihi tante omnia & super  
 „omnia summa dulcedo. *Et ante sumptionem*  
 „*sanguinis:* „Ave in æternum celestis potus mi-  
 „hi ante omnia & super omnia summa dulcedo.

II. Dandæ verò & accipiendæ communionis  
 diversæ olim fuerunt consuetudines, prout diver-  
 sa locorum, temporum, gentiumque conditio  
 exigebat. In primordiis Ecclesiæ certum est &  
 exploratum, omnes fideles, quorum erat cor  
 unum & anima una, quotidie perseverasse in  
 communicatione fractionis panis, ut Acta Apo-  
 stolorum restantur: nec ullus sacris Mysteriis  
 interesse permittebatur, sicut alibi ostensum est,  
 nisi qui offerre poterat, & de oblatis participa-  
 re; quam consuetudinem diu perstitisse evidens  
 est. Nam ex Justino *Apolog. 2.* ex constitutio-  
 nibus Apostolicis *lib. 8. cap. 20.* ex Dionysio  
*cap. 3. eccl. hierarchiæ,* & ex aliis constat, Ponti-  
 ficem confectis mysteriis sumpsisse Eucharistiam  
 & singulis præsentibus tradidisse sive per Dia-  
 conos, sive per seipsum. Cyprianus *lib. de Ora-*  
 „*tione,* „Hunc panem, *inquit,* dari nobis quoti-  
 „die postulamur, ne, qui in Christo sumus &  
 „Eucharistiam quotidie ad cibum salutis ac-  
 „cipimus, intercedente aliquo graviore delicto,

„dum abstenti & non communicantes à celesti  
 „pane prohibemur, à Christi corpore separe-  
 „mur. *Hieronymus epist. 50. ad Pammachium:*  
 „Scio, *ait,* Romæ hanc esse consuetudinem, ut  
 „fideles semper Christi corpus accipiant, quod  
 „nec reprehendo, nec probo. Nec solum Ro-  
 „mæ, sed etiam in Hispania eundem morem su-  
 „mendi quotidie Eucharistiam eo tempore viguil-  
 „se, *epist. 28. ad Lucinium Bæticum* affirmat. Augu-  
 „stinus hac de re varias in Africa extitisse senten-  
 „tias indicat *epist. 118. ad Januarium,* nec declarat  
 „cui ipse adhæreat. Ambrosius *lib. 5. de Sacram.*  
 „*cap. 4.* hortatur ad quodidianam communionem,  
 „sic tamen vivendum monet, ut quotidie merea-  
 „mur accipere. Ex quibus liquet initio quinti sæ-  
 „culi in quibusdam Ecclesiis occidentalibus non-  
 „dum abrogatum fuisse usum quotidie communi-  
 „candi. Imò alicubi adeò invaluerat mos com-  
 „municandi, quoties quis aderat Missæ, ut aliqui  
 „existimarint, eum qui pluribus eadem die Missis  
 „intererat, debere in singulis communicare. Quæ-  
 „stionem ex occasione proponit & solvit Walfridus  
 „Strabo propè finem *cap. 22.* his verbis „Quia  
 „de communicandi varietate quædam præmissi-  
 „mus, hoc addendum videretur, esse quosdam qui  
 „semel in die communicare, etiam si pluribus in-  
 „terfuerint Missis, pro dignitate Sacramento-  
 „rum sufficere credant: esse verò alios, qui, sicut  
 „in una, sic in omnibus quibus affuerint Missis  
 „in die communicare velint. Quorum neutros  
 „culpandos existimo, quia, sicut Augustinus  
 „ait de his qui quotidie communicant, & illis  
 „qui rariùs, istos reverentia sanctorum retra-  
 „hit rerum, illos verò amor salubrium invitat  
 „Sacramentorum. Nam & ipse sacerdos quo-  
 „ties in die Missas facit, communicare non  
 „omittit. Quod si non faciat, canonico est fe-  
 „riendus iudicio. Hæc Walfridus, qui sæculo  
 „nono vivebat. Citius autem in Oriente eorum,  
 „qui sacris mysteriis intererant, communicatio desit:  
 „nam Chrysostomus sapè, & aliquando Atha-  
 „sius, atque alii Patres Græci de infrequentia  
 „communicantium, ut superius dictum est, in  
 „suis ad populum homiliis conqueruntur. Solidæ  
 „tandem pietatis in aliqua provincia defectu eò  
 „redacta res est, ut in concilio Turonensi II. sub  
 „Leone III. *cap. 50.* sancitum fuerit, ut homi-  
 „nes laici, si non frequentius, ter saltem in an-  
 „no communicarent. Tam labente per univer-  
 „sum orbem religionis studio, cum rarior indices  
 „fieret usus communionis, in concilio Latera-  
 „nensi sub Innocentio III. singulis fidelibus



mandatum est, ut, cum ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno peccata sua confiteantur, & in Paschate sacra communione reficiantur. In Missa autem solemniter retenta est ab aliquibus Ecclesiis communio Ministrorum, quæ Romæ nunc permanet in insignioribus Basilicis, & ubi defierat, Apostolicæ venerationis decreto restituta est. Sapientissimo sanè consilio, ne in desuetudinem abeat antiquissimus Ecclesiæ ritus, sine quo vix possunt intelligi, quæ in Liturgiis orationibus quotidie recitantur.

III. Olim ante communionem clamabat Diaconus *Sancta sanctis*; ac si diceret, Qui non est sanctus, non accedat. Eadem verba nunc etiam apud Græcos dicit sacerdos. Quæ verò sanctitas ad hoc requiritur, quæstio perplexa est ante aliquot annos excitata, de qua plures circumferuntur libelli, partium potius quam veritatis indagandæ studio conscripti. De lotionè manuum ante Missam, deque nitidis & mundis vestibus, quas sumere solebant ad hanc divinam mensam accessuri, egimus supra Cap. I. Ipsam autem Eucharistiam sumpturis, tabellæ quædam spongiâ perpolitæ à ministris apponebantur, veluti mensulæ, ut ex Chrysostomo & Athanasio observat Baron. *an. 57. n. 146.* quibus hodie lintamina successerunt, ut, si quid fortè decidat, his excipiantur. At verò Sacerdos Sacramentum distribuens quid daret contestabatur dicens: *Corpus Christi*: & accipiens respondebat *Amen*, quæ voce verum illud esse profitebatur. Auctor Constitut. Apostolicarum lib. 8. c. 13. *Episcopus*, scopus tribuat oblationem dicens, *Corpus Christi*, & accipiens dicat, *Amen*, Diaconus verò tribuat calicem dicens, *Sanguis Christi*, poculum salutis, & bibens dicat, *Amen*. Cornelius Papa epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. 4. hist. eccl. c. 43. Novitiani mores & schisma describens, ait inter cætera eum quosdam communicasse, & ab illis juramentum exegisse, quod nunquam ad Cornelium revertentur. Tum subdit: *Et cum panem illum accipiens dicere debuisset Amen, dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.* Tertullianus *de spectac.* c. 25. eos reprehendit, qui ex ore, quo *Amen* in Sancta protulerant, testimonium gladiatorum reddebant. Ambrosius lib. 4. de Sacram. c. 5. *Dicit tibi sacerdos, Corpus Christi, & tu dicis Amen, id est verum.* Hieronymus epist. 62. ad Theophilum Alexandrinum: *Qua conscientia ad Eucharistiam accedam, & respondebo Amen; cum de charitate dubitem porrigen-*

*tis?* Augustinus lib. 12. contra Faustum c. 10. *Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur Amen.* Leo Magnus serm. 6. de conjunctione septimi mensis: *Sic sacra mensa communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate Corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur quod fide creditur, & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur.* Sunt alia quamplurima Patrum testimonia, quæ in re clarissima coacervare inutile foret. Tempore Gregorii Magni sacerdos tradens Eucharistiam hac formula utebatur, ut in ejus vita scribit Joannes Diaconus l. 2. *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam.* Auctor anonymus de Persica captivitate editus à Combefis: *Ut quid, inquit, his qui accedunt, ais, Corpus & sanguis Agni Dei quod tibi datur in remissionem peccatorum?* Alcuinus hanc formulam habet: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.* Helgaldus in vita Roberti Regis Galliarum: *A dante, inquit, sacerdote dicitur, Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi salus animæ & corporis.* Ipsa quoque sacra communio antiquo ritu non ore excipi solebat, ut hodie fit, sed manu: quam qui susceperat ori reverenter admovebat. Suppetunt hac de re sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum innumerabiles auctoritates; sed ne prolixior sim, modum in iis recensendis servabo. Tertulliano primus locus tribuendus est. Is lib. de Idololatria exclamans adversus Christianos ab idolis ad Ecclesias euntes, ingemit, *illos eas manus admoveere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt, quæ scilicet idola gentibus fabricant. O manus præcidendæ!* Et in fine libri de baptismo agit de prima manuum cum fratribus apertione post lavacrum; utique ad accipiendam Eucharistiam. Clarius Magistro hunc ritum exprimit Cyprianus epist. 56. ad Thibaritanos: *Armamus & dexteram gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accipit, ipsum complectatur.* Idem l. de lapsis: *Quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.* Et paulò post: *Quidam & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, panem cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus*



invenit. Alia Cypriani testimonia affert Pame-  
 lius *lib. 1. Liturgicorum*. Ambrosius apud Theo-  
 doretum *lib. 5. hist. eccl. c. 17.* increpans Theodo-  
 sium post cædem Theffalonicensium, „ Quomo-  
 do, „ inquit, manus extendes injustæ cædis san-  
 „ guine adhuc stillantes? Quomodo hujusmodi  
 „ manibus Domini corpus accipies? Augustinus  
*lib. 2. contra literas Petilianæ cap. 23.* „ Illum  
 „ commemoro, „ *Optatum scilicet Gildonianum*  
 „ *Donaristarum Episcopum*, qui vobiscum vixit,  
 „ cui pacis osculum inter Sacramenta copulaba-  
 „ tis, in cuius manibus Eucharistiam ponebatis,  
 „ cui vicissim danti manus porrigebatis. Diony-  
 sius Alexandrinus epist. ad Xystum Romanum  
 Pontificem apud Eulebium *lib. 7. cap. 9.* agens de  
 quodam ab hæreticis baptizato, qui reconciliatus  
 Catholica Ecclesia ejus baptismum postulabat,  
 ait: „ Ego eum, qui ad sacram mentam astiterit,  
 „ & manus ad suscipiendum sacrum cibum por-  
 „ rexerit, renovare non ausim. Basilius Magnus  
 epist. 289. ad Cæsariam Patriciam, „ Nam & in  
 „ ipsa Ecclesia sacerdos partem aliquam Eucha-  
 „ ristie in manus tradit, & illam apprehendit qui  
 „ percipit cum omni libera potestate, atque ita  
 „ suis propriis manibus eandem suo ori adnotam  
 „ ingerit. Chrysofomus hom. 21. ad pop. Antioch.  
 „ Cogita quid manu capias, & ipsam ab  
 „ omni avaritia & rapina liberam conserva. Re-  
 „ puta quod non tantum manu capias, verum &  
 „ ori admoveas, & linguam custodi à contumelio-  
 „ sis & turpibus verbis mundam. Idem hom. in  
 recens baptizatos edita à Francisco Combefis:  
 „ Tene manu donum, animo id quod est occul-  
 „ tum. Manus teneat, & mens ista dicat, Deus  
 „ meus & Dominus meus. Gregorius Antioche-  
 nus orat. in diem sabbati sancti apud eundem:  
 „ O coelorum rex, ne nos repellas, cum de tua fre-  
 „ ti clementia scelestis manibus sacrum tuum  
 „ corpus tenere ausi fuerimus. Sozomenus *lib. 8.*  
*cap. 5.* & Nicephorus *l. 13. c. 7.* narrant factum  
 mulieris Macedonianæ, quæ Chrysofomo sacris  
 operante, ut marito orthodoxo se fidei consortem  
 probaret, Eucharistiam accepit, quam manu reti-  
 nens tradidit ancillæ ab ea accipiens panem com-  
 munem domo allatum. Sed dum ori adnotum  
 dentibus contere conatur, in lapidem conver-  
 sum sensit. Concilium Trullanum *can. 101.* illos  
 reprehendit qui corpus Christi non manu exci-  
 piebant, sed quibusdam instrumentis seu recepta-  
 culis ex auro vel alia materia pretiosa comparatis:  
 quod licet à religione profectum, ut ait Zo-  
 naras in hujus canonis expositione, synodus tamen

improbavit: quia nulla res sensibilis ipso homine,  
 ejusque manu præstantior est. Idem canon mo-  
 dum præscribit, quo sacra dona excipienda erant,  
 dicens: „ Si quis immaculati corporis particeps  
 „ esse voluerit, & offerre se ad communionem,  
 „ manus in crucis formam figurans sic accedat.  
 Eandem manuum compositionem antea docue-  
 rat Cyrillus Hierosol. *Catech. 5. Mystagog.*  
 „ Accedens ad communionem non expansis ma-  
 „ nuum volis accede, neque cum disjunctis digi-  
 „ tis, sed sinistram veluti sedem quamdam subji-  
 „ ciens dexteræ, quæ tantum Regem susceptura  
 „ est, & concava manu suscipe corpus Christi di-  
 „ cens Amen. Hunc ipsam ritum commendat  
 Damascenus *lib. 4. orthod. fidei cap. 14.* „ Ar-  
 „ denti cupiditate ad eum adeamus, manibusque  
 „ in crucis formam compositis Crucifixi corpus  
 „ suscipiamus. Eadem ætate qua Damascenus in  
 Oriente, vixit Beda in Occidente, qui vitam  
 Cednonis Monachi enarrans *lib. 4. hist. Anglica-  
 nae cap. 24.* ait ipsum de hoc sæculo exiturum  
 petuisse sibi offerri Eucharistiam, „ qua accepta  
 „ in manu, interrogavit si omnes placidum erga  
 „ se animum haberent; sicque se ecclesti mu-  
 „ niens viatico vitæ alterius ingressui paravit.  
 Hujus ritus ignorantia quidam apud Galanum in  
 conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana  
*parte 1. pag. 132.* inter errores Iberorum, quos  
 nunc Georgianos vocamus, hunc enumerat.  
 „ Aliquibus diebus festivis multi sacerdotes Mis-  
 „ se sacrificio adstantes communicant, sed Eu-  
 „ charistiam ab Episcopo celebrante recipiunt  
 „ in propriis manibus, quam ipsimet proprio  
 „ apponunt ori. Tangit autem hic articulus &  
 alium veteris Ecclesiæ morem, de quo suo loco  
 dictum est, omnes scilicet presbyteros Episco-  
 po concelebrasse, & ab eo communionem susce-  
 pisse: qui & perperam errori adscribitur. Porro  
 hic notandum est, in susceptione eucharistiæ in-  
 ter viros & mulieres discrimen aliquod fuisse:  
 nam viri nuda manu, mulieres subjecto linteolo,  
 quod Dominicale dicebatur, illam accipiebant.  
 Sic statutum legimus in concilio Antisiodorensi  
*c. 36.* „ Non licet mulieri nuda manu Eucha-  
 „ ristiam accipere. *Et c. 24.* Ut unaquæque mu-  
 „ lier, quando communicat, Dominicale suum  
 „ habeat: quod si quæ non habuerit, usque ad  
 „ alium diem Dominicum non communicet.  
 Augustinus item *serm. 252. de tempore*, diu ante  
 hoc concilium invaluisse per Africam hanc  
 consuetudinem testis est dicens: *Mulieres quo-  
 modo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus  
 Christi*



*Christi accipiant, sic corpus castum & cor mundum exhibeant.* Hanc tamen differentiam apud Orientales non inuenio, nam silent de ea Patres Græci, & synodus Trullana censuit nudam manum alia quavis materia digniorem esse.

IV. Hoc etiam circa usum Eucharistiæ faciente persecutione introductum fuit, ut, cum in locis abditis sacra synaxis peragebatur, qui ad eam conveniebant, non solum de oblatis participarent, sed particulas quoque acceptas à sacerdote secum deferrent, & domi reverenter custodirent, ut, quia quotidie vitæ periculum eis imminabat, quotidie seipfos possent sacra communione ad certamen præparare. Id inprimis Tertullianus ostendit lib. 2. ad Uxorem cap. 5. „ Non sejet maritus „ quid secretò ante omnem cibum gustes: Et si „ sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur. *Et de orat. cap. 14.* Accepto corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii. *Cyprianus lib. de spectaculis,* Qui festinans ad spectaculum, & adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam. *Et lib. de lapsis:* Cum quædam mulier arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Narrat Gregorius Nazianzenus orat. in funere sororis suæ Gorgoniæ, eam apud se in cubiculo reconditum habuisse corpus Christi, & fusâ ante ipsum oratione à gravi morbo liberam evasisse. *Basiliius epist. cit. ad Casariam:* „ Quoniam verò per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessariò, sacerdote vel ministro non præsentem, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacuum ut demonstrarem, illam ipsam rem non esse graviter & iniuriam ferendam, eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum revera confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit sacerdotis, cum habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandria autem & per Ægyptum unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi suæ communionem. *Et paucis interjectis.* Idem igitur quoad potestatem est, sive quis de manu sacerdotis partem unam aliquam percipiat, sive partes simul, quàm plurimas. Hieronymus *epist. 50. ad Pammachium* illos objurgat, qui post nocturnam concubium Ecclesiam ingredi non audebant divinam timentes ultionem, domi autem accipere Eucharistiam non formidabant. „ Ipsorum, ait,

conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant, & juxta Persium Notæm flumine purgant: quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Philippicus gener Mauriti Imperatoris, ut Anastasius Bibliothecarius in historia scribit, noctu ab eo accersitus, timens vitæ suæ, corpus Christi percipere quæsit, utique domi assertum, antequam pergeret ad Imperatorem. Seleuciæ sub Dionysio Episcopo miraculum accidisse narrat Joannes Moschus in Prato spirituali; quidam enim servus fidelis sumptam communionem in die cœnæ Domini secundum consuetudinem illius provinciæ linteo mundissimo involvit, & reposuit in armario; Dominus autem ejus aperiens armarium, vidit omnes sanctas particulas culmos & spicas germinasse.

V. Ad absentes quoque mitti consuevit, quod multiplici veterum Scriptorum testimonio probatur. Justinus Apolog. 2. *Diaconi distribuunt unicuique præsentem, & ad absentes perferunt.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. cap. 44. seni cuidam Serapioni missam refert à Presbytero partem Eucharistiæ per puerum laicum, qui eam aqua intinctam in os senis infudit, & protinus animam exhalavit. Romanum Martyrologium die XV. Augusti Tharsicium acolythum commemorat, quem cum pagani invenissent, corporis Christi sacramenta portantem, cœperunt disquirere quid gereret, at ille indignum judicans porcis prode margaritas, tamdiu ab illis fustibus & lapidibus mactatus est, donec spiritum emisit: cujus corpore revoluto sacrilegi discussores nihil sacramentorum Christi invenerunt. Irenæus Martyr in epist. ad Victorem Papam, quam historiæ suæ inserit Eusebius lib. 5. cap. 24. testis est, à summis Pontificibus Victoris prædecessoribus diversarum Ecclesiarum presbyteris seu Episcopis transmissam Eucharistiam, in signum videlicet mutua communionis, ut alibi notatum est. Refert Palladius in historia Lausiaca cap. 9. & 52. olim Monachos in solitudine habitantes non antea sumpsisse cibum, quàm spirituale alimentum animæ accepissent, sanctam nimirum communionem cellis servatam, quam sacerdotes vel illis in Ecclesia dabant, vel domum mittebant. Justinianus *Novella 123. de Episcopis & Monachis c. 41.* Sanctimonialibus feminis presbyterum sive diaconum ab Episcopo deputari statuit *ad faciendum eis responsum, aut sanctam eis communionem portantem*



portandam. Scriptor vitæ S. Laurentii Dublinensis apud Surium die 14. Novembris alium morem indicat ab antiquis usurpatum, & ipsius viri sancti, qui obiit anno 1181. temporibus adhuc vigentem, deferendi secum Eucharistiam, cum quis longè proficisceretur. Narrat enim quatuor sacerdotes augustissimum Sacramentum secum portantes incidisse in latrones, qui sacra dona irreverenter tractantes eos spoliaverunt, & mox, injuriam Deo ulciscente, suspensio interierunt. Confirmant eundem ritum, quæ de Satyro fratre navigante refert Ambrosius orat. in funere ipsius: de Maximiano Episcopo Syraculano Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 36. de Monachis Constantinopolim navigantibus Joannes Diaconus in vita Gregorii lib. 1. cap. 33. de S. Birino Episcopo Dorcestriensi Anonymus apud Surium die 3. Decembris cap. 1. Atque huc forsitan respexit Hieronymus cum in fine epist. 4. ad Rusticum ita de S. Exuperio Episcopo Tolosæ scribit, Nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Idem mos etiam hodie servatur à Monachis Græcis in longiori itinere, ut Petrus Arcudius testatur lib. 3. de sacram. cap. 59. Romanus quoque Pontifex cum extra Urbem longum iter agit, Eucharistiam deferre solet, quæ cum magifico & religioso comitatu ipsum præcedit: de qua re eruditum commentarium edidit Angelus Rocca Apostolici sacrarii Præfectus, ubi ejus originem refert ad hunc priscum morem de quo agimus.

VI. Quod si olim licitum fuit & domi privatim habere Eucharistiam, & eam secum in itinere deferre, multò credibilius est in Ecclesiis conservatam fuisse, ut semper in promptu esset ad infirmos communicandos. Nee desunt probationes. Nam Optatus Milevitanus de conservata in templo Eucharistia intelligendus est, cum à Donatistis inaudito scelere traditam canibus narrat lib. 2. non sine signo divini iudicii, canes enim accensi rabie homines ipsos dente vindice lanaverunt. Victor Episcopus lib. 1. Africanæ persecutionis, de divinis quoque sacramentis in Ecclesia asservatis agit, cum Valerianum Episcopum viriliter dimicasse ait, ne ipsa traderet, qua de causa ab impio Rege Geiserico foras civitatem singularis iussus est pelli, addito præcepto, ne quis eum in domo aut agro permitteret habitare. Cyrillus Alexandrinus ejusdem moris testis est in epist. ad Calosyrium, præfixa libro adversus Antropomorphitas, quæ eos redarguit qui dicebant, Eucharistiam in sequentem diem servandam

non esse. Idem colligitur ex Pœnitentiæ Columbanæ Abbatis, in quo præscribit, quæ pœna sit illis imponenda, quorum negligentia Eucharistia corrupta & putrefacta sit. Eudocia martyr apud Henschenium die 1. Martii, antequam ad martyrium duceretur, brevi morula à satellitibus impetrata ad sacram ædem cucurrit, & arcula reſerata sacri doni corporis Christi particulam acceptam sinu recondidit, & cum militibus abiit. Est item de hac re canon Concilii II. Turonensis, ut corpus Domini altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur: videlicet non inter imagines, sed sub cruce in loco digniori ponatur. Ad quem ritum sunt qui existiment, multò ante hoc concilium respexisse Paulinum Nolanum epist. 12. ad Severum his versibus:

*Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,  
Compositis sacra cum cruce Martyribus.  
Cuncta salutiferi cœeunt martyria Christi,  
Cruce, corpus, sanguis, Martyris ipse Deus.*

At hæc subobscura sunt: imò ex antecedentibus de solis Sanctorum lipsanis Paulinus loqui videtur. Clariora sunt quæ Venantius Fortunatus scribit lib. 3. carm. 25. ad Felicem Bituricensem Episcopum, qui turrin auream fecerat, qua corpus Domini asservaretur.

*Quam bene juncta decent, sacrati ut corporis Agni  
Margaritum ingens, aurea dona serant!  
Cedant Chrysolithis Salomonis vasa metallis,  
Ista placere magis ars facit atque fides.*

Similem turrin commemorat Gregorius Turonensis lib. 1. de gl. martyrum cap. 86. quam à manibus impuri diaconi elapsam refert, seque in altari collocasse, ita ut eam diaconus nunquam assequi potuerit. Ad eundem usum suspensas in altari aureas & argenteas columbas legimus in vita S. Basilii Amphilocho adscripta. Eas autem sublatas à Severo hæretico conquesti sunt clerici & monachi Antiocheni, oblato quintæ synodo supplici libello. Rectè verò observat Morinus lib. 8. de pœnitentiâ c. 14. servatum antiquitus in Ecclesia corpus Christi propter infirmorum communionem, addens hodiernam consuetudinem, plures particulas reservandi ad fideles in ipsa Ecclesia etiam extra sacrificium communicandos, à Mendicantibus primùm introductam, & ab aliis deinde usurpatam, ipso Romano Rituali refragante, in quo nunc etiam decernitur propter infirmos asservari. Sanis veteri



veteri ritu nullus erat communionis usus extra sacrificii actionem, nisi cum permisit Ecclesia, ut accepta mysteria domum deferrent. Notabile est autem quod in præcitata Basilii vita refertur; cum enim precibus à Deo gratiam obtinuisset, ut suis verbis sacrificium offerre posset, accepto divinitus pane & vino, ipsisque consecratis; tempore contractionis panem divisit in tres partes, & unam quidem cum multo timore & veneratione sumsit, alteram verò unà secum sepeliendam servavit, tertiam denique in columba aurea depositam desuper sacrum altare suspendit. Quod idè hoc loco adnotandum censui, quia olim viguit hic mos conspeliendi mortuis Eucharistiam, non solum apud Græcos, sed etiam apud Latinos. Extat siquidem exemplum S. Benedicti, qui, ut Gregorius scribit *lib. 2. Dialog. c. 24.* puerum monachum extra claustra defunctum sepulturæ tradi iussit posito super pectus ejus Dominico corpore, quod ad hunc effectum ipsemet dedit, ne terra defossum cadaver projiceret, sicut antea bis acciderat. Sive autem id fecerint sancti Patres peculiari instinctu, ne unquam à Domino separarentur, sive ex consuetudine tunc recepta, hæc tamen postmodum abrogata fuit. Alius quoque usus olim irrepsit mortuos communicandi, præsertim pœnitentes, qui sine communionem decesserant, credentibus nonnullis pia quadam simplicitate, ipsos Ecclesiæ ea communionem reconciliari. Sed hic vetitus est c. 6. Concilii III. Carthaginensis, c. 12. Antisiodorensis, & c. 83. Trullani.

VII. Simili modo desit mos accipiendi manibus Eucharistiam, & eam domum deferendi, pœnisque gravissimis transgressoribus impositis sancitum fuit, ne quis eam, exceptis ministris, attrectaret; nam paulatim abusus irrepsit, & fraudes multæ, & sacrilegia. Idè Concilium Cœsaraugustanum sub Damaso c. 3. decrevit, ut, si quis probaretur Eucharistiæ gratiam in Ecclesia non sumpsisse, anathema esset in perpetuum. Et Toletanum I. anno Christi 400. c. 14. *Si quis, inquit, acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.* Idque primum in Hispania constitutum fuit propter Priscillianistas & alios infideles, ut indicat hoc canone recitato Concilium Toletanum XI. anno 675. c. 11. Et hi quidem canones hoc tantum præcipiunt, ut statim accipiatur, nec reseruetur & domum deferatur: quando verò cœperit in os immitti, sicut hodie fit, incertum est. Ordo Romanus in secunda Missæ descriptione ita de

communionem decernit: „Presbyteri ergo & „diaconi osculando Episcopum corpus Christi „ab eo manibus accipiant, in sinistra parte altaris communicaturi. Subdiaconi autem osculando manum Episcopi ore accipiant corpus „Christi ab eo. Quam sententiam testatur Morinus de sacris Ordinibus. p. 3. exercit. 12. cap. 3. se totidem verbis legisse in Ordine Romano ante annos septingentos conscripto. Hinc autem deducitur, nec subdiaconi quidem tunc permisum corpus Dominicum manu attingere, multò minus secularibus. Sed variæ fuerunt diversarum Ecclesiarum consuetudines; nec omnia ubique uno eodemque tempore recepta & immutata sunt. Quod si conjecturis in re obscura aliquid tribuere fas est, satis mihi probabile videtur, tunc cœpisse in Occidente corpus Christi ore accipi, cum in pane azymo confici cœperit: idque ubique receptum fuisse, cum panis consecrandus ad eam formam tenuissimam, qua nunc utimur, redactus est; ob periculum videlicet, ne levissima particula manu elabi, & in terram decuti posset. Est & alia causa, ut impiorum fraudibus, cunctisque irreverentiis & abusibus, quantum fieri poterat, occasio præcluderetur. Perpetuæ scilicet mutationi obnoxia sunt res humanæ, nec quidpiam tam sanctè institutum est, quin aliquando in superstitionem & pravos usus degeneret. Sic ex domestica communionem, quæ olim omnibus licita erat, abusus in quibusdam locis exortus est, ut etiam intra Ecclesiam publicam sibi Eucharistiæ administrationem laici homines usurparent. Patres enim concilii Trullani c. 58. statuerunt, ne quis eorum qui sunt in ordine laicorum, divina sibi mysteria impertiret præsentem Episcopo, vel presbytero, vel diacono. Sic ex more mittendi ipsa sacramenta ad ægrotos vel absentes, detestabilis abusus emanavit, quem proseripit synodus Remensis apud Ivonem p. 2. *Decreti can. 39.* & apud Gratianum de consecr. dist. 2. c. 29. his verbis: „Pervenit ad notitiam „nostram quod quidam presbyteri in tantum „parvipendant divina mysteria, ut laico vel femine sacrum corpus Domini tradant ad defendendum infirmis: & quibus prohibetur ne sacramentum ingrediantur, nec ad altare propinquent, „illis sancta sanctorum committuntur. Quod „quàm sit horribile, quàmque detestabile, omnium religiosorum animadvertit prudentia. „Igitur interdicit per omnia synodus, ne talis „temeraria præsumptio ulterius fiat; sed omnimodis presbyter per semetipsum infirmum „com-



communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit. Alia item synodus habita Londoniæ in Anglia anno 1138. sancivit, ut corpus Domini non deferatur ad infirmos, nisi per sacerdotem vel diaconum: at verò in necessitate per quemlibet deferri permisit, ut referunt Ricardus Hagustaldensis & Gervasius monachus inter X. scriptores antiquæ historiæ Anglicanæ editi. Sed alia multò turpior & vix credibilis corruptela in quibusdam Galliæ provinciis occurrit, ut mulieres intolerabili impudentia ad altaria irrumpere auderent, atque ipsa divina mysteria populis ministrare. Rem narrat, & quare est severitate execratur Episcopi in synodo Parisiensi an. 829. congregati lib. 1. cap. 45. Quidam, inquit, nostrorum, verorum virorum relatu, quidam etiam visu didicimus, in quibusdam provinciis contra legem divinam, canonicamque institutionem feminas sanctis altaribus se ultrò ingerere, sacrataque vasa impudenter contingere & indumenta sacerdotaria administrare: & quod his majus, indecentius, ineptiusque est, corpus & sanguinem Domini populis porrigere, & alia quæque quæ ipso dictu turpia sunt exercere. Miranda sanè res est, unde is illicitus in Christiana religione irrepsit usus, ut, quod viris secularibus illicitum est, femine, quarum sexui nullatenus competit, aliquando contra fas sibi licitum facere potuerint. Inhibent deinde, ne hoc ulterius fiat, ejusque rei curam seriò Episcopis injungunt. Hæc de abusibus dicta sint, nunc ad alios priscae communionis ritus transeundum est.

VIII. Ordo communionis hic erat, ut primò quidem celebrans seipsum communicaret, deinde Episcopos si qui aderant, vel Presbyteros simul cum eo synaxim agentes; tum diaconos, subdiaconos & clericos; monachos, diaconissas, & sacras virgines; novissimè populum adjuvantibus presbyteris, primùm viros, postea mulieres. Idem in calicis distributione servabatur, nisi quod presbyteri per se illum sumebant, diaconi à presbyteris, reliqui à diaconis, ut ex Ordine Romano & ex Græcorum Euchologio constat. Præmittebatur communicantium exploratio & notitia, unde illa vox in quibusdam Liturgiis, *Agnoscite vos invicem*: & Græci nunc etiam hoc servant, ut nomen communicantis inquirant, si ignotus sit; & cum sacerdos alicui porrigit Eucharistiam, nomen ejus exprimit dicens: „Supis serye Dei N. pretiosum & san-

ctum corpus & sanguinem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum tuorum & vitam æternam. Quod spectat ad locum, celebrans in medio altaris, alii presbyteri in circuitu, diaconi retro altare communicabant, subdiaconi & clerici in limine Sanctuarii, sive in choro; reliqui extra cancellos. Græci sanctuarium ingredi soli permiserunt Imperatori *can. Trullano 69*. At Theodosium, qui ex græca consuetudine eum sibi locum assumpserat, inde amovit Ambrosius, & docuit purpuram Imperatorem facere, non sacerdotem. Hic ordo diu permansit in Romana Ecclesia, ut Latinorum rituum Scriptores ostendunt; deinde paulatim tum Romæ, tum alibi mutatus est. Concilium Toleranum IV. sub Honorio c. 17. Sacerdotem & Levitam ante altare communicare constituit, in choro clerum, populum extra chorum. Bracarense I. tempore Joannis III. c. 31. sic decrevit: „Placuit ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris vel mulieribus, nisi tantùm clericis, sicut & antiquis canonibus statutum est. Sub eodem Pontifice celebrata in Gallia II. synodus Turonensis, in qua c. 4. sancitum est, ne laici intra cancellos ad Missam stare præsumant: ad communicandum verò statuit ut tam viris quàm feminis pateant Sancta Sanctorum. Ex quo apparet, eodem tempore varias de eadem re leges & consuetudines in diversis regionibus extitisse. De situ communicantium, si de Græcis sermo sit, nulla est dubitatio; quin stantes divina dona percipiant; ita enim præscribunt ipsorum Ritualia, quibus consonant sancti Patres: sed prono capite, & demissis oculis, ut Cyrillus *Cath. 5.* & Chrysostomus *orat. in Encænâ* monent. De Latinis non ausim affirmare, nihil enim habeo ex antiquis scriptoribus, quo id confirmem, nisi quod etiam hodie in Missa solemnè Romani Pontificis diaconus communicat stans, omnino ex veteri ritu. Deinde puto, ut in reliquis, ita etiam in hac re, similes ab initio utriusque Ecclesiæ ritus fuisse. Nunc solus sacerdos celebrans communicat stans, reliqui omnes genibus flexis de manu sacerdotis communionem accipiunt. Summus Pontifex cum solemniter celebrat, sedens communicat hoc modo. Data pace Episcopo & duobus diaconis assistentibus, qui os ejus & pectus osculantur, ascendit ad sedem suam comitantibus ipsum diaconis & Episcopis. Tum diaconus evangelii apud altare patenam cum Sacramento reverenter accipiens, ambabus manibus in altum elevat usq; ad oculos habentem desuper

F f f f

auream



auream stellam cum nominibus XII. Apostolorum, ne hostia labi possit. Et primo vertit se ad latus epistolæ cum summa gravitate, & per eandem viam revertitur ad medium altaris: postea eodem modo vertit se ad latus evangelii, ubi subdiacono genuflexo patenam tradit cum sacramento. Tum surgit subdiaconus, & ipse diaconus flexit genua, donec ille discesserit portans sacramentum Pontifici, qui ei adveniendi profundè inclinatur, ac ipsum reverenter adoratur. Subdiaconus verò cum pervenerit ad Pontificem stat rectus ad ejus sinistram. Post hæc diaconus accipiens calicem parvo velo aureo coopertum eodem modo se vertit ad utrumque latus altaris, sicut cum patenam tenebat: & inde cum ipso calice ad dextrum latus Pontificis accedit. Pontifex verò sumit unam partem hostiæ, & aliam in duas partes dividit pro communione diaconi & subdiaconi. Sumpto autem à Pontifice Christi corpore, Episcopus Cardinalis assistens porrigit ei calicem aureum, quo sanguinis partem fugit, residuum dimittens pro diacono & subdiacono. Tum Pontifex communicat diaconum stantem & tenentem dextera manu calicem, calicem sinistra; qui accepto corpore Christi faciem Pontificis osculatur, & reversus ad altare, partem sanguinis fugit. Eodem modo corpus Christi porrigit Pontifex subdiacono coram se genuflexo & patenam tenente, qui & ipse ad cornu altaris accedens, residuum sanguinis cum calamo fugit. Unus autem ex ipsis particulam hostiæ, quæ calici de more immissa fuerat, ad labia ipsius calicis retrahit & sumit. Hæc ex ceremoniali Romani Pontificis excerpta sunt, quæ ab antiquissimo Ordine Romano in paucis discrepant, ut utrumque conferenti manifestum erit.

## CAPUT XVIII.

*Communiõ olim sub utraque specie. Sed una tantum nunquam vetita, imò multoties usitata à primis Ecclesiæ seculis & deinceps. Quando & qua occasione fieri desierit sub utraque. Græcorum ritus in paranda Eucharistia, quam pro infirmis conservant. Mos eorum discutitur corpus Domini sanguine intinctum communicantibus porrigendi. Viguit aliquando idem usus in Occidente. Horribile exem-*

*plum damnationis hæreticorum calamo intincto in sanguine Christi.*

I. **P**Ræter ea quæ dicta sunt, ad veteres ritus Eucharistiæ pertinet communiõ sub utraque specie novissimis hisce temporibus inter catholicos & hæreticos acerrimè controversa. Omnis autem disputationibus in his dumtaxat immorabor, quæ ad veterem administrandæ communionis sub una vel sub duplici specie consuetudinem spectant, ad duo puncta brevissimè redigens quicquid spissis voluminibus de hoc argumento à viris præstantissimis scriptum est. An videlicet communiõ sub utraque specie semper in usu fuerit: & an permissum olim sit sub una tantum communicare. Facile autem utraque his componi potest, si communionem publicam intra Missarum solemnias à privata extra Ecclesiam & synaxim distinguamus. Certum quippe est, omnes passim clericos & laicos, viros & mulieres sub utraque specie sacra mysteria antiquitus sumpsisse, cum solemnibus eorum celebrationibus aderant, & offerrebant, ac de oblatibus participabant. Extra sacrificium verò, & extra Ecclesiam semper & ubique communiõ sub una specie in usu fuit. Primæ parti assertionis consentiunt omnes tam catholici, quàm sectarii; nec eam negare potest qui vel levissima rerum Ecclesiasticarum notitia imbutus sit. Semper enim & ubique ab Ecclesiæ primordiis usque ad sæculum XII. sub specie panis & vini communicarunt Fideles, cœpitque paulatim ejus sæculi initio usus calicis obsolescere, plerisque Episcopis cum populo interdicens ob periculum irreverentiæ & effusionis, quod inevitabile erat aucta fidelium multitudine, in qua deesse non poterant minus cauti & attentissimi ac parum religiosi. In Ordine Cisterciensi statutum olim fuit, ne ulla persona Ordinis, exceptis ministris altaris sacris vestibus indutis ad sacrum calicem pro percipiendo sanguine accedere præsumeret propter periculum & scandalum evitandum. Ob eandem causam Rodulfus Abbas S. Trudonis, qui vivebat anno 1110. removeri à laicis calicem suadet his verbis:

*Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter agrum  
Aut sani tribuat laicis de sanguine Christi,  
Nam fundi possit leviter; simplexque putaret,  
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.*

Sic paulatim, ut dixi, introducta est communiõ sub sola specie panis, posteaquam intolera-

randi



randi abusus religiosos Antistites ad abrogandum communem calicis usum induxerunt. Moribus enim immutatis leges quoque mutandæ sunt, quæ aliquando utiles atque optimæ fuerunt. Hæc autem mutatio facta est primum à diversis Episcopis in suis Ecclesiis, deinde à Synodo Constantiensi canonica sanctione pro omnibus stabilita, nullo profectò spiritualis refectiois detrimento, ut fideles experiuntur; nulla divinæ legis transgressione: quia communio sub utrâque specie nec divinitus instituta fuit, nec unquam antiqui Patres eam ad salutem necessariam esse docuerunt. Obijciunt aliqui canonem Gelasii apud Gratianum *de consecr. dist. 2. Comperimus*. Adversus eos qui sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice abstinebant: sed ex ipsa lege manifestè cognoscitur, sanctum Pontificem assertioni nostræ non adversari. „Comperimus, ait, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant, qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut intergra sacramenta percipiunt, aut integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. Illos igitur ferit hic canon, qui calicem respuebant, non quia crederent communionem sanguinis non esse necessariam, cum integer Christus sub specie panis sumatur; sed quia moti quadam superstitione à calice abstinebant. Erat autem hæc superstitio Manichæorum, qui cum dicerent vinum esse fel principis tenebrarum & à diabolo creatum, communionem sub specie vini sumere recusabant, ut testatur Leo Magnus serm. 4. de Quadrag. in quo de illis differens inter cætera ait: „Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communionem se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indicia, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & prohibiti à sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur. Ex his apparet, adversus Manichæos promulgatam hanc legem; qui, ut ait Anastasius, temporibus Gelasii inventi sunt in Urbe Roma, & in exilium deportati, eorumque codices ante fores Basilicæ S. Mariæ incendio concremati. Ut igitur latitantes sub catholico

nomine proderentur, idem remedium adhibuit Gelasius, quo pridem Leo usus fuerat, præcipiens ut sub utrâque specie omnes communicarent: ne si catholici à calice abstinerent, se de hæresi Manichæorum suspectos redderent: aut ipsi Manichæi eo signo detegi non possent, si idem facerent quod catholici, sub specie sola panis communicantes. Cum verò rationem reddens sancti decreti ait divisionem mysterii sine grandi sacrilegio provenire non posse, eosdem Manichæos perstringit, qui haustum vini respuentes tanquam fel diaboli, divina mysteria proculdubio mutilabant, seque grandi sacrilegio obstringebant. Notabile est quod Princeps Theologorum docet 3. par. quæst. 80. art. 12. ad 2. *Perfectionem videlicet hujus sacramenti non in usu fidelium, sed in consecratione materie sitam esse, & ideò nihil derogat perfectioni hujus sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque*. Nec Manichæos à sanctis Patribus reprehensos & ab Ecclesia damnatos legimus, quod sub unica specie communicarent, sed quia, ut diximus, à consecratione & communione calicis tanquam à re mali & diabolica abstinendum esse sacrilego errore dicebant.

II. Sic prima assertionis parte luculenter comprobata, ad alteram transeundum est, quæ veterum Patrum doctrina & praxi, totiusque Christiani orbis consensu, atque inconcusso catholice fidei firmamento stabilita, à nemine, cui scintilla rationis adsit, negari poterit. Quid enim clarius & frequentius in veteri historia quam communio sub una specie? Hanc evincunt exempla superius allata de Eucharistia domi asservata, ad absentes transmissa, atque in longis itineribus ac navigationibus à fidelibus delata, utique in sola specie panis, cum ferret occasio sumenda. Nec aliter communicabant Anachoretæ in vastis solitudinibus, quàm particulis quas secum ferebant, cum in solemnioribus festis ad Ecclesiam conveniebant; vel ad eos mittebant aut portabant Sacerdotes. Vinum siquidem diu conservatum acefcit, & corrumpitur, nec potest sine periculo effusionis longè portari. S. Virgo Theoctiste Lesbia, cum XXXV. annis in insula Paro solitaria vixisset, inventa à viro sæculari & venatore rogavit eum, ut anno sequenti unum ex intemeratis donis corporis Christi ad illam afferret, quod ille attulit, eoque accepto migravit ad cælum, ut narrat Metaphrastes apud Surium die X. Novembris. Lucas junior Monachus, cujus vitæ excerpta edidit Franc.



Combesis tom. 2. Auctor. Biblioth. Patrum, cum à Corinthi Archiepiscopo quaesivisset, quomodo solitarii horrenda mysteria percipere possent, apud quos nec synaxis erat, nec sacerdos; Respondit ille, decere Sacerdotem adesse, quod si non adsit, conservandas sacras particulas, sumtoque Christi corpore, loco sacri laticis vini poculum bibendum, vini scilicet non consecrati, qui sanguinis locum suppleret: idque ex more qui tunc apud solitarios vigeat. Semper etiam fuerunt homines vel ex nativitate, vel ob infirmitatem abstemii, qui nec quidem odorem vini ferre possunt. Accessit & conversio gentium Aquilonarium, apud quas nec vinum nascebatur, nec facile ferri poterat. Hos autem vel privare debemus divinae mensae participatione, vel dicendum sola panis specie communicasse. Legimus enim in quibusdam regionibus vix repertum à fidelibus per eas iter agentibus vinum pro sacerdote celebrante. Graeci sub una specie communicant toto tempore Quadragesimae, quo Praesantificatis utuntur, exceptis Sabbatis & Dominicis. Aliis diebus quamvis doceant faciendam communionem sub utraque specie, factam tamen sub una non damnant. Nec unquam legimus aut Graecos à Latinis ob duplicem speciem, aut Latinos à Graecis ob unicam reprehensos fuisse: nec ipsi Graeci, qui post Schisma nullam occasionem praetermiserunt vexandi Latinos, hoc dissimulassent, si utramque speciem ex praecepto Christi necessario sumendam credidissent. Imò ipsi aegrotis & moribundis sub una tantum praebent: nam singulis annis feria V. majoris hebdomadae panem recentem solito majorem praeparant & consecrant, cujus quartam partem sacerdos absomit, tres reliquas in minutulas particulas comminuit, quas *Meridas*, & communiori vocabulo *Margaritas* vocant. Sed antea consecratum panem Christi sanguine leviter humectant, tum sacro disco ignem subjicientes cunctum humorem exprimunt, & sic adeò indurefcit, ut per totum annum à corruptione immunis servari possit. A pane verò ea ratione exsiccato modicum illud vinum quo imbutus fuerat omnino evanescit, & consequenter remanet sub sola specie panis corpus Christi, quod ad aegrotum, cum opus est, deferentes, prius extrahunt è pyxide margaritam unam, & in cochleari vino communi perfundunt, ut emollefcatur; eaque sic perfusa illum communicant. Agit de hoc ritu Graecorum doctè & diffusè Leo Allatius *epist.* 2.

ad Nihusium in suis *Symmictis* lib. 1. Infantibus verò dant Graeci more antiquo Eucharistiam sub sola specie vini, cochlear sanguine intinctum ori ipsorum inferentes ut lambant, quibus postea matres vel nutrices à sanctuario recedentes ubera praebent, ut sanguinem simul cum lacte deglutiant, ut idem Allatius asserit in annotationibus de communione Orientalium additis ad Tract. de consensione utriusque Ecclesiae. Extat ibidem testimonium Abrahami Ecchellenfis Maronitae, asserentis non solum Maronitas, sed & reliquas nationes Orientales sub unica specie communionem praebere aegrotis, pastoribus, rusticis, & aliis qui Ecclesiam adire non possunt, ad quos calicem deferre nec solent, nec tutum esset propter infideles, quorum dominio subsunt, & propter locorum distantiam, cum quatuor vel sex vici Christianorum longo itinere inter se distiti, saepe unicam habeant Ecclesiam, ad quam omnes confluere nequeunt, & unicum sacerdotem, qui ad absentes solum panem eucharisticum defert. Addit Gabriel Sionita *epist. ad Nihusium in symmictis Allatii*, eosdem Maronitas & reliquos Orientales infantibus sacro fonte nuper ablatis cochlear solo sanguine delibutum fugendum exhibere: iter quoque longum ingressuris, & profecturis ad bellum sacrum donum sub una specie panis secum ferendum concedi, ut ipsum sumant vitæ discrimine imminente. Quod verò subjungit duobus hisce casibus exceptis, ceteros omnes cujusvis aetatis & conditionis sub utraque specie communicare, id sacerdotes Maronitae in Urbe degentes à me consulti de his intelligendum testantur, qui intra Ecclesiam communicant. Liber enim constitutionum Ecclesiae orientalis, quem citat Abraham Ecchellen. *epist. ad Nihusium*, postquam decrevit, *cap. 3. sect. 3.* non licere Sacerdoti praebere corpus sine sanguine, statim subdit: „exceptis aegrotis, & qui longè distant ab Ecclesia, & qui impediuntibus sunt distracti negotiis, ut sunt pastores & agricolae, qui incolunt villas, nec habent Ecclesias, nec Ecclesiam remotam adire possunt: similiter quoque mulieres, praesertim cum timetur, ne hinc accidat eis ignominia aliqua propter itineris distantiam: deferre autem ad hos calicem, periculosum est valde, ideoque corpus sine sanguine detur illis. Simili modo apud Abassinos viaticum moribundis praebere sub unica specie panis Lucas Holstenius ad Nihusium scribit ex certa & fida sacerdotis Abassini relatione: idque mihi sciscitant



tanti duo ejus nationis Monachi viri graves & senio venerabiles, quos per interpretem allocutus sum, confirmarunt. Ipse Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus sub sola specie panis corpus suum præbuit, ut asserit Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 25. ubi explicans verba illa: „Oculi eorum tenebantur ne cum agnoscerent, ait: Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à satana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus: sed tamen à Christo facta est permissio usque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci. Patet autem calicem à Domino consecratum non fuisse, quia cum illis porrexisset panem, illicò evanuit. Non nego, aliquando simul cum corpore Christi sanguinem quoque extra Ecclesiam delatum, in vita enim S. Mariæ Ægyptiacæ à Sophronio conscripta legimus, quod, cum in vasta eremo annis XLVII. vitam rigidissimam egisset, ab Abbate Zozimo Dei nutu reperta, sibi que mortem imminere cognoscens, rogavit illum, ut reversus in Monasterium, divini corporis & vivifici sanguinis portionem in vase sacro sibi afferret, quia nunquam communicaverat, ex quo desertum ingressa fuerat. Ille verò statuto tempore mittens in modico calice intemerati corporis & preciosi sanguinis portionem ad eam attulit, quæ susceptis sacris mysteriis in pace quievit. Sed hoc exemplum, & alia similia, si quæ adsunt, utramque speciem necessariò sumendam esse non evincunt, & contraria totius Ecclesiæ praxi obruuntur. Ideo Synodus Tridentina à Spiritu sancto edocta, ac ipsius Ecclesiæ judicium ac consuetudinem sequuta, declaravit & docuit, Laicos & Clericos non conficientes, nullo divino præcepto obligari ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie: deinde perpetuò fuisse in Ecclesia potestatem in administratione Sacramentorum ea mutandi & statuendi, quæ suscipientium utilitati, & illorum venerationi, salva manente substantia, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Quare gravibus, ac justis causis adducta veterem consuetudinem sumendi Eucharistiam sub utraque specie, quæ jam ferè desierat, alterà commutavit sub una dumtaxat communicandi, atque hanc pro lege habendam decrevit. Quamvis autem ipsum concilium summi Pontificis prudentiæ discutiendum reliquerit, an communicatio sub utraque specie alicui regno vel nationi permit-

tenda quandoque foret, docuit tamen experientia rerum magistra, id nec utile Reip. Christianæ, nec salutare petentibus esse. Constat ex Actis consistorialibus Pium IV. anno 1564. sacro cœtui Cardinalium sæpius repetitas Ferdinandi Imperatoris preces retulisse, quibus Germanicæ nationi usum calicis concedi postulabat. Id ni fieret, brevi futurum, ut grassantem in illis provinciis hæresim omnes amplecterentur: hunc verò usum unicum tanto malo remedium esse. Quæ spe motus optimus Pontifex, Episcopis Germanicæ facultatem dedit deputandi sacerdotes, qui servatis quibusdam conditionibus Fidelibus laicis communionem sub utraque specie præberent. Verùm nec fructus inde provenit qui sperabatur, nec petentium saluti aut deviorum reductioni id profuit: imò statim irreperunt abusus, adeò ut Pius V. anno vix elapso coactus fuerit quicquid de hac re Pius IV. permiserat revocare, præcipiens sub pœna excommunicationis, ut decretum de communionem sub una specie ab omnibus inviolabiliter servaretur.

III. Græci hodie traditâ sibi ante aliquot sæcula à majoribus suis consuetudine, sub utraque specie, non seorsum sed simul mixta, populum communicant. Sacras enim particulas sanguine perfusas sacerdos distribuit, singulis singulas præbens parvo cochleari, cujus tenue & oblongum manubrium est in parvam crucem desinens, quas singuli ore excipiunt. Suspiciatur Arcudius lib. 3. cap. 53. hanc communionem originem traxisse ex facto mulieris Macedonianæ supra commemoratæ, quæ celebrante Chrysofomo se catholicam simulans de manu ejus Eucharistiam suscepit, quam ancillæ occultè dedit, & alium panem ab eadem acceptum ori imposuit, qui in lapidem versus est. Sed nusquam lego hoc factum occasionem dedisse veterem ritum immutandi, & ex scriptis Chrysofomi constat, Diaconum sanguinem distribuisse: quo munere fungi desinit, cum panis sacer sanguine tinctus cochleari præberi cœpit. Potius crediderim, non tam fraudis evitandæ gratia, quàm ob periculum effusionis hunc usum introductum, ut sacra mysteria simul mixta populo dispensarentur. Humbertus Sylvæ candidæ Episcopus in libro adversus calumnias Græcorum hunc ritum infectatur, sed acrius fortassis quàm oportuit, totius enim orientalis Ecclesiæ, & sanctorum Patrum, qui eodem ritus usu approbarunt, auctoritatem revereri par est. Idem mos intinctum panem porrigendi viguit etiam in Ecclesia Latina: nam Ivo



Carnoten. p. 2. cap. 11. & 85. & Gratianus de consecr. dist. 2. c. Cum omne crimen, afferunt decretum Julii I. vetantis communionem intinctam, quod iisdem verbis extat in concilio Bracarenfi III. habito anno 675. c. 1. ubi, cum inter abusus qui irreperant, & hunc enumerasset, quod quidam intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigerent, id vetat deinceps fieri, quia hoc non recipit prolatum ex Evangelio testimonium, ubi seorsum panis, seorsum calicis commendatio memoratur. Micrologus item c. 19. „ Non est, inquit, autenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt, nam Ordo Romanus contradicit. Exceptus est casus necessitatis & cautela in canone concilii Claromontani sub Urbano II. quem refert Baronius To. XI. ex schedis Antonii Augustini. At verò Paschalis II. etiam casum necessitatis exclusit ep. 32. ad Pontium Abbatem Cluniacensem præcipiens, ut parvuli & infirmi, qui panem absorbere non possunt, in solo sanguine communicent, hoc decentius existimans, quam intinctam communionem permittere. Alicubi tamen invaluit usus infirmos eo modo communicandi, aded ut apud Ivohem p. 2. cap. 19. decretum hac de re sancitum legamus à quodam concilio Turonensi. „ Omnis „ Presbyter, inquit, habeat pyxidem aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus Domini cum diligentia recondatur ad viaticum recipientibus de saeculo. Quæ tantum sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo: Corpus, & sanguis Domini nostri Jesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum & vitam æternam. Sic Patres Turonenses decreverunt, sed ratio quam afferunt quanti ponderis sit norunt Theologi: neque enim corpus Christi est sine sanguine. Alibi invaluit idem mos pro omni populo, non alia sanè de causa, quam propter cautelam, ne sanguis effunderetur. Ritus antiquus Missæ à Joanne Episcopo Abrincatenfi descriptus apud Menardum in Appendice libri Sacramentorum, vetat sacerdotem & ministros intincto pane communicare, excipit autem populum, quem, inquit, intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timore effusionis sanguinis Christi permittimus communicare. In antiquis consuetudinibus Monasterii Cluniacensis lib. 2. cap. 30. tomo 4. Spicilegii statutum extat de communionem intincta. In margine autem ex alio co-

dice ratio addita est, id contra usum aliarum Ecclesiarum esse, permitti tamen propter novitios & alios rudes, qui si sanguinem separatim acciperent, vix fieri posset quin aliquam negligentiam incurrerent. In Anglia aded propagatus erat hic usus, ut eum prolixè defendat Ernulfus Roffensis Episcopus epist. ad Lambertum To. 2. Spicilegii. Concilium verò Anglicanum sub Richardo Archiepiscopo Cantuariensi an. 1175. c. 15. prohibuit, ne quis quasi pro complemento communionis intinctam alicui Eucharistiam tradat. Erat autem duplex intinctio: una cum sanguine, altera cum vino communi, & hæc etiam aliquando viguit pro pueris & infirmis, qui panem siccum deglutire non poterant. In præcatis statutis Cluniacensibus lib. 3. c. 28. communicatio moribundi sic describitur: „ Sacerdos corpus Domini intingat, frangit, & partem quam allaturus est super calicem tenet, & tam ipse calix quam manus sacerdotis linteolo candidissimo cooperitur. Interea curatur, ut infirmi bucca lavetur recepturi ipsum corpus Domini, quod recipit vino intinctum, quo epotato ebibit quoque ablutionem calicis, ne videlicet aliquod fragmentum in eo remanserit: nondum enim in usu erat panis ille tenuissimus, quo nunc utimur in sacris mysteriis, ut alibi ostensum est. De hac ipsa intinctione loquitur, ni fallor, S. Prosper cap. 6. dimidiis temporibus, ubi narrat historiam mulieris energumene, quæ diebus septuaginta nullum cibum, nullumque potum sumpserat. Huic sacerdos particulam corporis Domini intinctam præbuit, vino scilicet non consecrato, sive aqua, ut eam facilius deglutiret. Nunc omnes intinctiones abierunt in desuetudinem, cum enim ad tollendos abusus decreta & præcepta non sufficerent, coepit tandem communicatio fieri sub una specie, nullusque locus intinctioni in Ecclesia occidentali relictus est. Porro cum agimus de corpore Domini sanguine intincto, alia quædam singularis intinctio distu horrenda mihi venit in mentem, quam ex Græcorum Annalibus sic narrat Baron. an. 648. Cum perditissimus Pyrrhus Monothelita post recantatam palinodiam in pristinum errorem lapsus esset, Theodorus Papa plenitudine convocata Ecclesiæ ad sepulchrum verticis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fecit. Simili modo scribit Nicetas in vita S. Ignatii Constantinopolitani subscripsisse Episcopos damnationi Photii Pseudopatriarchæ



chæ calamo intincto sanguine Domini vice atramenti: quod sane horrendum est: sed illi peculiâres sui consilii rationes habuerunt.

## CAPUT XIX.

*Communio puerorum. De ea quid senserint antiqui Patres, & quæ veteris Ecclesiæ praxis fuerit. Communionis nomen æquivocum. Perceptionem Eucharistiæ & mutuam fidelium societatem significat. Quæ fuerit communio laica, quæ Ecclesiastica. Quibusdam olim negatum in sine viaticum Eucharistiæ. Examinantur Doctorum sententiæ de communione peregrina. De eulogiis, earumque usu ac distributione.*

I. **Q**uia supra de communione puerorum mentio frequenter facta est, operæ pretium erit, quid de illa senserint antiqui Patres, & quid tandem definitum sit plenius explicare. Innocentius Papa describens ad Patres Concilii Milevitani Epistolam adversus Pelagianos, quæ est 93. apud Augustinum: & ipse Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 22. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. atque alibi sæpè, baptismi necessitatem ex necessitate Eucharistiæ inferentes in ea sententiâ fuisse videntur, quod etiam infantibus rationis usu carentibus tribuenda esset necessariò post baptismum Eucharistiâ, aded ut sine ea salvari omnino non possent. Sed aliam fuisse illorum mentem, si scripta ipsorum diligentius excutiantur, perspicuum est. Neque enim de reali sive sacramentali communione loquuti sunt, sed de ejus effectu, qui est unio & incorporatio cum Christo, quæ etiam per solum baptismum fit, sine actuali Eucharistiæ susceptione. Quamvis ergo revera prisci Patres soliti sint infantes communicare, non tamen ad communionem eis exhibendam ea ratione moti sunt, quod eam crediderint ad eorum salutem necessariam. Plura congerunt Scholastici, ut hanc fuisse Augustini aliorumque Patrum sententiâ ostendant, sed his omisiss instar omnium & super omnes mihi est auctoritas Concilii Tridentini. Sessione siquidem 21. cap. 4. postquam declaravit parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, ait: *Neque idè tamen damnanda*

*est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est. Neque aliter crediderunt ipsimet discipuli S. Augustini, is præsertim qui primum inter eos locum tenet, Fulgentius Ruspensis Episcopus. Is etenim Epist. ad Ferrandum Diaconum de baptismo Æthiopicis moribundi cap. 11. manifestè docet ex ea sententiâ Salvatoris Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; non posse inferri actualem communionem post baptismum necessariam esse ad salutem; quandoquidem effectum Eucharistiæ in ipsa regeneratione baptizatus suscipit, factus corporis Christi verum membrum. Quod etiam, inquit, sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus. Tum sermonem hac de re habitum S. Augustino subjungit, ac tandem sic concludit Epistolam. „Arbitror sancte frater disputationem nostram „præclari doctoris Augustini sermone firmam, „tam, nec quicquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis „sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptisate membrum corporis Christi „efficitur, nec alienari ab illo panis calicisque „confortio; etiamsi antequam panem illum comedat & calicem bibat de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privat, quando ipse hoc, quod „illud sacramentum significat, invenitur. Hinc colligitur, sensum Augustini non bene ab illis perceptum fuisse, qui perperam eum accusant, quod Eucharistiâ parvulis necessariam ad salutem esse docuerit contra Ecclesiæ definitionem, quæ hanc sententiâ inflicto anathemate condemnavit. Cautius loquutus est Hugo à S. Victore doctrinæ Augustini sectator egregius, qui veteris Ecclesiæ consuetudinem attendens, tradendam quidem pueris Eucharistiâ sub specie vini docuit lib. 1. de Sacram. cap. 20. sed cum cautela & limitatione: nam si in reservando sanguine Christi vel ministrando pueris, imminet periculum, potius supersedendum videtur. Tum ait pueris nullum imminere salutis periculum, si eos contingat absque communione decedere, quia membrum corporis Christi jam sunt effecti per baptismum. Idem scribit Lanfrancus Cantuariensis Epist. 33. ad Domnaldum Episcopum*



scopum Hiberniæ, qua doctè & subtiliter de Infantium communione pertractat. Horum autem aliorumque Patrum doctrinam, & verborum Christi expositionem ab illis traditam non considerans Radulfus Hugoni contemporaneus, loquens de Eucharistiæ necessitate ferm. in die Paschæ, *Statutum est*, inquit, *ut pueris mox baptizatis saltem in specie vini tradatur, ne sine necessario sacramento discedant.* Et Radulfo antiquior Gualterius Aurelianensis, qui vixit sæculo nono, cap. 7. sui Capitularis mandat, ut Presbyter semper Eucharistiã paratam habeat, ut, quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus ægrotaverit, statim eum communicet, ne sine viatico moriatur.

II. Quod verò Antiqui ministrare parvulis sacra mytheria consueverint, ex eorum scriptis evidenter ostenditur. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium, „Per baptismum, ait, Spiritus sanctus accipitur, & sic à baptizatis & Spiritum sanctum consecutis ad bibendum calicem Domini pervenitur. Idem libro de lapsis, ab indigna communione horrendis exemplis deterrens, celeberrimam historiam narrat, quam etiam ex ipso refert & ponderat August. epist. 23. cujusdam infantulæ, quæ cum parentum incuria & nutricis delatione panem vino mixtum de idolothytis comedisset, ipso Cypriano sacrificante aderat cum matre in Ecclesia. „Ubi verò solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, & labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violata Eucharistiã permanere non potuit. Dionysius in fine cap. 2. Eccl. hierarch. „Omnibus, inquit, peractis eum qui initiatus est ad Eucharistiã vocat, & mysteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit. *Et infra cap. 7.* Quod autem infantes, qui per ætatem nequeunt intelligere, divinæ regenerationis, sanctorumque divinæ communionis mysteriorum participes fiant, videtur hominibus profanis non immeritò risu dignum. Mox hujus facti rationem reddit. Vetus hæc consuetudo fuit, ut, quicumque baptizabantur sive adulti sive infantes, sacra statim communione reficerentur. Liber Sacramentorum S. Gregorii editus à Menardo in officio Sabbati sancti agens de baptismo

infantium ait, *Qui etiam non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit.* Jobius Monachus apud Photium, *Primò*, inquit, *baptizantur, deinde unguuntur, inde presioso sanguine dignantur.* Theophanes Nicanus, cujus frontem versibus conferibi iussit impius Theophilus Iconoclasta, asserit epist. 3. ad sacerdotes statim post baptismum datam omnibus communionem. Hieronymus adversus Luciferianos Hilarium ait non potuisse baptismum sine Eucharistiã administrare, quia presbyter non erat. Huc item respicit Tertullianus lib. de pudicitia cap. 9. ubi explicans filii prodigi parabolam, *Annulum*, inquit, *accepit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Domini corporis vescitur, Eucharistiã scilicet.* Narrat Evagrius lib. 4. hist. Eccl. cap. 35. dejecto Anathimo è throno Constantinopolitano, eique Menna viro orthodoxo substituto, hoc miraculum in puero Hebræo contigisse. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, ut, si quando multæ particulæ corporis Christi superessent, sacerdotes pueros in corruptos accerierent, qui eas comederent. Cum his adfuit aliquando puer Hebræus, & cum cæteris sacrorum mysteriorum particeps effectus est. Quod cum Pater didicisset, furore ac rabie succensus in elibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum coniecit; qui triduo in igne, Deo protegente, illæsus permansit, donec à matre educus è fornace, ipse cum matre baptismum suscepit, pater cruci affixus est. Hoc miraculum referunt Greg. Turonen. lib. 1. de gloria martyrum cap. 10. & Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 25. atque hic postremus addit, se, cum puer admodum esset, sæpenumero eum ahis interfuisse, & reliquias sacramentorum suscepisse. Vixit autem Nicephorus sæculo XIV. ex quo inferitur, hunc morem in Urbe regia octo sæculorum spatio perstitisse, nam Menna claruit sæculo VI. Joannes Moschus in prato spirituali cap. 19. aliud miraculum narrans, quod pueris Apamiensibus accidit, qui per jocum sacram synaxim celebrantes verba consecrationis super panem & vinum protulerant, eos potuisse ait illa verba ediscere, quia consuetudo tunc erat in Ecclesia, ut pueri ante sacramentum assisterent, & primi post clericos communicarent. Eundem morem reliquias sacramenti pueris ministrandi, in Occidente quoque, saltem in Gallia, viginisse docet nos Concilium II. Matisconense habitum anno 588. nam cap. 6.



can. 6. ait: „Quaecumque reliquiae sacrificio-  
rum post peractam Missam in sacrario superse-  
derint, quarta vel sexta feria innocentes pueri  
& ab illo cuius interest ad Ecclesiam adducantur,  
& indicto eis jejunio, easdem reliquias con-  
spersas vino percipiant. Postea Concilium Tu-  
ronense III. tempore Caroli Magni cap. 19.  
presbyteros admonendos esse sancivit, ut, cum  
sacra Missarum solemnia peregerint atque com-  
municaverint, pueris aut aliis quibuslibet perso-  
nis adstantibus corpus Domini indiscretè non  
tribuant. Et Odo Episcopus Parisiensis, qui vi-  
vebat anno 1175. in statutis synodalibus cap. 39.  
*Communium praeparatorum*, discretè praecipit pres-  
byteris, ne hostias licet non sacratas dent pueris  
ullo modo. Sic desit in Gallicana Ecclesia saeculo  
XII. mos pueros communicandi, quem licet  
optaverit instaurare ejusdem saeculi scriptor Hu-  
go à S. Victore, asserit tamen loco supra citato  
jam suo tempore desuisse, aliquo ejus vestigio re-  
manente; nam presbyteri retinentes veterem  
formam, sed non rem, vinum commune pueris  
recens baptizatis dabant pro sanguine, quod Hu-  
go superfluum & dimittendum arbitrabatur. Ne  
verò reliquiae sacramenti superessent, saepe decre-  
tum est, ut tot dumtaxat particulae consecraren-  
tur, quot erant parati ad communionem: & si  
quid residuum foret, à sacerdote seu ministris co-  
mederetur, aliquot tantum particulis pro infir-  
morum communionem reservatis, quae statis die-  
bus renovarentur. Quod si contingeret ut mini-  
strorum incuria putrescerent, statuit Concilium  
Arelatense apud Ivonem p. 2. cap. 56. ut igne  
comburantur & cinis juxta altare sepeliatur; id-  
que in usu fuisse docet Algerus lib. 2. cap. 1.

III. Est autem nomen communionis aequi-  
vocum. Quamvis enim hodie nihil sit, quod no-  
mine communionis intelligatur, nisi sola Eucha-  
ristiae participatio, haec tamen vox latè olim  
patebat, & praeter Eucharistiam alia multa com-  
plectebatur. Congerunt in hanc rem plurima  
testimonia à veteris Ecclesiae praxi viri eruditissi-  
mi Gabriel Albaspineus lib. 1. observat. & Joan-  
nes Morinus lib. 2. *Ecclesiast. exercitationum*.  
Et primo quidem duo veluti genera erant Chri-  
stianae communionis, communio scilicet com-  
mercii sive mutuae cum caeteris Fidelibus socie-  
tatis: & communio Eucharistiae, quae prioris  
perfectio, finis, & centrum est. Illa habitu-  
dinem habet & relationem ad corpus Christi my-  
sticum, quod est Ecclesia: haec verum corpus  
ejusdem respicit, quod sumitur in Eucharistia.

Illa dicebatur communio sine oblatione, ut-  
potè consistens in sola participatione oratio-  
num & consortii fidelium: haec, communio  
cum oblatione, iis concessa, qui corporis & san-  
guinis Domini participes erant. Quia verò Ec-  
clesia ex populo constat, cujus est institui, di-  
rigi, & perfici; & ex clero, ad quem spectat  
docere, sacramenta administrare, dirigere, &  
perficere, ideo communio, quatenus respicit  
mysticum Christi corpus, dividitur in laicam &  
Ecclesiasticam. Ecclesiasticae tot sunt species,  
quot ordinum gradus: aliter enim inter se &  
cum aliis clerici minorum ordinum, aliter sub-  
diaconi, & diaconi, aliter presbyteri & Epi-  
scopi communicabant. Cum ergo aliquis ordi-  
nis sui munia in poenam alicujus delicti obire non  
poterat, is communionem privari dicebatur,  
quia cum caeteris in his, quae sui ordinis erant,  
communicare vetitum illi & illicitum erat. De  
hac communionem antiqui canones loquuntur,  
quoties clericos, diaconos, presbyteros, sive  
Episcopos communionem privari praecipiunt.  
Quod si quis perpetua depositione à sui gradus  
honore & functione removebatur, is omne jus  
Ecclesiasticae communionis amittebat, & inter  
laicos relegatus, ipsorum tantum communionem  
fruebatur. Unde fit, ut communio laica, quae  
laicis honor est, Ecclesiasticis dedecus esset,  
quia illis in poenam irrogari solebat, cum admis-  
so aliquo crimine è loco & gradu suo detrusi cum  
laicis esse jubebantur. Recentiores, qui audito  
nomine communionis, ejus veteri notione ne-  
glecta, id solum concipiunt quod hodie ea voce  
significatur, laicam communionem nihil aliud  
esse putant, quam perceptionem Eucharistiae  
sub unica specie aut extra cancellos more laico-  
rum; quod quam falsum sit, vel ex eo liquet,  
quod saepe clericos ad laicam communionem  
detrutos legimus eo tempore, quo etiam laici  
sub utraque specie communicabant. Est igitur  
communio laica jus societatis & communicatio-  
nis cum caeteris fidelibus in rebus tam sacris  
quam civilibus more laicorum: ex quo conse-  
quens erat, ut clerici ad eam damnati, quan-  
doquidem à gradu clericali dejecti in ordinem  
plebis redigebantur, in perceptione Eucha-  
ristiae instar laicorum se gererent, eam sumentes  
extra septa altaris, aut sub una vel utraque spe-  
cie, sicut ex usu Ecclesiae tunc laici sumere con-  
sueverant.

IV. Illud autem difficilius videtur, quod ali-  
quando antiqui canones in fine tantum vitae  
Gggg ali-



aliquando nec quidem in fine laicam communionem reis concedebant, ut c. 2. concilii Sardinensis, & c. 18. Illiberitani. Sed quibus perfecta est veteris Ecclesiae disciplina, ignotum esse non potest, hanc diversitatem animadversionis ex criminum diversitate provenisse. Quaedam enim crimina adeo gravia censebantur, ut eorum reus non solum depositione puniretur, sed etiam ad agendam poenitentiam, tanquam indignus ipsa laica communione, extra limen Ecclesiae usque ad finem vitae inter *Flemes* ablegaretur, cui animam agenti concedebatur, ut tanquam laicus fidelis praevia peccatorum absolutione Eucharistiam more laicorum acciperet. At qui scelera atrociora perpetraverant, iis severiori sententia absolutio quidem a peccatis, quae nemini verè poenitenti in fine negari solebat, concedebatur, sed viatico Eucharistiae privabantur, ut, qui flagitiis suis clericalem gradum vivendo deturpaverant, nec viaticum quidem corporis Christi in morte susciperent, quod nulli laico fideli ab hoc saeculo decedenti negabatur. Haec durior animadversio, an fuerit mitigata can. 13. magnae Synodi Nicanae, quo praecipitur, *ut si quis vita excedat, ultimo & necessario viatico minime privetur*, controversum est. Nam cum duplex apud antiquos viaticum esset, nempe absolutionis & Eucharistiae; hic per ultimum & necessarium viaticum putat Albaspinæus sacramentalem absolutionem & solam admissionem ad consistentiam à Patribus Nicænis indicatam, cui explicationi favere videtur idem Canon statuens, quod, si is supervixerit, sit inter eos, qui communionem tantum orationis consequuntur. Habertus verò ad partem X. *Liturgiae observ.* X. contrariam sententiam sustinet, de viatico Eucharistiae canonem Nicænum loqui; idque deducit ex secunda parte ejusdem, qua sancitur, ut culibet generaliter in exituposito, & Eucharistiae participationem poscenti, Episcopus cum probatione oblationem impertiat. Utraque sententia probabili fundamento innititur, & per se liberum cuique erit cui maluerit adherere. Quaecumque enim fuerit Nicænae synodi mens, certissimum illud est, cujus gratia huc digressi sumus, quibusdam poenitentibus propter horrenda crimina negatum in fine viaticum Eucharistiae, & solam precum communionem cum viatico absolutionis concessam. Imò primis Ecclesiae temporibus, ut Lib. I. Cap. XVII. ostensum est, idolatriae, moechiae, & homicidio ipsam etiam absolutionem negatam, quorundam sententia

est, qui ad hanc, non ad Eucharistiam omnino referendos putant concilii Illiberitani canones, quibus decernitur, ut rei praedictorum criminum, nec in fine ad communionem suscipiantur. Arguitur haec synodus à nonnullis nimiae severitatis, sed sic ea tempora & fidelium mores ferebant. Fuit ergo, ut Innocentius I. ad Exuperium Episcopum Toletanum scribit, *observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatio. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur in poenitentia*, id est, ut admitterentur, qui lapsi fuerant in ordine poenitentium, sed *communio*, id est participatio cum fidelibus & absolutio, sine qua illorum consortio frui non poterant, negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliacione securos non revocaret ad lapsu, negata merito communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur, & duriores remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiae suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, nempe *communione reconciliacionis, de qua ab Exuperio interrogatus fuerat, quasi viaticum profecturis*. Idem fere decernitur can. 3. concilii I. Arausiaci: *Qui recedunt de corpore poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione, publica scilicet & solenni, quae in Ecclesia fieri solebat, eis communicari. Quod morientis sufficit consolacioni, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem sufficienter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine Poenitentium, & ostensis necessariis poenitentiae fructibus, legitimum communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant. Legitimae autem communionis tunc participes erant, cum plenè reconciliati, ad divina mysteria percipienda admittebantur.*

V. Erat & aliud genus communionis, quae peregrina dicebatur, de qua variae sunt Eruditorum sententiae. Quidam, inter quos est Binius in notis ad concilium Ilerdense, eam cum laica confundunt: sed non est credibile, veterem Ecclesiam eandem rem diversis adeo vocabulis expressisse. Ingens quoque inter utramque discrimen fuit, clerici enim ad laicam damnati, gradu suo in perpetuum carebant, peregrinam verò mulctati, ut constat ex concilio Agathensi c. 11. non semper ei poenae subiacebant. Alii existimant, communionem peregrinam nihil aliud esse, quam



quam perceptionem Eucharistiæ sub una tantum specie. Verum quid magis alienum à disciplina veterum Patrum, quam ut Eucharistiæ etiam sub una specie sumptionem, tanquam poenam irrogarent Clericis furti & aliorum criminum reis, qui etiam in fine vitæ constitutis, & longâ ac ærumnosâ poenitentia functis, eam aliquando denegabant? Franciscus Bosquetus vir multæ eruditionis, in notâ ad epist. 174. l. 1. Innocentii III. peregrinæ communionis nomine poenam suspensionis intelligit, cum Episcopus omni Pontificali potestate exutus, honorem dumtaxat habeat, & primam sedem inter presbyteros: quæ poena ad alios deinde ordines, ut ipse putat, translata est. At hæc communio non poena, sed solatium fuit: idque tributum Episcopis Novatianis post abjuratos errores legitur can. 8. concilii Nicæni, ut honore servato primi inter presbyteros sederent. Nec aliter explicandus est canon 3. synodi Rejenfis, quo nritur Bosquetus. Sermo enim in eo est de Armentario, qui Ebreundenfis Episcopus à duobus tantum ordinatus fuerat cum multiplici canonum transgressione: quam ordinationem irritam & nullam synodus pronuntiavit, vetuitque illi consistere intra fines Alpium maritimarum. Quia tamen facti poenitens se ignoranter deliquisse dicebat, permisit ei extrâ illam provinciam manere, & in aliqua Ecclesia ei misericorditer attributa, peregrinâ communionem foveri, juxta decretum præcitatum concilii Nicæni. Patet autem hanc communionem in solatium amissæ dignitatis concessam, eique potius ornamento quam poenæ fuisse. Alia est singularis sententia Gabriëlis Henao, qui lib. de sacrif. Missæ p. 3. disput. 28. sect. 49. & sequentibus diffusissime agens de communionem peregrinâ, eam tandem fuisse concludit, ad quam clerici admittebantur, quibus in poenam alicujus peccati, peregrinationes sive perpetuæ, sive ad tempus, impostæ erant, sed quamvis multa dicat, non tamen probat, quæ & qualis fuerit peregrinantium communio; & hoc deinde ab illo demonstrari oportebat, quod quando canones de communionem peregrinâ editi sunt, solerent clericis ad expianda peccata peregrinationes injungi. Cellotius lib. 6. de Hierarchia cap. 16. nihil sacrum respicere hanc communionem existimat, sed tantum humanam societatem, & subsidia victus ac vestitus clericis erogata, quibus hæc poena peregrinitatis imponebatur: dictam autem peregrinam autumat, quia sic mulctati, non merebantur tractari ut cives Sanctorum &

domestici Dei, sed tanquam advenæ & peregrini. At hæc ingeniosa nominis, explicatio est, rem non attingens, de qua quaeritur. Simili modo aberrant à scopo Scholastici & Canonistæ, qui, cum solam Eucharistiæ perceptionem audito communionis vocabulo mente concipiant, eam peregrinam dici scribunt, quæ olim peregrinis speciali aliquo ritu, separatim ab incolis loci præberi solebat. Alii dicunt eam esse, quæ ad finem usque vitæ reservatur, quia ex hoc seculo migraturi, quasi in exteras regiones peregrinantur. Sed turpe est hujusmodi ineptiis recensendis tempus prodigere.

VI. Sirmundus in historia publicæ poenitentiae cap. ult. & Albaspinæus lib. 1. Observat. tunc peregrinâ communionem mulctatos fuisse clericos crediderunt, quando in eo loco & statu collocabantur, quo poni solebant clerici peregrini, qui sine litteris commendatiis, quas *Formatas* vocabant, extrâ propriam dioccesim peregrinabantur. Excipi enim benignè consueverant, & sumptibus Ecclesiæ ali, nullo prætermisso humanitatis officio: nemo tamen clericorum cum illis tanquam cum clericis communicabat, nec ullis sui ordinis muneribus fungebantur. Sic statuisse legitur concilium Liptinense, c. 4. ut Episcopi, vel presbyteri ignoti undecunque venientes in ecclesiasticum ministerium non admitterentur ante probationem synodalem. Hoc autem advenis nulla erat poena, sed sic ferebat usus Ecclesiæ, ut clerici vagantes sine *Formatis* ad suorum ordinum exercitia in aliena diocesi non admitterentur: quæ cautio etiam hodie adhibetur, ut ignoti & extranei sacerdotes non permittantur celebrare, nisi litteras suæ ordinationis ostendant, tametsi in reliquis omnia illis officia Christianæ charitatis impendantur. Cum verò Clerici alicui Ecclesiæ adscripti, functiones sui ordinis exercere prohibebantur, id sane poena erat in hoc sita, quod licet peregrini non essent, certumque domicilium & gradum in propria civitate & Ecclesia obtinerent; sic tamen cum eis agebatur, ac si peregrini forent, de quorum statu & conditione non constaret. Cumque sui ordinis exercitio carerent, non tamen abstenti erant à perceptione Eucharistiæ, quæ nec peregrinis quidem & ignotis negabatur, cum se verè orthodoxos esse docuissent. Putat Albaspinæus desumptam hanc poenam ex legibus Romanorum, quibus sancitum erat, ut deportati & extorres, jus civitatis & ea quæ erant juris civilis amitterent, illa tantum retinentes, quæ



sunt juris gentium, ut docent Ulpianus l. 1. §. 2. & 4. ff. de legatis III. & Marcianus *ibid* de pœnis lib. 17. Agit de his eruditè, ut solet, doctissimus vir Nicolaus Antonius lib. 2. de exilio c. 5. num. 10. & cap. 7. num. 12. Testatur quoque Suetonius in Claudio cap. 16. redactos quandoque Romæ viros illustres ad peregrinitatem: *Splendidum virum*, inquit, *Græciæque provinciæ Principem, verùm latini sermonis ignarum, non modo albo Judicium crasis, sed etiam in peregrinitatem redegit.* Hujus communionis, ut pœnæ, duo tantum concilia mentionem faciunt: Agathense sub Symmacho, & Ilerdense sub Joanne I. Agathense can. 2. ait: „Contumaces clerici ab Episcopis, copis corrigantur, & si qui prioris gradus elati, superbia communionem, consortium scilicet cæterorum, fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque suscipiant. *Idem* can. 5. Si quis clericorum futurum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. *Ilerdense* can. 16. Si quis clericus quacumque occasione de omni facultate Ecclesiæ, quippiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegii prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina communio concedatur. Anathema autem hic sumitur in latiori significatione pro quacumque ecclesiastica pœna. Patet autem ex c. 2. Agathensis hæc pœnâ multatos à cæterorum societate subductos, ex matricula expunctos, gradu submotos, & in ordinem redactos fuisse, donec per pœnitentiam diluto peccato, matriculæ & corpori, à quo segregati fuerant, restituerentur. Sed quid propriè peregrinæ communionis nomine præcicata Concilia intellexerint, ex horum canonum contextu colligere non possumus. Probabilis quidem est Sirmondi & Albaspinaxi conjectura, nec aliquid mihi occurrit, quo eam falsi arguere possim, optarem nihilominus, eandem solidioribus magisque perspicuis ex antiquitate argumentis fulciri. Moveor autem ad dubitandum ed confidentius, quod legerim superscriptam sententiam ipsi Albaspinæo postea displicuisse, seque plenius & uberius de ea scripturum in altera editione promississe, quod tamen non fecit morte præventus. Quid igitur verè sit peregrina communio, libenter discam à peritioribus, mihi enim non liquet; licetque fateri cum viro, nec indocto, nec ignaro

antiquitatis Guilielmo Lindano lib. 4. *Panopliæ* cap. 58. eam mihi non satis perspectam esse.

VII. Postremum genus communionis illud erat, quod per eulogias fieri instituit vetus Ecclesia. Quid autem sint eulogiæ, & qua de causa institutæ, diximus supra Lib. I. Cap. XXIII. §. 12. Erat enim panis, qui supererat consecrationi in particulas dissectus, & in fine Missæ à sacerdote iis distributus, qui ob aliquod impedimentum non poterant, aut non erant parati communicare. Id Græci & Latini scriptores testantur. Theodorus Balsamon in can. 2. *conc. Antioch.* Simeon Thessalonicensis lib. de divino templo. Nicol. Cabasilas in *expositione Liturgiæ*, Gemma animæ lib. 1. cap. 67. Durandus in *rationali* lib. 4. cap. 53. Illis verò dumtaxat eulogia præberi poterat, qui jus habebant ad communionem, cæteris negabatur, quibus vel nondum patebat aditus ad Eucharistiam, vel ob aliquod crimen interclusus erat: quales erant Catechumeni, Pœnitentes, & abstenti à communionem. Hoc edicit Theophilus Alexandrinus can. 7. „Quæ in sacrificii rationem offerunt, post ea quæ in sanctorum usum consumuntur, clerici dividant, & nec Catechumenus ex iis bibat vel comedat, sed solum clerici, & qui cum eis sunt fideles fratres. Quia enim, ut explicat Balsamon, altari oblata sunt, & ex illis sumptæ sunt partes ad divina dona, qui sunt imperfectiores, ex iis edere non debent. Errant igitur, qui de Catechumenis aliter sentiunt, decepti loco quodam Augustini, quem malè interpretati sunt. Is lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 26. ait: „Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi & orationem manus impositionis purto sanctificari: & quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est. At Augustinus non hic de pane, ut illi perperam existimant, sed de sale loquutus est, quod Catechumenis dari solebat, ut Eru- ditis notum est. Negatas quoque Eulogias excommunicatis & graviorum criminum reis, exemplo suo docuit Gregorius Turonensis lib. 5. *hist.* cap. 15. agens de Meroveo Apostata, & l. 8. c. 20. de Ursicino Episcopo Cadurcensi. Eandem ob causam cautum est in synodo Laodicena can. 32. & in secunda Bracarensi can. 70. ne Fideles orthodoxi ab hæreticis eulogias acciperent, quia cum illis communicare non debent. Solebant autem comedi in Ecclesia, de qua re extat decretum Synodi Constantinopolitanæ tempore Alexii



Alexii Comneni habitæ ad quintam Monachorum quæstionem: quem ritum etiam à Latinis servatum legimus. Græci tamen recentiores, cum peregrè profiscuntur, Antidoron sive eulogiam secum deferre consueverunt, tanquam alexiterium in tempestatibus & periculis, ut scribit Goar in notis ad Euchologium pag. 155. Monachos item Cluniacenses eulogias in refectorio comedisse, antiquæ eorum consuetudines testantur apud Lucam Dacherium to. 4. spicilegii lib. 2. cap. 30. his verbis: *Privatis diebus hostiæ non consecratæ portantur in Refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt, per manus sacerdotis distribuuntur.* Et infra lib. 3. cap. 12. Officium sacristæ describentes, inter cætera ab eo agenda hoc recensent: *Portat pyxidem cum hostiis non consecratis in Refectorium, de quibus singuli prælibant, qui noluerunt, aut non potuerunt communicare.* Apud Christophorum Brouverum Antiquit. Fuldensium lib. 3. cap. 12. extat libellus supplex Monachorum, quo inter cætera petunt, ut communionem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundum exempla præcedentium Patrum. Et in Aquisgranensi concilio c. 68. decernitur, ut eulogiæ fratribus à presbyteris in Refectorio dentur, his nimirum, qui non communicaverant. Hæc enim, ut diximus, potissima causa fuit institutionis eulogiarum, ut vices agerent Eucharistiæ, & communioni succederent, quæ olim frequentior erat. Nihilominus successu temporis his etiam datæ sunt, qui Eucharistiâ refecti fuerant. Codinus lib. de officiis aulæ Constantinopol. cap. 17. Imperatoris coronationem describens, „ Postquam, inquit, divinorum „ mysteriorum particeps effectus est, impositâ „ rursus capiti coronâ, egreditur ex tabernaculo, „ finitæque Liturgiâ & pane sanctificato, „ quod antidoron nominamus, populo distributo, de quo postquam & ipse participavit, & „ benedictionem à Patriarcha, cæterisque præsentibus Episcopis accepit, eorumque manus „ deosculatus est, ascendit ad locum Catechumenorum. Idem asserit Cantacuzenus lib. 1. hist. cap. 41. Permansit hujus ritus vestigium aliquod in quibusdam provinciis, in quibus panis die festo benedicitur, & in frustra divisus astantibus post Missam, etiamsi communionem perceperint, distribuitur in signum fraternæ communionis & charitatis. Ab hac verò publica & solemnî eulogiarum distributione aliæ privatæ exortæ sunt inter ecclesiasticos & religiosos, qui, ut supra ostensum est Lib. I. Cap. XXIII. panes sibi

invicem mittebant velut symbolum religiosæ fraternitatis. Atque hinc factum puto, ut nomen eulogiarum, ad cujuscunque generis munuscula translatum sit, loquendi formula ab Hebræis deducta, qui munus benedictionem appellant, ut 1. Reg. cap. 25. *Accipe benedictionem, quam attulit ancilla tua:* ubi in textu hebraico est *Beracab*, in græco *eulogia*, quæ voces idem significant. Sic Eulogias accipit S. Benedictus, cum cap. 54. suæ regulæ Monachis prohibet, ne absque licentia sui Abbatis sibi invicem eulogias mittant. Sic Marculus lib. 2. Formularum, exhibens formulam, qua Episcopus alteri Episcopo in Resurrectione Domini eulogias mittit. Sic Magister in regula cap. 76. modum præscribens, quo debent suscipi eulogiæ missæ ad monasterium à summo Pontifice, sive à Sacerdotibus. Sic alii scriptores passim, quos prætermitto; nam de eulogiis hoc sensu acceptis, non est hic locus differendi. Multa congerit de his Gretserus lib. 2. de benedictionibus.

## CAPUT XX.

*Ablutio & gratiarum actio post communionem. Orationes pro his qui communicaverunt. Oratio super populum. Dimissio astantium dicente Diacono, Ite Missa est. Cur hæc dimissio certis diebus omittatur. Consummatio Missæ & populi benedictio. Ejus origo & ritus diversi. Evangelium post Missam. Usus ipsius recentior. Recessus Sacerdotis ab altari. Hymnus trium puerorum. Sacrarum vestium depositio. Finis Libri.*

I. **D**utius in disquisitione communionis immorati sumus, ita exigentibus præcis Ecclesiæ institutis, jam ad finem divini sacrificii accedendum est. Postquam omnes communicaverunt, ait Micrologus cap. 23. dicit sacerdos: *Quod ore sursum Domine, purâ mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* Hanc orationem secretò recitandam plerique codices M. SS. insinuant. Alterâ quæ nunc dicitur, cum digiti & calix abluuntur, videlicet: *Corpus tuum Domine quod sumpsi, &c.* carent veteres libri, nec eam reperi nisi in Missa edita ab Illyrico. Lotionis manuum post communionem mentio fit in ordine Romano, sed



non ablutionis, quæ nunc sumitur à sacerdote: tantummodo monet, ut Diaconus cautè procuraret, ne quid in calice aut patena sanguinis vel Corporis Christi remaneat. Ritus Missæ à Joanne Episcopo Abrincacensi descriptus apud Menardum post communionem sacerdotis & aliorum, ait: „Particulam quæ in calice remanet, sit sacerdos sumat, & post Diacono calicem ad mundandum & sumendum quod remansit porrigat, qui in sinistrum cornu altaris calicem cum patena deferat, ubi partem sibi accipiat, & partem subdiacono tribuat. Post mandato utroque utrique participant. Acolythus verò alterum calicem sacerdoti ad mundandos digitos deferat. Sed quid fieret de ablutione non dicit: puto autem projectam in sacrarium, nam in antiquis Ecclesiis præsertim monachorum, singula altaria à parte Epistolæ, parvam habent piscinam in hunc usum paratam. In libro Usuum ordinis Cisterciensis cap. 53. hic modus ablutionis præscribitur. „Si quid residuum fuerit de sanguine, bibat illud Diaconus cum calice, postquam fistulam reddiderit subdiacono. Quam fistulam antequam reddat, in quantum potuerit, ab utraque parte sugendo à sanguine Domini evacuet, subdiaconus verò tenens fistulam contra faciem suam in transverso, eat ad sacerdotem per retrò altare ministrare vinum in calice. Qui recepto calice respergat digitos suos in ipso, quem ponens super altare eat ad piscinam, nam abluere in ipsa digitos aqua. Quibus terhis redeat ad altare sumere vinum quod dimisit in calice. Quo sumpto iterum aspergat calicem vino. Quo hausto, ponat illum non reclinatum super altare juxta patenam. Eadem ferè leguntur in aliis Ritualibus monachorum post annum millesimum scriptis. Nihil autem antiquius occurrit, nisi quod semper summa diligentia ministri altaris curarunt, ne quæ reliquæ sacramenti, ut superius diximus, peracta synaxi remanerent, iis particulis exceptis, quæ pro communicandis infirmis conservabantur.

Diaconus verò ex præscripto Ordinis Romani, videns omnes communicasse, faciebat signum crucis in fronte, ut Prior scholæ cantorum ex eo intelligeret, quando deberet post antiphonam, quæ communicatio vocatur, gloriam S. Trinitati psallere & versum repetere. Olim enim post ipsam communionem psalmus, & Diacono innuente versiculus *Gloria Patri* cantari solebant, cum antiphonæ repetitione. Tum surgens Pontifex è sede sua, & veniens ad altare, dabat ora-

tionem ad complendum. Sic enim in libro Sacramentorum S. Gregorii nuncupatur oratio, quæ nunc dicitur Postcommunio, quia nimirum ea recitata pro gratiarum actione sacrificium completur. Optimè Augustinus differens de sacramentorum celebratione epist. 59. ad Paulinum, *Participato*, inquit, *tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit*. Porro istæ orationes pro communicantibus institutæ sunt, quando omnes vel plerique, qui aderant sacrificio, communicabant: nam & ipsum communionis vocabulum improprie hic usurparetur, nisi plures de eodem sacrificio participarent. Quamvis autem mos ille desierit, nihil tamen in orationibus immutatum est; sed idèò retentæ sunt, ut sciamus, quid olim factum sit, & ex ipso precationum tenore ad pristinum fervorem excitemur. Accedit & alia ratio, quam tangit Walfridus Strabo cap. 22. quia licet totius Missæ decursu pro his maxime & quasi nominatim oretur, qui ibi offerunt atque communicant; ceteri tamen offerentium atque communicantium persistentes, ejusdem oblationis & communionis participes sunt, tanquam ejusdem actionis cooperatores. Hinc infert Radulfus Tungrensis *propof.* 23. ante has orationes communicare eos debere, qui earumdem orationum benedictione fovendi desiderant; neque, ut fieri solet cum notabili sacrorum rituum transgressione, usque ad finem Missæ differenda communicatio. Est & alia oratio, quæ dicitur super populum, quam Amalarius *lib. 3. cap. 37.* ultimam benedictionem vocat, & potissimum in Quadragesima frequentatur, Diacono præcipientem *Humiliate capita vestra Deo*. Cur verò hæc addi soleat, diebus præsertim solemnibus jejunii, sic edisserit Micrologus cap. 51. „Orationem super populum in Quadragesima idèò frequentamus, quia oratio post communionem pro solis communicantibus solet orare. Populus autem etsi quotidie in Quadragesima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergò populus ita oratione ut communionem careret, adjecta est oratio super populum, in qua non de communicatione, sed pro populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genussio vitatur, quæ huic orationi à populo antiquitus pertolvebatur. Vel potius idèò, quia omnes juxta attestationem S. Ambrosii in Dominicis diebus communicare deberent; quibus & oratio post communionem pro benedictione sufficere posset. Aliam rationem affert Honorius



rius in Gemma animæ cap. 67. dicens: „Statutum est, ut panis post Missam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur: sed quia hoc in Quadragesima fieri non licuit propter jejunium, orationem super populum dici Ecclesia instituit, ut per hanc particeps communionis sit. De hoc enim fideles semper solliciti fuerunt, ut secum invicem unionem & communicationem servarent, vel Eucharistiæ participatione; vel Eulogiæ seu antiquiori, quod loco sacri doni dabatur, perceptione; vel saltem mutuo orationum consortio. In libro sacramentorum S. Gregorii, & in nonnullis Missalibus M. SS. sunt in plerisque Missis etiam extra Quadragesimam hujusmodi orationes super populum, quas ex veteri Anglicano Missali suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ To. 3. p. 2. inferuit Cornelius Schultingus. Exceptâ autem hac oratione super populum, tot sunt numero Collectæ ad complendum, quot initio dicta sunt: quibus recitatis salutat populum Sacerdos consueta formula *Dominus vobiscum*.

III. Tum Diaconus dimittit populum dicens, *Ite Missa est*: idem enim est Missa ac missio sive dimissio, ut initio Libri I. explicavimus. Græci quoque in fine Liturgiæ *Apolysin* canunt, id est dimissionem. Nam peractâ communionis sacerdos dicit secretò orationem pro gratiarum actione; postea Diaconus hortatur populum ad gratias agendas, eumque dimittit his verbis: *In pace procedamus*. Respondet chorus, *In nomine Domini*. Deinde Sacerdos benedicit populum, & distributis Eulogiis facit *apolytin*, cuius varias formulas pro varietate festivitatum exhibet Euchologium pag. 922. Communis hæc est, *Gloria tibi Christe Deus noster, spes nostra, gloria tibi*. Apud Clementem lib. 8. Constituitur dimissio populi his verbis fit, *Ite in pace*. Ordo Romanus antiquissimus debere ait unum ex Diaconis, cui præceperit Archidiaconus, finitâ oratione ad complendum dicere ad populum, *Ite Missa est*. Etiam Ethnici sacrificiis peractis licentiam abeundi à sacerdotibus accipiebant, qui certâ formulâ licere cunctis discedere altâ voce indicabant. Apuleius lib. 11. *fabulæ Milesiæ* sacris peractis, unum inquit de sublimi suggestu solemnî ritu clamasse, *Populis missio*: quæ vox abire omnibus fas esse significabat. Putabant siquidem viri sapientes indecens esse, ut, qui simul convenerant, nullâ habitâ licentiâ discederent. In funere Romanorum combusto cadavere, collectisque in urna cineribus, Præfica novissimum

verbum altâ voce pronuntiabat, *Ilicet*, quod est, *Ire licet*: quo audito, qui funus comitati fuerant, domum redibant. Virgilius, *Lustravitque viros, dixitque novissima verba*, id est, *Ilicet*, ut Servius exponit. Brissonijs lib. 2. de *formulis*, dimissum senatum scribit his verbis, *Nil vos moramur Patres Conscripti*. Concionis verò dimittendæ hæc erat formula, *Si vobis videtur, discedite Quirites*. Christianis autem sæpè præcipiunt canones, ne conventum deserant, nondum expletis Missarum solemnibus, ut alibi notavimus; & ideò tempus quo abire liceret, Diaconi voce indicendum fuit. Chrysostomus homilia de Ecclesia non contemnenda, *Ingressus es in Ecclesiam ô homo: ne exeat nisi dimittarî*. Cur verò certis diebus omisâ dimissione per verba, *Ite Missa est*, dicat Diaconus, *Benedicamus Domino*, hanc rationem affert Micrologus capite 46. „Congruè in festivis diebus, *Ite Missa est* dicitur, quia tunc generalis conventus celebrari solet, qui per hujusmodi denunciationem licentiam discedendi accipere solet. Ad quotidiana autem Missarum solemnibus non generaliter ab omnibus, sed à Religiosis convenitur, qui plus spiritualibus negotiis, quàm sæcularibus invigilant, qui & reliqua dum licet officia frequentant: Ergo convenienter illis post Missam, non ut statim discedant, sed ut Dominum benedicant, denuntiatur. Huic assertioni & ecclesiastica consuetudo videtur adstripleri: quia cum *Ite missa est* dicimus, ad populum vertimur, quem discedere jubemus: cum autem *Benedicamus Domino* dicimus, non ad populum, sed ad altare, id est ad Dominum vertimur, nosque ipsos non discedendum, sed ad benedicendum Domino adhortamur. Sciendum tamen, quod *Ite Missa est*, infra Adventum Domini & Septuagesimam non recitetur; non quasi eo tempore nullus fiat conventus, qui sit dimittendus, sed potius pro tristitia temporis insinuanda. Hæc Micrologus non satis appositè, illi enim probandum erat, quod olim quotidianis Missarum solemnibus populus non interesset. Crederem potius tunc omisâ dimissionem, cum fideles Missâ peractâ non statim abibant, sed permanebant in Ecclesia, donec recitatis canonicis precibus, & statione solutâ abire fas erat: deinde extensum hunc morem ad Missas minus solemnes & quotidianas. Dimisso populo inclinatus sacerdos in medio altaris recitat orationem incipientem, *Placeat tibi S. Trinitas*, quam in omnibus



bus ferè Missalibus antiquis reperi, etiam in scriptis ante annum millesimum. Extat item in Missa Illyrici, & in aliis apud Menardum. In Liturgia Chrysoctomi orat similiter sacerdos pro omnibus pro quibus obtulit sacrificium. In Missa Maronitarum sic orat Sacerdos priusquam discedat ab altari: „ Mane in pace altare sanctum, ad te revertar in pace. Oblatio quam accepi à te, sit mihi in propitiationem debitorum & in remissionem peccatorum, ut adstern ante thronum Christi sine damnatione & confusione. Nescio utrum revertar offerre super te aliam oblationem, vel non.

IV. Sequitur recentiori ritu benedictio, quam olim ante communionem Episcopus largiri solebat, ut suo loco ostendimus; illi enim potissimum convenit populum benedicere, qui peculiari quadam ratione Christum summum sacerdotem & Episcopum animarum nostrarum representat. Cum autem in usu erant Pontificales benedictiones, nulla in fine Missæ præscripta erat: & in Missali Vaticano M. S. num. 4743. in quo ritus Episcopalis benedictionis fusiùs explicatur, hoc peculiariter notatur, quod, quando hæc solemnitas benedictio datur ante communionem, non est necesse in fine Missæ iterum benedicere. Atqui hinc ut puto factum est, quod tam in Ordine Romano, quam in antiquis sacramentorum libris nulla fit mentio benedictionis in fine Missæ. Quod verò asserunt recentiores ex Amalario lib. 3. cap. 36. & ex Rabano Mauro lib. 1. cap. 33. datam olim hanc benedictionem antequam diaconus diceret, *Itæ Missa est*; error est à nobis alibi indicatus & explosus, ex eo proveniens, quod lecto locis citatis nomine benedictionis, illud protinus mente conceperunt, quod nunc ea voce intelligitur, nescientes vel non advertentes olim Collectis sive orationibus tributum hoc nomen. Cum igitur Amalarius & alii ejusdem ævi dicunt consummato sacrificio populum à sacerdote benedici, de postrema oratione loquuntur, quæ Post-communio vocatur; idque ex verbis Rabani manifestum est. *Post communionem*, inquit, *& post ejusdem nominis canticum*, post antiphonam scilicet quæ communio nuncupatur, *data benedictione à sacerdote ad plebem Diaconus prædicat Missæ officium esse peractum dans licentiam abeundi*. Clarius Walfridus in fine cap. 22. *Statutum est Aurelianensi Concilio, ut populus ante benedictionem sacerdotis non egrejatur de Missa. Quæ benedictio insl-*

*ligitur illa ultima sacerdotis oratio.* Illa scilicet quæ ad complendum dicitur, de qua paulò ante loquutus est. Et ad hanc proculdubio respexit decretum Aureliano Capitulari Caroli Magni insertum lib. 1. cap. 71. *Ut fideles, quando veniunt ad Missarum solemnitas, non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.* Ritu veteri Cisterciensi, qui paucis ab hinc annis mutatus est, nulla extat in fine Missæ benedictio, sed sacerdos dicta oratione *Placeat tibi S. Trinitas*, osculatur altare dicens, *Meritis & precibus istorum & omnium Sanctorum suorum misceratur nostri omnipotens Dominus. Amen.* Sicque signans se & inclinans recedit. Eodem ritu utuntur Carthusiani, cujus rationem ex Joanne de Indagine hanc assignat Joannes Bechoffen in expositione Missæ edita Basileæ anno 1519. quia, qui populum non habent, non obligantur ad hujusmodi benedictionem dandam: Carthusiani autem non habent populum. Auctor libri de Ecclesiasticis observationibus sub nomine Micrologi, qui vivebat propè annum 1090. multa congerit cap. 21. de benedictione post Missam tum ex canonibus à nobis alibi perpenfis, tum ex Epistola ad Rusticum Narbonensem perperam S. Hieronymo attributa; sed his omiffis hoc solum observo; usum benedictionis in fine Missæ jam eo tempore in aliquibus Ecclesiis introductum fuisse; sic enim capitulum concludit: „ Soli communicantes consecrationi sacramentorum anti- „ quitus intererant, quibus oratio post commu- „ nionem, quæ pro solis communicantibus in- „ stituta est, pro benedictione potuit satisfacere. „ Apud Modernos autem, cum jam populus „ communicaret, nec tamen à divinis mysteriis „ se subtraheret; necessariò permissum est, ut „ à Presbytero benediceretur, ne tam benedi- „ ctione quam communionem privatus discedere „ videretur. Sive autem ea occasione, sive alia, „ hoc Presbyteris permitteretur ab Episcopis, „ adedò tamen in usum jam usquequaque venit, „ ut nequaquam absque gravi scandalo à Pres- „ byteris in populo prætermitti possit, nisi for- „ tè Apostolica sedes generaliter & synodaliter „ prohibere voluerit. Mozarabes præter benedi- „ ctionem, quæ datur ante communionem, „ aliam dant in fine Missæ his verbis, *In unitate „ Sancti Spiritus benedicat vos Pater & Filius.* Græci sæpè benedicunt, aliquando cum dice- „ reo vel tricereo, cereo scilicet duplici vel tri- „ plici, aliquando sola manu signum crucis ef- „ formantes. In fine autem Liturgiæ sacerdos depo-



depositis sacris vestibus rursus benedicit populum dicens: „Custodiat Dominus Deus omnes vos sua gratia & humanitate perpetuo, nunc & semper & in saecula saeculorum. Amen. Et populus respondet: „Benedicentem & sanctificantem nos Domine conserva in multos annos. Et in pace cum Deo discedunt. In Ordine Romano alia quaedam benedictio commemoratur, quam dat Pontifex postquam peractis omnibus ad Missam pertinentibus recessit ab altari. Eo enim descendente in Presbyterium Episcopi primum dicunt, *Sube Domine benedicere*, & ille respondet, *Benedicat nos Dominus*. Haec autem benedictio nihil aliud est quam saluatio Pontificis & licentia abeundi. Maronitarum benedictio in fine Missae haec est. „Benedictio Domini nostri Jesu Christi veniat de caelo & requiescat super me & super vos, ac ignoscat debitis vestris, & dimittat defectus vestros, & requiescere faciat animas defunctorum vestrorum, & scribat nomina vestra in libro regni caelestis, ac nos & vos eripiat Deus à damnatione & confusione in die iudicii iusti & recti. Pater & Fili & Spiritus sancte, tibi gloria in saecula saeculorum. Amen. In veteri Testamento *Numer. 6.* Deus ipse formulam docuit, qua sacerdotes filiis Israël benedicerent. *Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Ex hac autem desumptam formulam Episcopalis benedictionis jam supra dictum est. *Benedictio*, ait Tertullianus lib. de testim. animae cap. 2. inter nos summum est disciplinae & conversationis sacramentum. *Benedicat te Deus, tam facile pronuntias, quam Christiano necesse est.* De ritu vero suscipiendae benedictionis, an & à quibus flexis genibus sive stando suscipi debeat, extat dissertatio Isaacii Haberi adversus Franciscum Menardum I. C. ad partem XI. *Liturgiae Patriarchalis observ. 6.* in qua & in tribus antecedentibus diffusè agit de benedictione. In Missis pro defunctis omittitur benedictio, quia pertinet ad solemnitatem, qua carent officia defunctorum. In quodam tamen Missali M. S. hanc assignatam legi, *Deus qui est vita vivorum & resurrectio mortuorum, benedicat vos in saecula saeculorum.* Carmelitae post benedictionem ante medium altaris genuflexi dicunt antiphonam *Salve Regina*, cum versu & oratione: tempore autem Paschali dicunt stantes *Regina Caeli*.

V. Denique sacerdos postquam à Deo benedictionem populo precatus est, legit initium

Evangelii secundum Joannem, in quo fidei orthodoxae quaedam veluti anacephalæosis continetur. Praeclarum de eo testimonium cujusdam Platonici refert Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 29. dicens: „Initium sancti Evangelii, cui nomen est secundum Joannem, quidam Platonius sicut à sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiae praesedit Episcopus, solebamus audire, aureis literis conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. Hoc in novissima Missalis recognitione Pius V. legi praecipit, cum antea sine certa lege ex sola consuetudine à quibusdam dici, ab aliis omitti prae cuiusque arbitrio soleret, ut Paris Crassus testatur in Ceremoniali summi Pontificis inedito cap. 65. Qua de causa in quibusdam Missalibus tam editis quam M. SS. tam Romanis quam aliarum Ecclesiarum, nihil de eo decernitur, sed dicta oratione *Placeat tibi sancta Trinitas, Osculetur, inquit, altare, & recedat dicens Canticum trium Puerorum.* Ita Missale Romanum à Paulo III. recognitum & Lugduni editum an. 1550. Silent etiam de illo vetus M. S. Bibliothecae Barberinae num. 1858. & aliud recentiori manu descriptum, quod ostendit mihi vir natalibus & eruditione conspicuus Camillus de Maximis inter R. E. Cardinales à Clemente X. nuper adscriptus. Zacharias Andrianus Brixienensis in expositione Missae quam edidit an. 1573. cum omnes ejus partes minutissimè explicet, nihil prorsus dicit de Evangelio in fine, sed data benedictione recitandum esse ait canticum *Benedicite.* Missale M. S. nu. 501. Bibliothecae Palatinae Vaticanae, & aliud Vaticanum n. 3807. hoc ipsum Evangelium dici statuunt dum exiit sacerdos, vel post vestium depositionem. Sarsburienste editum; Post orationem *Placeat*, signat se, inquit, & recedit, & in redeundo dicit Evangelium *In principio.* Ordo Missae editus Romae, anno 1502. à Joanne Burchardo Praefecto ceremoniarum summi Pontificis, & Missale pro regno Norvergiae impressum Hafniae an. 1519. Augustanum item an. 1510. & alia quaedam typis excusa ante Pium V. ipsum legi constituunt priusquam sacerdos ab altari recedat. Testes sunt ejusdem consuetudinis Stephanus Brulefer Armoricus ordinis Minorum, qui vivebat anno 1480. in declaratione mysteriorum Missae, & Joannes Bechhoffen supra citatus. Suspicio autem hanc consuetudinem à Pio V. lege firmatam ex eo traxisse originem, quod olim Fideles hoc initium

H h h h

Evan-



Evangelii collo appensum tamquam amuletum gestare solebant, ut refert Maldonatus *initio comment. in Joannem num. 15.* cumque difficile foret, ut ipsum singuli sibi in membranis exarari facerent, aut exaratum sollicitè custodirent; cumque hoc in superstitionem aliquando degenerasset, saltem curarunt ut ipsum post Missarum solemniam audirent: Concilium Salegustadiense anno 1022. can. 10. ne ulterius fieret hoc edicto sancivit: „ Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ, habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium; In principio erat Verbum, „ & Missas peculiâres, hoc est de sancta Trinitate, aut de S. Michaële, & ideo sanctum est, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia S. Trinitatis, non pro aliqua divinatione.

VI. Lecto demum Evangelio sacerdos ab altari recedens & sacris vestibus se exuens, hymnum recitat trium puerorum ex veteri consuetudine; cujus meminit Micrologus *cap. 22.* Missæ Codicis Tiliæ apud Menardum: *Expletis omnibus*, inquit, *Episcopus rediens ad sacrarium cum Diaconibus & cæteris canet hymnum trium Puerorum.* Idem ferè ait Missæ Illyrici. Quod verò Micrologus & post eum recentiores à Concilio IV. Toletano decretum fuisse asserunt, ut hoc canticum à sacerdote post Missam diceretur, id omnino falsum est, errorique causam præbuit, ritus Ecclesiastici, qui tunc in Hispania vigeat, ignorantia. In eo siquidem Concilio multa sancita sunt, quæ ad ritum Mozarabicum pertinebant: atque inter cætera decretum est, ne hymnus trium puerorum omittetur. Hunc autem non quotidie dicunt Mozarabes, sed diebus tantùm Dominicis & in solemnitatibus Martyrum: nec in fine Missæ, sed in principio ante Epistolam, iisdem ferè verbis quibus canitur ritu Romano sabbatis quatuor tempo-

rum, ut ex eorum Missali evidens est: atque idè Concilii decretum nullo modo spectat ad canticum, quod post Missam à nobis recitatur. Clarissimè hoc patet ex ipsius decreti tenore can. 13. qui in nova editione est 14. *Hymnum trium puerorum, in quo universa cæli terræque creatura Dominum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, & in solemnitatibus Martyrum canere negligunt: proinde hoc sacrum Concilium instituit, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ vel Galliæ in omnium Missarum solemnitate idem in pulpito decantetur, communionem amissuri qui & antiquam hujus hymni consuetudinem, nostramque definitionem exceperint.* Quædam Ecclesiæ pro canticò *Benedicite* recitant hymnum *Te Deum laudamus.*

Et hic finis est divini ac tremendi sacrificii, hæc meta suscepti operis, cui multo tempore infudavi, dubio sanè, ac minus felici eventu. Sæpe enim volenti & conanti vel ingenii vires, vel rerum antiquarum notitia, vel alia subsidia defuerunt: nec fieri potuit, quin per loca salebrosa in tenebris ambulans interdum offenderim. Sed & aliquando, quod ultrò confiteor, labore & aegritudine fesso ac defatigato somnus obrepit. Viam nihilominus stravi, & facem prætuliperitioribus; atque minus occupatis ut penetratibus augustissimi mysterii intimiùs se inferant, abdita veteris Ecclesiæ monumenta diligentius perquirant & subtilius excutiant: cumque aliquid incautiùs & negligentius à me scriptum offenderint, ignoscant primùm, meosque conatus ac vigilias non despiciant; deinde amica manu corrigant & emendent, & quæ omisi suppleant. Si quid verò boni repererint, Deo adscribant, non mihi; ipsique mecum gratias agant bonorum omnium largitori, cui est laus, honor, & gloria per infinita sæcula Amen.

## FINIS LIBRI SECUNDI.

APPEN-



# A P P E N D I X.

**U**T fidem liberem, quam supra dedi Lib. I. Cap. XII. addo hic veluti Appendixem, Missam ante annos centum & amplius editam Argentina à Matthia Flacco Illyrico, de cujus antiquitate, usu, & auctoritate quid sentiendum sit, non sine diligenti examine ibidem exposui. In editione Illyrici sic inscribitur. Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa 700. Domini annum in usufuit, bona fide ex vetusto authenticoque Codice descripta. Sed titulus mentitur; est enim ipsamet Missa Romana variis orationibus interpolata.

## MISSA LATINA.

**I**ncipit Ordo Sacramentorum. In primis, quomodo sacerdos Apologetica celebrare debeat, antequam ad Missarum celebrationem accedat. Mox antequam sacerdotibus induatur vestibus, si locus acciderit, vel tempus permiserit, flexis genibus coram Altare cantes VII. Psalmos penitent. cum Litaniam, qua finita dicat Pater noster. Credo in Deum Patrem omnipotentem. Post has preces.

Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Dominus Salvator meus, & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Secundum misericordiam tuam memento mei: propter bonitatem tuam Domine.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum est enim.

Non derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.

Fac mecum Domine signum in bono, ut videant, qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Manus tuas Domine fecerunt me, & plasma-verunt me, da mihi intellectum ut discam mandata tua.

Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Egredere Domine in salutem populi tui: in salutem cum Christo tuo.

Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam à nobis.

Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus Domine.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Domine non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Libera nos Deus in mirabilibus tuis: & da gloriam nomini tuo.

Extende Domine brachium tuum: & libera animas nostras, ne pereamus.

Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

Memor esto Domine congregationis tuae: quam possedisti ab initio.

Custodi nos Domine, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege nos.

H h h h z

Pro-



Protege nos Domine à facie impiorum ; qui nos affligerunt.

Esto nobis Domine in Deum protectorem , & in domum refugii , ut salvos nos facias.

Esto nobis Domine turris fortitudinis , à facie inimici.

Da nobis Domine auxilium de tribulatione , quia vana salus hominis.

In Domino faciemus virtutem : & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Fiat pax in virtute tua , & abundantia in turribus tuis.

Deus tu conversus vivificabis nos , & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam : & salutare tuum da nobis.

Sacerdotes tui induantur iustitiam : & sancti qui exultent.

Domine Deus virtutum converte nos : & ostende faciem tuam ; & salvi erimus.

Domine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

*His autem precibus finiti , dicat sacerdos has orationes.*

Dominus vobiscum , &c.

*Oremus.*

**O**mnipotens & mitissime Deus , respice propitius preces meas , & libera cor meum de malarum tentatione cogitationum , ut sancti Spiritus dignum fieri habitaculum merear.

Deus , cui proprium est misereri semper & parcere , suscipe deprecationem nostram , & quos delictorum catena constringit , miseratio tuæ pietatis absolvat.

Exaudi quæsumus Domine supplicium preces , & confitentium tibi parce peccatis , ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus , & pacem.

Omnipotens sempiterne Deus , misericordiam tuam nobis ostende supplicibus , ut qui de meritorum qualitate diffidimus , non iudicium , sed indulgentiam sentiamus.

Omnipotens Deus , misericordiam tuam nobis placatus impende , ut qui te contemnendo culpam incurrimus , confitendo veniam consequamur.

*Postea surgens ad induendum se vestimentis sacerdotalibus , primo dicat.*

**I**ntervenientibus pro nobis omnibus Sanctis , & electis tuis , actiones nostras quæsumus Do-

mine , & aspirando præveni , & adjuvando prosequere , ut omnis oratio , & cuncta nostra operatio à te semper incipiat , & per te cœpta finiatur.

*Tunc lavet manus hunc versum dicendo.*

**L**avabo inter innocentes , &c.

*Oremus.*

**L**argire sensibus nostris omnipotens Deus , ut sicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum , sic à te mundenur interius pollutiones mentium , & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum.

*Cum se exuerit quotidianis vestibus , dicat.*

**C**onscinde Domine sacco meum , & circumda me lætitia salutari.

*Hos psalmos interim dum paratur Episcopus , circumstantes Clerici cantent.*

**Q**uam dilecta tabernacula , &c. Benedixisti Domine terram , &c. Inclina Domine aurem tuam , &c. Fundamenta ejus in montibus , &c. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter quod locutus sum. Memento Domine.

*Induendum ad Ephod , vel Amictum.*

**H**umeros meos sancti Spiritus gratia tege Domine , renesque meos vitii omnibus expulsi præcinge ad sacrificandum tibi viventi , & regnanti in sæcula sæculorum.

*Ad Albam.*

**C**ircumda me Domine fidei armis , ut ab iniquitatum sagittis erutus , valeam æquitatem & iustitiam custodire.

*Oratio ad Albam.*

**O**mnipotens sempiterne Deus , te suppliciter exoro , ut fraude omnium fuscatorum exutus , alba veste indutus te sequi merear ad regna , ubi vera sunt gaudia.

*Ad Cingulum.*

**C**ircumcinge lumbos meos Domine zona iustitiæ , & circumcide vitia cordis , & corporis mei.



*Ad Praecinctorium.*

**P**Ræcinge me Domine virtute, & pone immaculatam viam meam.

*Ad Stolam.*

**S**Tola justitiæ circumda Domine cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

*Oratio ad Stolam.*

**D**irumpe Domine vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ servitutis innixus, valeam tibi cum timore & reverentia famulari.

*Ad Subtile.*

**I**ndue me Domine vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis.

*Ad Dalmaticam.*

**I**ndumento hoc typico priscorum patrum ritu in modum crucis tramitibus purpureis contexto vestitus, humiliter postulo, ut ex commemoratione passionis tuæ, fiam tibi Domine Jesu Christe jugiter gratosus, qui vivis, &c.

*Ad Casulam.*

**I**ndue me Domine sacerdotali justitia, ut induci merear in tabernacula sempiterna.

*Oratio ad Casulam.*

**I**ndue me Domine ornamento humilitatis, & charitatis, & concede mihi protectionem contra hostem insidiatorem, ut valeam puro corde, & casto corpore laudare nomen tuum sanctum in sæcula sæculorum. Amen.

*Cum Mappulam acceperis.*

**I**nvestitione istius mappulæ subnixè deprecor Domine, ut sic operer in temporali conversatione, quatenus exemplo priorum patrum in futuro merear perenniter gaudere per omnia, &c.

*Cum Mappulam induerit.*

**D**A Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis, & corporis valeam tibi servire. Amen.

*Ad induendas manus.*

**C**reator totius creaturæ, dignare me indignum famulum tuum indumentis justitiæ, & lætitiæ induere, ut puris mentibus ante conspectum tuum assistere merear mundus.

*Ad Annulum.*

**C**ircumda Domine digitos meos virtute, & decora sacificatione.

*Ad Rationale.*

**D**A nobis Domine veritatem tuam firmiter retinere, & doctrinam veritatis plebi tuæ dignè aperire.

*Postquam infulatus fuerit, dicat hanc Orationem.*

**R**Ogo te altissime Sabaoth, pater sancte, ut me tunica castitatis digneris accingere, & meos lumbos baltheo tui amoris ambire, ac renes cordis, ac corporis mei charitatis igne perurere, quatenus pro peccatis meis possim dignè intercedere, & astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare; me quoque audacter Domine ad te accedentem non finas perire, sed dignare me mundare, lavare, ornare, & leniter, ac benignè suscipere, Pater sanctissime, qui cum Filio, & Spiritu sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

*Inde confessio singularis.*

**D**omine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, & ubique præsens, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ si non confiterer, te tamen latere non possunt, quia peccavi nimis in cogitationibus, in locutionibus, diversisque operibus malis, & multis, & quia ego miser, & miserabilis, Domine, propter duritiam & nequitiam

H h h 3

cordis



cordis mei, nisi tu adjuves me, in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea propter te miserere mei, qui vivis & regnas.

*His omnibus rite peractis dicat Episcopus preces has.*

**E**Xurge Domine adjuva nos; Et redime nos propter nomen tuum.

Fiat misericordia tua Domine super nos: Quemadmodum speravimus in te.

Deus tu conversus vivificabis nos: Et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: Et salutare tuum da nobis.

Ne intres in iudicium cum servis tuis Domine: Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: Cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.

Propitius esto peccatis nostris Domine: Propter nomen tuum Domine.

Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

*Sequuntur Orationes.*

*Oremus.*

**F**Ac me queso omnipotens Deus ita iustitia indui, ut in sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus fordibus peccatorum consortium adipiscar tibi placentium Sacerdotum; meque tuae misericordiae a vitis omnibus exuat, quem reatus propriae conscientiae gravat. Qui, &c.

*Alia.*

**A**ures tuae pietatis miissime Deus, inclina precibus meis, & gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis dignè ministrare, atque aeterna charitate diligere te merear. Per, &c.

*Ad Incensum imponendum.*

**I**N nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sic benedictum hoc incensum in odorem suavitatis Domino, & in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Amen.

*Ad osculandum Evangelium.*

**P**Ax Christi in visceribus nostris permaneat.

*Cum egreditur Episcopus de Sacratio, dicat.*

**D**Educ me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

*Ecclesiam intrans dicat.*

**I**Ntroibo in domum tuam Domine, & adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos; dirige in conspectu tuo viam meam.

Averte Domine oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me. Deus propitius esto mihi peccatori.

*Interim cum Processione egrediens ad gradus hunc psalmum pro se cum eum deducentibus canat.*

**D**ominus regit me, & nihil mihi deerit, &c.

*Cum Versu.*

**V**irga tua, & baculus tuus, &c. Quo finito subiungat orationem hanc. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**D**ominus Deus omnipotens, qui es magnus, & mirabilis Dominus, qui nobis donasti introitum in Sancta Sanctorum; incarnationem Unigeniti Filii tui Domini nostri, obsecrantes postulamus benignitatem tuam quia in timore sumus, & tremore, volentes assistere ante sanctum, & gloriosum Altare tuum, ut emittas super nos donum gratiae Spiritus sancti, & innoves animas nostras, & corpora, ut mundo corde offeramus tibi sacrificium, donum fructiferum in remissionem peccatorum nostrorum, & populi tui per gloriam; & humanitatem Jesu Christi filii tui, qui tecum, &c.



*Coram Altare autem stans cum Processione  
proferens confessionem det indulgen-  
gentiam Ministris hanc.*

**I**ndulgentiam, & remissionem ipse occultorum  
omnium cognitor per Dominum nostrum Je-  
sum Christum Filium suum, unâ cum Spiritu san-  
cto, contritionem spiritus, gemitum cordis, &  
confessionem oris vestri blandè, & venerabiliter  
suscipere dignetur, quique mulieri peccatrici  
omnia peccata dimiserat lachrymanti, & latroni  
ad unam confessionem claustra aperuit Paradisi,  
ipse vos redemptionis suæ participes ab omni  
vinculo peccatorum absolvat, & membra aliqua-  
tenus debilitata suæ medicina misericordiae sana-  
ta, corpori sanctæ Ecclesiæ redeunte gratia re-  
stituat, atque in perpetuum solidata custodiat.  
Qui vivit & regnat.

*Data indulgentia adnectat has Orationes.*

*Oremus.*

**O**mnipotens sempiterne Deus, te humiliter  
deprecamur, ut non nos permittas perire,  
quia tua creatura sumus, sed concede nobis spa-  
cium vitæ vivendi, ut ante diem exitus nostri per  
veram penitentiam, fidemque rectam, & puram  
confessionem tibi omnipotenti Domino in hac  
præsenti vita placere mereamur. Per, &c.

*Alia.*

**P**ræsta quæsumus omnipotens, & misericors  
Deus, ut reatus nostri confessio indulgentiam  
valeat percipere delictorum. Per, &c.

*Alia.*

**F**amulorum tuorum quæsumus Domine de-  
lictis ignosce, & qui tibi placere de actibus  
nostris non valemus, Genitricis filii tui Domini  
Dei nostri, & istorum, atque omnium Sancto-  
rum tuorum intercessione salvemur. Per eum-  
dem, &c.

*Deinde in eodem loco presbyteris illum du-  
centibus, & diaconis præbeat osculum pa-  
cis, ipsique post acceptam pacem ab Epi-  
scopo, singuli ascendant ad cornu altaris,  
osculantes illud. Et redeant presbyteri ad  
ducendum Episcopum ad altare, & in-  
ascendendo dicat orationem hanc.*

**D**ominus Vobiscum.  
Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**A**ufer à nobis quæsumus Domine iniquitates  
nostras, ut ad sancta sanctorum puris merea-  
mur mentibus introire.

*Et dum pervenerit ad Altare imponat  
per se Antiphonam.*

**I**ntrōbo ad altare Dei, ad Dominum, qui læ-  
tificat juventutem meam.  
*Cum psalmo. Judica me Deus, & discerne  
causam meam de gente.*

*Quo finito has adnectat preces.*

**D**elictum meum cognitum tibi feci, & injus-  
ticias meas non abscondi: iniquitates meas  
ego cognosco, & delicta mea contra me sunt  
semper. Averte faciem tuam à peccatis meis, &  
omnes iniquitates meas dele.

Redde mihi lætitiā salutis tui, & spiritu  
principali confirma me. Auditam fac mihi mane  
misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia  
ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine ad te con-  
fugi, doce me facere voluntatem tuam, quia  
Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram re-  
ctam: propter nomen tuum Domine vivificabis  
me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, & in  
misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam,  
quoniam ego servus tuus sum.

Egredere Domine in salutem populi tui, in  
salutem cum Christo tuo.

*Tunc salutat Evang. dicens.*

**P**ax Christi, quam nobis per Evangelium  
suum tradidit, confirmet, & conserveat corda,  
& corpora nostra in vitam æternam. Amen.

*Deinde osculetur Altare dicens hanc ora-  
tionem.*

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui me pec-  
catorum sacræ Altaribus adstare voluisti, &  
sancti



sancti nominis tui laudare potentiam, concede quaeso per hujus Sacramenti mysterium, meorum mihi veniam peccatorum, ut tuae majestati dignè ministrare, atque aeterna charitate diligere te merear. Per, &c.

*Post haec secreto dicat hanc Confessionem.*

**S**uscipe confessionem meam unica spes salutis meae Domine Deus meus Jesu Christe, quia gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, acidia, somnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, & superbia perditus sum, & omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus malis extinctus sum: qui justificas impios, & vivificas mortuos, justifica me, & refuscita me Domine Deus meus. Qui vivis, &c.

*Alia.*

**C**onfiteor tibi peccata mea aeternae Pontifex, & Sanctorum minister, & veri tabernaculi sacerdos, qui semel in anno in mysteria sancta intrasti, & sanctum immaculatum agnum proprii corporis tui ad hostiam dedisti pro peccatis meis. Tibi confiteor, quia debitor sum tibi non solum decem millia talenta delictorum meorum, sed totius vitae meae reddere rationem debeo, quia in omni vita mea nullum mandatum tuum perfectè à me custoditum scio, in quo ego sermone, visu, auditu, gustu, gressu, opere, cogitatione, aut suasionem, vel consensu me deliquisse profiteor. Sed nunc Domine praevenio faciem tuam in confessione, & in conspectu Angelorum, & omnium Sanctorum confiteor tibi peccata mea, veniam postulo pro delictis meis, teque obsecro, ut in hoc tempore accepto exaudias me, & in his diebus salutis adjuves me, ut in praesenti perfectè valeam recognoscere peccata mea, & aeterno Judici confiteri, & per id veniam mereri omnium delictorum meorum, quatenus ad tremendum judicium tuum securum me ab omnibus accusationibus inimici facias pervenire. Per eundem, &c.

*Alia.*

**E**go miser peccator, qui me pro omnibus Christianis sceleratissimum puto, & scio, confiteor Domino, & omnibus sanctis ejus,

omnibus sceleribus, & flagitiis infinitis ab ineunte aetate usque in praesentem diem me semper occupatum fuisse, sine aliquo Divini timoris intuitu, maximè autem in fornicationibus nimis, & variis, sedula ebrietate hoc perpetrante, negligentis omnigenis, perjuriis, mendaciis, invidia, superbia, malitia, gula, avaritia, rapina, furto, in vana gloria, in arrogantia, in inobedientia, in contumacia, in duritia mentis, in contradictione, in murmuratione, in indignatione, in detractione, in ira, in odio, in maledictione, in susuratione, in tristitia, in laetitia vana, in loquendo, in reticendo, in increpando immoderatè, in remittendo incautè, in dilectione vana, in risu, in joco, in scurrilitate, in discordia, in seminando discordiam, in ficta amicitia, in dando, & accipiendo, & in omnibus sensibus corporis me corruptum esse profiteor, & in omnibus peccatis, quae ad mortem meam pertinent, me gravatum, & repletum esse profiteor; in tantum, ut nec homicidii me securum confidam, quia plurimos per meam negligentiam fame mortificatos esse puto, quos aliquatenus vivificare potuissem, si de his, quae superflua erant, propensiosem eis curam impendissem. Haec omnia cum semper fecissem, nunquam ea pura confessione purgavi, vel debita poenitentia minui, sed semper gravibus graviora adjeci. Pro his omnibus, & aliis innumerabilibus, quae non solum non numerare, sed nec ad memoriam reducere potero, veniam à misericordissimo Domino peto, quia nescio ubi fugiam ab ira ejus nisi ad illum.

*Post confessionem singularem sequuntur orationes.*

**T**uam Domine clementiam deprecor, ut mihi veniam peccatorum meorum concedas, & me in mandatorum tuorum custodias observatione, nec non etiam me indignum exaudire digneris pro omnibus, quorum confessiones, vel elemosynas suscepi, vel qui se confidentia charitatis mihi commendaverunt, ut sive vivunt, sive in tuae pacis spe requiescunt, tuae propitiationis perpetualiter sentiant adjumentum.

Salve me Domine Rex aeternae gloriae, qui potes salvare, da mihi & velle & operari, & perficere quae tibi placent, & mihi expediunt, da in perturbatione auxilium, in persecutione solatium, & in omni tentatione virtutem, tribue de praeteritis veniam, de praesentibus malis emendationem, de futurisque digneris largiri custodiam. Amen.

*Alia.*



*Alia.*

**O**bfecro Domine Jesu cunctas Civitatis meae portas justitiæ facias, ut ingressus in eas confitear nomini tuo, tuæque majestati cum ministris caelestibus eam crebris invifenti non foetor elati cadaveris occurrat; sed occupet salus muros illius, & portas ejus laudatio.

*Alia.*

**D**eus Omnipotens miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri servi, contemptu faculi sublimes, justitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica, poenitendo tibi meruerunt esse devoti, qui etiam si quid boni, tua gratia largiente fecero, quo sine hoc faciam, quæve à te districtione pensetur, ignoro.

*Alia.*

**I**ndignum me Domine fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscior peccatis, nam qui te blandis verbis rogare præsumo, improbis lapsissimè factis offendo, tu enim mihi medicinam ingeris aegro, ego sanitati meæ indefinenter contraria ago; legem tuam sacris inditam paginis lego, sanam verò disciplinam infelix negligo, ad tuum quidem altare, quasi devotus accedo, sed à præceptis tuis contumaci corde recedo, quasi dignum me in oculis hominum ostendo, sed in tuo conspectu, quem occulta non fallunt, diversis sceleribus pollutus sordeo. Sed tuum est Domine Deus dare peccatori cor compunctum, fontemque lacrymarum, quo dignè valeam abluere multitudinem scelerum. Meum est, si donaveris delicta deslere; tuum est, ea, ut nubem, citò delere, & licèt palmam amiserim innocentie Inimico suadente, saltè per confessionem veniam merear, te miserante, ut tibi sit gloria, laus, & honor, cuncta regenti in sæcula sæculorum, &c.

*Alia.*

**D**eus propitius esto mihi peccatori, quia tu es immortalis, & sine peccato solus. Domine Deus meus indulge mihi indigno famulo tuo & peccatori, quia peccator sum, & indignus, qui præsumo ad sanctum Altare accedere, & invocare te, quia peccavi coram te, & coram Angelis tuis: sed per illorum intercessionem tribue mihi indulgentiam delictorum meorum, & confirma

me in sancta Ecclesia tua in fide Orthodoxorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ.

*Alia.*

**D**omine Jesu Christe Redemptor Mundi; propitius esto mihi peccatori omnibus modis in peccatis jacenti, quia tu solus Domine immortalis es, & sine peccato; indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum altare tuum & invocare te; quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te, & coram Angelis, & omnibus Sanctis tuis, sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam, veniamque peccatorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ, Amen.

*Alia.*

**D**eus misericordie & veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, ut mihi misero innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentie provocavi, quatenus te miserante in hac vita secundum tuam voluntatem purgatus ad æternæ beatitudinis participationem pertingam, cunctis etiam in corpore, si ve extra corpus viventibus, qui mihi spiritali, vel carnali conjunctione cohærent; & qui se mihi vel confitendo, vel rogando commendaverunt, nec non & quorum pecunias, vel eleemosynas suscepi, vel qui per meam negligentiam, seu malitiam corrupti sunt, manum misericordie tuæ porrigas, & per ineffabilem largitatem tuam adoptatam eis indulgentiam peccatorum concedas & ad requiem beatorum spirituum perducere digneris. Per, &c.

*Alia.*

**C**lementissime Christe fidelium animarum Redemptor, propitius quæso adesto meis indignis precibus exauditor, qui ad immolandum sacræ tuæ passionis hostiam tremens assisto, dum multifaria, & noxia me accusantia crimina recognosco, debita altaribus tuis indignus sacrificia tuo conspectui offerre præsumo, qui ante tuæ Majestatis præsentiam jaceo, corpore, mente, cordeque pollutus, sed habeas inter hæc tuum antidotum, Christe, quo sanare bone Medice animarum vulnera nosti. Conscriptum quæso contra me, Arbiter alme, dele peccati

Iiii

chiro-



chirographum, ne ultor à me suum ultra valeat exigere nummum. Ob hoc tuam Domine clementiam indigno ore, menteque depono, ut sereno familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem digneris aspicere vultu, ne per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus dignatus es tuum sanctum fundendo sanguinem esse redemptio, sed tua nos semper, & ubique protectione conserva, ut quos pretioso sanguine redemisti in terris, æternam facias cum sanctis tuis gloria numerari in cælis, qui cum æterno Patre vivis, & regnas Deus in unitate Spiritus sancti in sæcula sæculorum. Amen.

*Has orationes interim dicat, donec cantentur Versus ad introitum, Kyrie eleison, & deinde carmen Angelorum.*

**G**Loria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, Hymnum dicimus tibi, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus Rex cælestis, Deus pater omnipotens. Domine fili unigenite, Jesu Christe altissime, Domine Deus, Agnus Dei, filius Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis: Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis, quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

*Hæc sequens Oratio dicatur ab Episcopo interim, donec hymnus Angelicus finiatur.*

*Oremus.*

**D**eus, qui iuste irasceris, & clementer ignoscis, qui etiam non mortem peccatorum, sed vitam desideras, me miserum, fragilemque peccatorem delictorum sordibus plenum, à tua pietate non repellas, neque respicias ad peccata mea, quæ malè vivendo commisi, sed ad immensas misericordias tuas, quibus gratuito munere peccantibus subvenire consuevisti. Obsecro itaque Domine, ut inmemor sis peccatorum meorum, & memor misericordiarum tuarum, vota, precesque meas dignanter suscipias, & dissimulatis fragilitatis meæ peccatis, labia mea aperias, & ad confessionem me tuæ laudis placatus admittas, qui per incarnationem, & humanitatem

D. N. I. Christi filii tui dedisti pacem hominibus, & cælestium collegium Angelorum, da me & de tuæ pacis ubertate repleri, & de Angelicæ societatis unitate lætari; sicque me facias his temporalibus officiis interesse, ut ad tuas misericordias in æternum cum illis decantandas perpetuis electorum tuorum choris aggregari præcipias. Per &c.

*Finita Angelica laude missalem orationem dicat Sacerdos. Deinde lectio recitetur, & inter lectionem, & Evangelium, id est tempore Gradualis, & Alleluja, ac Sequentia, Episcopus dicat has orationes.*

**A**nte oculos tuos Domine Deus, conscientia testis afflito, rogare non audeo, quod impetrare non mereor. Tu scis Domine, quæ aguntur in nobis, erubescimus fateri, quod non timemus admittere: verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce Domine, confitentibus, ignosce precantibus, miserere te rogantibus. Et quia meus sensus in Sacramentis tuis infirmus est, & apud te non habent peccatores verba sine crimine, præsta Domine, ut, si ex nobis indignis duri cordis verba non suscipis, per temetipsum veniam largiaris. Qui vivis, &c.

*Alia.*

**C**hriste parce, miserere mei, non secundum merita mea, sed secundum misericordiam tuam. Noli me despiciere peccatorem. Noli me reprobare, sed suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Miserere mei Domine, quia peccavi tibi, da mihi fontem lachrymarum, fons vitæ, & lux luminis, concede mihi in præsentia vita veram penitentiam de peccatis meis, & in bono perseverantiam. Domine exaudi orationem meam; Qui vivis, &c.

*Alia.*

**Q**uæsumus immensam pietatem tuam Deus, ne nos pro nostra iniquitate condemnes, sed pro tua pietate in via recta disponas, nec sicut meremur delinquentibus irasceris, sed fragilitati nostræ invicta bonitate subvenias, omnibusque



busque errantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ.

*Alia.*

**M**Ordacis conscientie stimulis, & delictorum nostrorum recordatione commoniti, Dominum indulgentie deprecamur, ut quidquid dicto, facto, cogitatione deliquimus, siue lubricæ ætatis impulsu, siue errore ignorantie commisimus, pietas Domini nostri solvere, ac perdonare dignetur, ut te, Domine, annuente, valeamus quæ mala sunt declinare, & quæ bona sunt consequenter explere, & quia nos fecisti ad tua Sacramenta pertinere, tu clementer in nobis eorum munus operare, omnibusque errantibus indulge, juxta magnitudinem pietatis tuæ.

*Alia.*

**S**I ante oculos tuos Domine, culpas quas fecimus, & plagas, quas vel durissimas in hac vita pati possumus, conferamus, minus est, quod patimur, majus est, quod meremur; peccati poenam sentimus & peccandi pertinaciam non evitamus; in flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, & iniquitas non mutatur; mens ægrota torquetur, & cervix dura non flectitur, vita in dolore suspirat, & tamen in opere non se emendat. Si expectamur, non corrigimur; si vindicæ non duramus; confitemur in correptione quod fecimus; obliviscimur in visitatione quod flevimus; si imprefertis manum, faciendâ promittimus; si suspendis gladium, promissa non facimus; si ferias clamamus ut parcas; si parcas, iterum te provocamus ut ferias; si angustia veniunt, tempus petimus pœnitentiæ; si misericordia subveniat, abutimur patientia quæ pepercit: adhuc plaga illata vix præterit, etiam non recolat mens ingrata quod pertulit: si citius nos exaudias, ex misericordia insolefcimus; si tardiùs, ex impatientia murmuramus. O Domine, volumus te servare quod feceris, non timemus negligere quod jussuris: habes Domine confitentes reos, parce quia pius es. Novimus, quod nisi dimittas, rectè nos punias; sed apud te est multa miseratio, & propitiatio perabundans; præsta sine merito quod rogamus, qui fecisti qui te rogarent. Clamantibus autem ad te nobis Domine miserere. Moveat pietatem tuam vox fidelis, & flebilis, atque illa de qua totum speramus, pietas non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus; & cum sit

grandis miseria esse nos reos, major tibi sit clementia erga nos miseros, Erige nos Domine Deus noster, & alleva misericordia tua, ut communiõne salutis, & gaudio charitatis, dum ipsi salvari ex munere tuo cupimus, etiam fide & pace cunctarum gentium gaudeamus. Per, &c.

*Alia.*

**A**Nte conspectum tuæ inæstimabilis majestatis, sancta Trinitas, & vera Unitas, omnipotens æternæ Deus, non sine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate vilis admodum precator accedo, & reus conscientie afflicto testis, accuso ego me, & non excuso, sed coram testibus, scilicet omnium Sanctorum tuorum reliquiis, vel omnibus Sanctis tuis in cœlo & in terra, confiteor omnes injustitias meas tibi, quatenus per eorum merita, & intercessionem remittas omnem peccati mei impietatem, quia ego peccavi in cœlum, & coram te; etiam non sum dignus vocari filius tuus, peccatorum sordibus involutus, sed tu occultorum cognitor miserere mei, & resuscita me de morte animæ meæ, & septiformi gratiâ Spiritus sancti illumina cor meum, & doce me facere voluntatem tuam ubique, quia Deus meus es tu. Amen.

*Alia.*

**M**iserere Deus omnibus errantibus, & ad te pertinentibus, & his omnibus miseresce, pro quibus debitores sumus exorare, vivis siue defunctis, vel quorum elemosinas, & confessiones suscepimus, & nomina ad commemorandum conscripsimus, quatenus his omnibus misericorditer indulgeas, & vitam æternam concedas, nec non persequentibus nos, & calumniantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ. Amen.

*Alia.*

**S**uccurre mihi Deus meus antequam moriar, antequam me tormenta rapiant, antequam me tenebræ obvolvant. Reus enim judicii tui teneor peccati pavore, iram tuam formido, si enim vix justus salvabitur, ego impius ubi ero? quid faciam, dum venerit tremendi judicii dies? Cum examen judicii venerit, quid respondeam? quid verò dicturus sum, cum ante tribunal Christi fuero præsentatus? Melius fuisset non in sæculo procreatum, quàm æterna supplicia perpeti cruciandum: Peccavi enim sæpè in verbo, in factis,

l i i i 2

in



in cogitatione, & peccavi crudeliter: nullum invenitur peccatum, cujus sordibus non sum ego miser inquinatus, nullus est morbus vitiorum, à quo non contraxi contagium. Semper delicta mea iteravi: plurimos pravos moribus ad iniquitatem perverti: exemplis vitæ meæ multi perverti sunt. Obsecro vos omnes choros sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & omnium sanctorum, ut oretis pro me: ut misereatur mei Deus, & deleat peccata mea, uti auferat iniquitatem meam, & recipiat me in gaudium sempiternum. Tu Domine misericors, clemens, & pius, nullum relinquis, nullum respicis, nullum secludis à misericordia tua. Converte animam meam in requiem Paradisi. Tu ovem errantem requisisti, & inventam tuis humeris reportasti ad gregem; quæso hanc vilissimam animam manibus attrahe, & offer benedicto, & immortalī Patri tuo, coram Cherubim & Seraphim, & coram sanctis Angelis, ut deliciis paradisi fruens cum eis dicere possim; Gloria Patri immortalī, gloria Filio immortalī, gloria Spiritui sancto immortalī, in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia.*

Domine Jesu Christe, qui me tuo sanguine redemisti, exaudi me peccatorem quotidie peccantem, & in peccatis nimis jacentem. Tibi soli peccavi, te Christe confessus sum. Ego peccavi coram te, & coram omnibus sanctis tuis, in verbis, & in factis, in omnibus cogitationibus meis, quibus excogitare potui. Infelix ego nomen! innumerabilia sunt peccata mea: miserere mei Deus, omnipotens Deus. Veniam peto coram te & sanctis tuis, de universis peccatis meis præteritis, præsentibus, & futuris. Deus propitius esto mihi peccatori, & da mihi licentiam in hac vita agendi poenitentiam, per quam deleam omnia peccata mea, quia nescio ubi fugiam, nisi ad te Christe, quia tu es vita vivorum, & resurrectio mortuorum. Orate pro me misero omnes sancti Apostoli, atque Martyres, Confessores, & sanctæ Virgines, atque Viduæ, & omnes Sancti, & electi Dei; orate pro me, ut Deus omnipotens illuminet vultum suum super me miserum, & misereatur mei. Qui vivit, & regnat, &c.

*Alia.*

Domine Jesu Christe, integritatis amator, muni cor meum ab omnibus sagittis & insidiis

inimici, & extingue in me omne incendium libidinis, & ad veram humilitatem, & patientiæ tranquillitatem converte; pectus meum succende charitatis stimulis, ut odio habens omnem viam iniquitatis, possim cunctis diebus vitæ meæ tibi complacere. Qui vivis, &c.

*Alia.*

Tuam Domine clementiam precor, ut mihi famulo tuo remissionem cunctorum tribuas peccatorum, & omnibus pro quibus debitor sum exorare, vivis sive defunctis, misericordiæ tuæ munus impendas, ut ad æternam vitam tuâ gubernatione perveniant, & tuæ ubique gratiæ dona percipiant. Per, &c.

*Alia.*

Proiecit nobis Domine in condemnationem operum nostrorum, da capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem infunde lachrymarum, ut peccati maculas abluendo, ultrices poenarum flammæ sletuum ubertate vincamus. Et quia tibi Domine non sunt occulta quæ gessimus, concede, ut in nobis, non oris sit tantum confessio, sed etiam cordis, nec excusatio criminum, sed lamentatio peccatorum. Siquidem castos cordis nostri oculos lasciviæ violavit aspectus, sunt mores corrupti, disciplina violata, simulatio in vultu, fallacia in verbis, dolus in corde, volubilitas in lingua, operatio stulta, mens dubia, concupiscentia carnalis, sollicitudo terrena, oblitio animæ, negligentia sanctitatis, super hæc autem mortis timor increvit. Miserere nobis Domine, miserere nobis, & da de præteritis malis veniam, de præsentibus emendationem, & de futuris cautelam. Qui vivis, &c.

*Alia.*

Impellit me peccatorem ministrandi officium; hostiam salutarem offerre pro populi delicto: sed terret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu, si à me omnium sacerdotum peripsemate sacrificium offertur, pollutæ conscientiæ crimen augetur. Si tantæ majestati, & universæ carnis judici non offertur, negligentæ reatus adscribitur. Inter hæc tuæ omnipotens Deus libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem accusante conscientia pertimesco, ne me indignum, quæso, misericordiâ tuâ judices, quem à tempore poenitentiae non excludis.

Su.



Suspende, precor, interventu istorum, & omnium sanctorum meritis securim, donec cultor vineæ admoveat cophinum stercoris ad radicem infructuosæ arboris. Parce mihi Domine clementissime, pœnitenti, qui David post lapsum clementer ad veniam revocasti, qui Petri, misericors amarè flentis lachrymas respexisti; qui Latronem in crucis patibulo tanti facinoris reum, divina gratia illustrasti, cui mox obtinuit confessio propitium Dei filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiternâ, dum confessor in cruce, possessor extitit Paradisi propter crucem. Sed quia verba veniæ tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotis opera non commendant, saltem astantium vota suscipe, ut & mihi suis apud te precibus veniam, & eorum meritis sacrificia, nostrorum vulnerum nobis conferant medicinam. At quia Omnipotens, pro omnium peccatis factus es hostia salutaris, adis nobis justificatio pro delictis, Jesu Christe Salvator Mundi. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas, &c.

*Oratio pro semetipso.*

**S**Alva me Domine Rex æternæ gloriæ, qui potes salvare, & da mihi, ut valeam & operari, & perficere quæ tibi placeant, & mihi expediant: Domine sancte, Pater omnipotens, Deus da mihi in tribulatione auxilium, in persecutione solatium, & in omni tempore tentationis virtutem.

Domine sancte, piissime Pater, da mihi de præteritis delictis veniam, de præsentibus emendationem, de futuris largire custodiam, quia malum dimittere non possum, nec bonum facere, nisi succurrat mihi misericordia tua magna, ut te merear cognoscere, & timere, & amare ex toto corde. Domine Jesu Christe Redemptor omnium, qui es refugium pauperum & consolator tribulato- rum, per tuam magnam misericordiam sis mihi consolatio in omnibus angustiis, & tribulationibus meis, quia non habeo in alium spem nisi in te, quia tu es refugium meum, & virtus in tribulationibus meis, quæ invenerunt me nimis. Propterea clamo ex toto corde ad te, ut exaudire me digneris, & hæc omnia, quæ indignus precor, clementia tuæ pietatis merear adipisci, & quicquid illud est, quod infelicitas mea à te petere non sapit, aut non præsumit, id tu pro tua pietate, ac majestate tribue, quia tu es consolatio, & protectio vitæ meæ in omni tempore, &c.

*Oratio in quacumque tribulatione.*

**D**Eus qui Contritorum non despicias gemitum, & mœrentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas pietati tuæ pro tribulatione nostra effundere præsumimus; implorantes ut eas clementer suscipere digneris, tribuasque, ut quicquid contra nos diabolicæ, atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, & consilio pietatis tuæ allidas, ut nullis adversitatibus læsi, sed erepti de omni tribulatione, & angustia, læti tibi in Ecclesia tua sancta gratias referamus per Christum, per quem te summe Deus rogamus, ut preces has attendas, & propitiabili dignatione ad hanc nostram orationem respicias, quam tibi pro ereptione ac relevatione à pressura nostræ infirmitatis offerimus. Jam Domine respice super nos vultu placabili, & misericordia singulari à nobis amove quod sævitia malorum promittit, quod inimicorum pravitas infert, quod pravorum in consiliis adversitas alligat, quod ex judicio imminet, quod ex sententia pendet, quod conspiratione machinatur, quod accusatione confringitur, quod propriæ merentur iniquitates, quod alienis fictionibus alligamur, quod pressuris dejicimur, quod cruciatibus premimur, quod angustiis angustiamur. Non justitiam tuam, quæsumus Domine in injustitiis nostris exerceas, sed potius pietatem tuam in iniquitatibus nostris manifesta, non nos in persecutione dejicias, non per intolerantiam perdas; sed per tribulationem exerce, per pietatem attolle, per misericordiam rege, quò te protegente ab inimicorum jaculis tuti, à præsentis tribulatione exempti, te Dominum vivum in Trinitate consonâ laudemus voce. Qui cum Unigenito Filio tuo, sanctoque Paraclyto spiritu vivis, & regnas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

*Oratio Pastoris dicenda pro se, & pro subditis.*

**D**imitte Domine Deus omnipotens quicquid per intemperantiam mordacis linguæ incauta oris nostri increpatio momordit in subditos, quicquid minus de boni perfectione diximus parce, quicquid incongruum, vel minus temperatè proximus ignosce. Non incautum præsumptio puniat, sed agnoscentem me iniquitates meas, miserationis tuæ pietas absolvat. Et quia non mihi alibi est fiducia, nisi in misericordia

l i i i 3 . tua,



tua, Tu & os meum præconio veritatis perarma, & opus pleniore ubertate sanctifica, ut & indignum talves, & commissum mihi gregem pro tua pietate sanctifices. Quidquid in illis vitiatum est sana, & quidquid in me vitiosum inspicias, cura; si quæ vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt delicta, propitius dimitte. Si quo etiam me ignorante, vel sciente ceciderunt in crimine; atque si exempli mei offendiculo prouerunt, manu misericordiæ tuæ inde eripe, & pro talibus culpis misero mihi non restituas ultionis vicem. His tamen, quibus increpationis visus sum adhibere iudicium, increpationis proficiat ad salutem. Et oratio hæc interpellans commissio eos revocet ab errore, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus utpote mortalibus penitentia indiximus leges, quo utrorumque incommodis parcens, & illorum iniquitatibus tribuas veniam, & meam contractam abluas de regendi incommoditate offensam. Præbe Deus aurem sacrificiis nostris, & me, mihi que commissos tuis adscribe in paginis, quò cum Grege mihi credito, & à cuncto eluar crimine, & ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde Deus nostrorum cordium habitaculum, expulsionem carnalium vitiorum; & quia in subditis conorsum exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incommodis pacificis merear te iudicante coronari cum Angelis. Fac ergo quæsumus nos pie Deus adspicientes in conspectu tuo flammescere tuæ gratiæ dono, ut zelus domus tuæ nos comedat, atque ita per vigorem sancti Spiritus regentes subditos temperemus, ut ex disciplina nostri regiminis capiant lacrum, & illorum duritia frangatur, ac vita sanctificetur. Suscipe Domine nostrorum votorum libamina, & per hæc, quidquid in subditos correctionis verbo, vel merito impertimur, non ad discordiam nostri, sed ad dulcedinis perpetuæ gaudium, & nobis, & illis profecisse gaudeamus. Ablue nos omnipotens Deus, & alieno, & proprio delicto, ut in utroque & spiritalis gratiæ efficientiam capientes, fiducialius tuo nomini supplicemus. Per, &c.

*Cum Incensum ante Evangelium in thuribulum mittitur, dicat Sacerdos.*

**O** Dore cælestis inspirationis suæ accendat, & impleat Dominus corda nostra ad audienda, & implenda, Evangelii sui præcepta. Qui vivis, &c.

*Benedictio eiusdem.*

**I**N nomine Domini nostri Jesu Christi benedicatur incensum istud, & acceptabile fiat in odorem suavitatis.

*Deinde inclinanti se diacono dat benedictionem Dei dicens:*

**B**enedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii & Spiritus sancti, descendat super te, & aperiatur Christus Dominus os tuum ad dignè, idoneeque pronunciandum sanctum Evangelium suum. Dominus Deus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut nuncies competenter Evangelium pacis.

*Diaconus accipiendo, vel osculando Evangelium dicat:*

**D**A mihi Domine sermonem rectum, & benesonantem in os meum, ut placeant tibi verba mea, & omnibus audientibus propter nomen sanctum tuum in vitam æternam. Amen.

*Perlecto autem Evangelio, Diaconus dicat:*

**P**er istos sermones sancti Evangelii tui, indulge mihi Domine omnia peccata mea.

*Et ceteri omnes dicant:*

Pax tibi.

*Tunc allato incenso, simulque Evangelio ad salutandum, dicant singuli:*

**P**er istos sanctos sermones Evangelii Domini nostri Jesu Christi, indulgeat nobis Dominus universa peccata nostra.

*Quando incensum offertur dicant singuli:*

**D**irigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.

*Tunc sacerdos incipiat Symbolum, id est:*

**C**redo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ. Visibilem omnium, & invisibilem; Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen



lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas; Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos. Cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem. Qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum; Et vitam futuri saeculi. Amen.

*Finito Symbolo Apostolorum dicat Sacerdos:*

**D**ominus vobiscum.  
Et cum Spiritu tuo.

*Deinde lavet manus hanc Orationem dicens:*

**L**argire sensibus nostris omnipotens Pater, ut sicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic à te mundentur interius pollutiones mentium, & crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum. Per, &c.

*Hæc prædicta oratio dicenda est à sacerdote cum manus lavat, sive ante Missam, vel interim, seu postea.*

*Tam diu autem, quam diu offertorium, & versus canuntur, hæc dicat Orationes:*

**D**omine Deus omnipotens, fac me peccatorem hodie secundum magnam misericordiam tuam accedere ad sanctum Altare tuum, & præsta, ut non sit mihi hoc sacrificium reatus ad poenam, sed ablutio salutaris ad veniam. Per, &c.

Deus, qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos, munda cor meum, & corpus meum ab omni cogitatione mala, & sorde peccati, & fac me dignè, atque strenuè sanctis Altaribus ministrare tuis, & concede propitius, ut in hoc Altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus meis, & innumeris quotidianis excessibus. Et pro Grege mihi com-

missò, & famulis, & famulabus tuis, qui mihi confessi sunt peccata sua, & suas eleemoyas largiti sunt, & pro populo mihi subiecto, & omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus odio execrabili infectantibus, & Ecclesie mihi commissæ adversantibus, cunctisque simul fidelibus Christianis. Et per eum sit tibi meum votum, atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium, qui est summus Sacerdos, & Pontifex, & solus sine macula peccati. Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia, &c.

*Alia.*

**M**ajestatem tuam totis viribus, Deus piissime, humili prece deprecor, ut remittas crimina, quæ caro fragilis à tentatione iniquorum spirituum nequiter admisit: etiam reverti ad ea ultra non finas, sed confirma in justificationibus tuis, & perseverantiam mihi tribue in illis, & fac me dignum ante conspectum Majestatis tuæ stare, & sacrificium tibi Domine, casto corpore & mundo corde dignè offerre. Per, &c.

*Cum autem ornatum fuerit Altare, antequam oblationes accipiat, hæc orationes humillime ante altare se flebiliter accusans dicat:*

**A**n te oculos tuos Domine, reus conscientie testis assisto, rogare non audeo, quod impetrare non merear; Tu scis Domine, quæ aguntur in nobis, erubescimus confiteri, quod non timeamus admittere. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce Domine consentibus: ignosce peccantibus: misere te rogantibus: Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, & apud te non habent peccatores verba sine crimine, præsta Domine, ut, si ex nobis indignis & peccatoribus duri cordis verba non suscipis, per temetipsum veniam largiaris, Qui vivis & regnas, &c.

*Alia.*

**D**eus, qui te præcipis à peccatoribus exorari, tibi que contriti cordis sacrificium offerri, hoc sacrificium, quod ego indignus famulus tuus confusus de tua misericordia, tuæ immensæ majestati offerre præsumo, acceptare dignare; & ut



ut ipse tibi sacerdos, & ara, & templum, & sacrificium esse merear, propitiatus concede, quo per ministerii hujus exhibitionem, mihi que & his omnibus pro quibus offertur, tuam misericordissimam propitiationem concede. Per, &c.

*Alia.*

**C**onscientia quidem trepidi Domine ad Altare tuum accedimus, sed fiduciam de tua misericordia retinemus, & licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni, tamen si recedimus, veremur de inobedientia condemnari, pro qua re pietate paterna omnipotens Deus, atque placabili vultu cordis nostri interiora purgare digneris, precamur etiam, licet culpabiles simus, nostrorum tamen tibi sint placita mysteria consecrata.

*Alia.*

**A**n te conspectum divinæ Majestatis tuæ reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo, miserere mihi Domine homini peccatori, ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce mihi Domine, præ cæteris capitalium criminum labe polluto, & non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, scilicet vitius, ac voluptatibus carnis aggravatus sum. Recordare Domine, quod caro sum, in tuo conspectu etiam cæli non sunt mundi, quanto magis ego homo terrenus, immundus sicut pannus menstruatae. Indignus sum Domine Jesu Christe, ut sim vivens, sed tu, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, da mihi veniam in carne constituto, ut per penitentiae labores vita æterna perfrui merear in cælis, &c. Qui vivis, &c.

*Alia.*

**A**ltissime Deus ignosce mihi peccatori, quia totius vitæ meæ superavit me iniquitas, quo vultu te conspiciam Domine, vel quibus verbis me coram tuis conspectibus exculabo? nec enim potero abscondi ante te, qui secreta cordis consideras. Væ mihi peccatori, qui sancto Altari tuo indignus assistens, nullum apud voluntatem tuam mentis ornamentum exhibui: sed tu Domine miserator & misericors, qui creasti cuncta ex nihilo, qui me quoque immeritum formasti, & statuisti dignè tibi servire, non me repellas à con-

spicui tuo sacrario, nec confundas me ante conspectum tremendæ Majestatis tuæ.

Ego verò tibi servire, tibi Domine placere proposui, sed per meam negligentiam non implevi; ego ergò tam in terris, quam in cælo destitutum & nudum me esse conspicio, quia mandatorum tuorum non custodi præcepta. Non est igitur mihi spes salutis in operibus meis, sed anima mea in sola pietatis tuæ immensitate suspensa est, & in multitudine misericordiarum tuarum confidit, ut eam salvam facias, Domine Jesu Christe, qui non vis mortem peccatorum, nisi ut convertantur, & vivant. Respice secundum magnam misericordiam tuam super me miserum, & rumpantur funes peccatorum meorum, ut non peream. Respice in me Domine de sede Majestatis tuæ, & tenebras cordis mei radio tuæ lucis expelle. Protege me Domine scuto veritatis tuæ, ac fidei, ut me diaboli jacula ignita non penetrent; Et quicquid illud est, quod infelicitas mea à te petere non sapit, aut non præsumit, id tu Domine pro virtute tua tribue, quod animam meam salvet à morte, & exeunti mihi de hoc cæno tenebrarum manum porrigas, & lumen ostendas, & illud indulge, quod feci, & concede ne amplius faciam. Amen.

*Alia.*

**I**gnosce quæso mihi Domine, quem maculata vitæ conscientia trepidum, & criminum meorum confusio fecit esse captivum, & qui pro me veniam obtinere non valeo, pro aliis rogaturus assisto. Profero ad te, si digneris Domine, captivorum gemitus, tribulationes plebium, pericula populorum, necessitates peregrinorum; inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, desolationes Ecclesiarum. Sed quoniam me eadem, quæ populum, catena peccati constringit; ideo omnes lugeo passionibus. Non oblit Domine populo tuo oratio subjugata peccatis, per me offertur votum, per te Domine meum compleatur officium, qui vivis, & regnas, &c.

*Tunc accedens ad Altare, & illud osculando dicat:*

**O**ro te Domine Omnipotens Deus, ut per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic continentur, eorum intercessionibus indulgere digneris mihi omnia peccata mea. Qui vivis, &c.

*Tunc*



*Tunc convertat se suscipere oblationes Presbyterorum aliorumque. Quando quis oblationem in manum Episcopi, vel Presbyteri offert, dicat:*

**T**ibi Domino Creatori meo offero hostiam pro remissione omnium peccatorum meorum, & cunctorum fidelium tuorum, vivorum & defunctorum.

*Pro semetipso, & pro cuncto populo Christiano.*

**T**ibi Domino Creatori meo offero hostiam placationis pro delictis meis, & populi tui: peto Domine, ut des nobis veniam omnium peccatorum nostrorum.

*Pro Rege & Antistite nostro, & pro cuncto clero, ac pro omni populo Christiano.*

**T**ibi Domino Creatori meo offero hostiam placationis & laudis, pro me, & pro Rege nostro, & Antistite nostro, ac pro cuncto populo Christiano: peto Domine, ut des nobis vitam æternam.

*Episcopus vero, vel presbyter, oblationes accipiens, dicat:*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus N. & præsta, ut in conspectum tuum tibi placens ascendat, &c.

*Post acceptas oblationes à clero, vel plebe, accipiat Diaconus de manu Subdiaconi oblatam, ita dicendo:*

**A**cceptum sit omnipotenti Deo, & omnibus Sanctis ejus sacrificium tuum.

*Veniensque Diaconus ante Episcopum offerat dicens hoc offertorium.*

**S**uscipe Domine sancte Pater hanc oblationem, & hoc sacrificium laudis in honorem nominis tui, ut cum suavitate ascendat ad aures pietatis tuæ, Per, &c.

*Et Episcopus accipiens oblationem à Diacono dicat:*

**A**cceptabilis sit omnipotenti Deo oblatio tua.

*Tunc puro corde offerat Domino oblatam ita dicens:*

**S**uscipe sancte Pater omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus tibi offero Deo meo vivo & vero, quia te pro æterna salute cunctæ Ecclesiæ tuæ suppliciter exoro. Per &c.

*Alia.*

**S**uscipe clementissime pater hostias placationis, & laudis, quas tibi offero ego indignus famulus tuus, quia tu scis figmentum meum, quia peccavi in conspectu tuo, & non sum dignus tibi hostiam offerre, sed tu clemens & misericors indulge mihi, & indulgentiam quærentem placatus suscipe Clementissime. Qui vivis, &c.

*Ista orationes cum oblationes offeruntur ad altare dicenda sunt, & est hæc prima quotidiana & generalis.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum hic nomina & reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per, &c.

*Pro semetipso.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis atque offensionibus meis, ut præterita mihi dimittas, & à futuris me custodias, pro salute corporis & animæ meæ, ut hic te donante mandata tua custodiam, & in futuro præmia æterna consequi merear. Per, &c.

*Alia pro semetipso.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & miserrimo omnium hominum, & pro meis peccatis innumerabilibus, quibus peccavi coram te in dictis, in factis, in cogitationibus, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me custodias, & pro gratia

K k k k rum



rum actione de tuis bonis, quibus quotidie utor. Domine averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Exaudi Domine vocem deprecationis meae, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

*Apologia Sacerdotis.*

**S**uscipe confessionem meam unica spes salutis meae, Domine Deus meus, quia peccavi in lege tua, in cogitationibus, in verbis, in factis, & multa sunt peccata mea, & negligens sum de opere Dei, & de ordine meo, quia peccavi de vana gloria, de superbia, de detractione, de fornicatione, de furto, de falso testimonio, de perjurio, de adulterio, de opere Dei, quod ego negligenter feci, de concupiscentia carnali, de risu, de auditu, de visu, de gula, de crapula, vel de omnibus malis meis; quae ego negligenter commisi, veniam inde peto Domine, quia culpabilem me recognosco.

*Alia.*

**D**eus, qui per os David locutus es, Vovete, & reddite Domino Deo vestro, te suppliciter exoro, ut me famulum tuum vigilanter custodias & oblationem, quam tibi pro memetipso offero, interveniente Beatâ Mariâ semper Virgine clementer accipias, qui vivis, &c.

*Alia.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus & peccator famulus tuus tibi offerre praesumo pro absolutione peccatorum meorum, quatenus te Domino miserante mihi remissio, & indulgentia peccatorum concedatur.

*Pro familiaribus, ac fratribus, & sororibus.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & nostrae congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus, & sororibus nostris, & pro omni populo Christiano, & pro omnibus elemosynas nobis facientibus, & pro his etiam, qui se commendaverunt in nostras orationes, & qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut hinc veniam recipiamus peccatorum, & in futuro praemia consequi mereamur aeterna.

*Pro Rege, & populo Christiano.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege nostro, & sua venerabili prole, & statu regni sui, & pro omni populo Christiano, & pro elemosynariis nostris, & pro his, qui nostri memoriam in suis continuis orationibus habent, ut hic veniam recipiant peccatorum, & in futuro consequi praemia aeterna mereantur. Per &c.

*Pro Ecclesia Catholica.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro Ecclesia tua sancta catholica tibi offero, ut tibi grata sit, & ipsi salutaris semper existat. Per, &c.

*Pro salute Vivorum.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro salute famuli N. tui, quatenus te donante perceptâ veniâ peccatorum, vitae quoque sempiternae immensa gaudia percipere mereatur.

*Pro infirmis.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro infirmo famulo tuo N. ut mentis, & corporis recepta sanitate, in Ecclesia tua sancta tibi laudes referat, & de verbis tuo aeterna praemia consequi mereatur.

*Pro defuncto.*

**S**uscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui N. ut per hoc salutare sacrificium purgata, sanctorum tuorum consortio coadunari mereatur. Per, &c.

*Pro defunctis.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum, famularumque tuarum, & requiem aeternam donec eis inter tuos sanctos, & electos, ut in illorum consortio vita perfruatur aeterna. Per, &c.

*Alia.*

**S**uscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro omnibus in cui nominis confessione defunctis, ut te dexteram auxi-



filii tui porrigente vitæ perennis requiem habeant, & à pœnis impiorum segregati, semper in tuæ laudis lætitiâ perseverent. Per, &c.

*Pro omnibus univversalis.*

**S**uscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro seniore nostro, & cuncta congregatione sancti Petri; meisque parentibus, fratribus, benefactoribus, fidelibus, amicis, meisque propinquis, & omnibus circumstantibus, cunctisque, qui se mihi commendaverunt, & qui pro me orant, seu pro quibus debitor sum exorare, tam vivis, quam defunctis, tibi offero, quatenus te Domino miserante, eis & mihi remissio, & indulgentia peccatorum concedatur, & vita æterna condonetur. Per, &c.

*Tunc imponat oblatam altari, & dicat:*

**S**anctifica Domine hanc oblationem, ut nobis unigeniti filii tui Domini nostri Jesu Christi corpus fiat. Qui tecum vivit, &c.

*Deinde Diaconus accipiat à Subdiacono vinum, & misceat cum aqua in calice, dicens:*

**D**eus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilis reformasti, da nobis quæsumus per hujus aquæ, & vini mysteria ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ dignatus est fieri particeps Jesus Christus.

*Tunc Diaconus calicem offerat super altare, & Episcopo dicat:*

**I**mmola Domino sacrificium laudis, & redde Altissimo vota. Sit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat, & dum oraveris ad eum, exaudiat te.

*Et Sacerdos calicem offerens dicat offeritorium istud.*

**O**fferimus tibi Domine calicem salutaris, & deprecamur clementiam tuam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

*Sequitur Oratio.*

**D**omine Deus Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ, de latere tuo sanguinem &

aquam, unde tibi Ecclesiam consecrasses, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium Altari tuo superpositum, & concede clementissime, ut pro redemptione nostra, & etiam totius Mundi in conspectum Divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Qui vivis, &c.

*Posito Calice super altare dicat sacerdos:*

**O**blatum tibi Domine calicem sanctifica, ut nobis unigeniti tui D. N. Jesu Christi sanguis fiat. Qui tecum, &c.

*Tunc benedicat utrosque elevata manu, & dicat:*

**I**n nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit signatum, ordinatum, sanctificatum, & benedictum hoc sacrificium novum.

*Adjungat.*

**V**eni sanctificator omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc sacrificium tibi præparatum. Qui vivis, &c.

*Postea accipiens Episcopus thus à diacono, ponat in thuribulum, dicens:*

**P**er intercessionem sancti Gabriëlis Archangeli stantis à dextris Altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere.

*Hæc oratio dicenda est, dum Incenso missa in Thuribulum, ipsum Thuribulum super panem & calicem circumducitur.*

**M**emores sumus æterne Deus, Pater omnipotens, gloriosissimæ passionis Filii tui, resurrectionis etiam ejus, & ascensionis ejus in cœlum. Petimus ergo Majestatem tuam, ut ascendant preces humilitatis nostræ una cum Incenso isto in conspectum tuæ clementiæ, & descendat super hunc panem & super hunc calicem, plenitudo Divinitatis. Descendat etiam Domine illa sancti Spiritus incomprehensibilis invisibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat. Per eundem, &c. ejusdem, &c.

Kkkk 2

Cir-



*Circumiens autem altare cum incenso Episcopus aut Presbyter, dicat;*

**I**ncensum istud à te benedictum, ascendant ad te Domine, & descendant super nos misericordia tua.

*Sequitur.*

**D**irigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine.

*Quando odor Incensi porrigitur sacerdoti & fratribus, dicat unusquisque eorum:*

**A**ccendat in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam aeternae charitatis.

*Tunc sacerdos humillimè se convertat ad circumstantes, dicens:*

**O**rate pro me peccatore, fratres & sorores, ut meum, & vestrum sacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conspectum suum.

*Tunc respondeatur ei à singulis:*

**S**uscipiat omnipotens Deus de manibus tuis sacrificium, & orationes tuae ascendant in memoriam ante Dominum, ipseque te exaudiat, qui te constituit intercessorem pro peccatis nostris.

Orent pro te omnes Sancti, & electi Dei, memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat.

Immola Domino sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.

Exaudiat te Dominus orantem pro omnium salute.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua.

Dominus sit in corde tuo, & in ore tuo, & suscipiat sacrificium sibi acceptum de manibus tuis, pro nostra omniumque salute.

*Tunc conversus sacerdos ad altare fundat pro semetipso hanc orationem ante secreta:*

**D**omine Jesu Christe, fides & fiducia nostra, & tota in hujus praesentis vitae aerumna consolatio nostra, me indignum, & peccatorem propitius respice & placatus exaudi, & mitte san-

ctum Angelum tuum de caelis, qui hanc oblationem suscipiat & ante conspectum tuae misericordiae representet in memoriam mei, ad laudem & gloriam nominis tui. Qui vivis, &c.

*Tunc incipiat secreta, quibus finit, & Praefatione dicta, quando alii Sanctus, sanctus, sanctus decantant, haec oratio cursum dicenda est à sacerdote:*

**D**omine Deus, qui non mortem, sed poenitentiam desideras peccatorum, me miserum, fragilemque peccatorem à tua non repellas pietate, neque aspicias ad peccata & scelera mea, & immunditias turpesque cogitationes, quibus debilitate à tua disjungor voluntate, sed ad misericordias tuas & ad fidem, devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam deprecantur misericordiam, & qui me indignum inter te & populum tuum medium fieri voluisti, fac me talem, ut dignè possim tuam exorare misericordiam pro me & pro eodem populo tuo.

Domine adjuge voces nostras vocibus sanctorum Angelorum tuorum, & sicut illi te laudant incessabiliter & infatigabiliter in aeterna beatitudine, ita nos quoque eorum interventu mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per, &c.

*Hac oratione finita, antequam sacramenta incipiantur, iterum se Domino commendat dicens:*

**F**acturus memoriam salutaris hostiae totius mundi, cum illius dignitatem & meam intercederem feciditatem, conscientia torqueor peccatorum. Verùm quia tu Deus multum misericors es, imploro, ut diggeris mihi dare spiritum contritum, qui tibi gratum sacrificium revelasti, ut eo purificatus vitali hostiae piis manus admoveam, quae omnia peccata mea aboleat, & ea deinceps in perpetuum vitandi mihi tutelam infundat, omnibusque fidelibus vivis & defunctis, pro quibus tibi offertur, praesentis vitae, & futurae salutis commercia largiatur. Qui vivis & regnas, &c.

*Deinde.*



Deinde cum summa reverentia incipiat, Te igitur, & Ministri stantes in gradibus suis cantent istos psalmos, usque dum Te igitur. finiatur.

**E**Xaudiat te Dominus.

Ad te Domine levavi animam meam.  
Miserere mei Deus secundum magnam.  
Domine refugium.  
Qui habitat in adjutorio.

*Deinde Preces.*

**S**alvum fac servum tuum Domine Deus meus sperantem in te.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Vitam petiit a te, & tribuisti ei Domine longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Oculi Domine super justos, & aures ejus in preces eorum.

Fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum speravimus in te.

Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

*Oratio pro sacerdote.*

**G**audet Domine quæsumus, famulus tuus beneficiis impetratis, & cui fiduciam sperandæ pietatis tribuisti, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum.

*Alia communis.*

**P**recibus nostris quæsumus Domine, aures tuæ pietatis accomoda, & orationes supplicum, occultorum cognitor benignus exaudi; ut te largiente ad vitam perveniamus sempiternam. Per, &c.

*Infra actionem.*

**I**n primis unâ cum famulo tuo Papa nostro N. & pro orthodoxis, atque Apostolicæ Fidei cultoribus Pontificibus & Abbatibus, Gubernatoribus, & Rectoribus Ecclesiæ sanctæ Dei, & pro omni populo sancto Dei.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, cunctorum scilicet consanguinitate

mihimet, vel familiaritate, & amicitia conjunctorum, cunctorumque sua mihi peccata confitentium, meque in tuo nomine bonis reficientium, & omnium circumstantium.

Hanc etiam oblationem humanitatis meæ, & devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis, & criminosis actionibus meis castigandis & dimittendis, pro cæca, & lapidea cordis mei duritia dissolvenda & illuminanda, quæso Domine, ut placatus accipias, & sinum pietatis super me expandas, meque illumines, sensum aperias, spiritum corrigendi tribuas, & ad te misero mihi redeundi aditum per lamenta penitentiæ concedas. Per Christum Dominum, &c.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus.

*Istud præfer in eodem Canone, quando Concilium, vel Consilium aliquod agitur; postquam dixeris aeterno Domino vivo, & vero.*

**H**anc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro hujus negotii qualitate, de quo in præsentis disputationis actione ventilatur, ut benignè suscipias suppliciter deprecamur, quatenus, non humano, sed tuo sancto Consilio æquoque judicio misericorditer terminatum, vel directum, justitiæ, veritatisque termino finiatur, atque secundum tuam voluntatem modis omnibus ordinetur, & compleatur. Per Christum Dominum nostrum.

Communicantes, & memoriam venerantes.

*Pro semetipso.*

**M**emento Domine, & miserere mei, multum enim & magni sunt languores mei, mali sunt & pessimi, sed major est misericordiæ tuæ multitudo. Miserere mei Domine qui venisti in multitudine misericordiæ, & sana languores animæ meæ, miserere mei Domine, & per hoc unicum mundi remedium aliquod stillicidium cœlestis gratiæ arido cordi meo infunde ad cognoscendum te.

Nobis quoque peccatoribus.

*Pro semetipso, & pro debitoribus.*

**M**emento Domine famulorum famularumque tuarum N. N. Præcipue deprecor pro his qui memoriam mei coram te in suis precibus

faciunt.



faciunt, vel qui se meis indignis precibus commendaverunt, quique etiam in tuo conspectu sua mihi delicta confessi sunt, & qui mihi, vel congregationi tuæ aliquid charitatis officio sive pietatis vel largitatis suæ studio impenderunt, quique etiam mihi propinquitatis, vel consanguinitatis, seu tuæ charitatis affectu conjuncti sunt, mihi quoque indignissimo famulo tuo propitius esse digneris, & ab omnibus delictorum offensionibus me emundare. Per, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

*Item pro semetipso in eodem canone dicenda:*

**M**emento etiam mei, quæso Deus, & misere-re: & licet hæc sancta indignis meis manibus, tibi sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum, tamen, quæ in honore, laude, & memoria gloriosissimi & dilectissimi filii tui D. N. I. C. offeruntur, sicut incensum in conspectu Divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis accendantur. Per eundem Christum Dominum, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

*Item pro salute vivorum & mortuorum.*

**M**emento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, & beatissimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum intercedentibus meritis suppliciter quæsumus omnipotens Deus, ut famulos, ac famulas tuas, quorum eleemosynas accepimus, seu qui nobis familiaritate conjuncti sunt, larga misericordia tua protegas, & ab omnibus impugnationibus defendas; ut tua ubique protectione salventur, & animabus famulorum famularumque tuarum, videlicet omnium orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, & quorum corpora hæc & ubique requiescunt, vel quorum nomina hæc in libro vitæ scripta esse videntur, indulgentiam & remissionem omnium tribuas peccatorum, & in confortio electorum tuorum habere digneris.

*Hic recites nomina quorum velis.*

**I**stis, & omnibus in Fide catholica quiescentibus, locum pacis, refrigerii, & quietis, ut indulgeas deprecamur. Per Christum, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

**M**emento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. qui nos præcesse-

runt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Iplis & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas deprecamur. Per Dominum, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

*Expletâ secretâ, & oratione Dominicâ cum dixerit:*

**P**Ax Domini sit semper vobiscum;

*Misceatur corpus Dominico sanguini, & dicatur:*

**H**æc sacrosancta commixtio corporis, & sanguinis D. N. I. C. fiat omnibus nobis sumentibus salus mentis & corporis, & ad æternam vitam capeffendam præparatio salutaris. Per eundem, &c.

Fiat commixtio & consecratio corporis, & sanguinis D. N. J. C. omnibus accipientibus nobis in vitam æternam.

*Non mittat Episcopus in calicem partem oblata, ut presbyteri solent, sed expectet, donec finita benedictione Episcopus communicare debeat: & tunc accipiens partem, quam antea frægerat, tenensque super calicem immittat dicens:*

**S**acri sanguinis commixtio cum sancto corpore D. N. J. C. profit omnibus sumentibus ad vitam æternam.

*Oratio.*

**C**oncede Domine Jesu Christe, ut, sicut hæc sacramenta corporis & sanguinis tui, fidelibus tuis ad remedium contulisti; ita mihi famulo tuo indigno, & omnibus per me sumentibus, hæc ipsa mysteria non sint ad reatum, sed profint ad veniam omnium delictorum. Per te Jesu Christe, &c.

*Post hæc dicta osculetur altare, dicens:*

**D**omine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis. Pacem relinquo vocis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundam tuam voluntatem pacificare, & adunare dignare.

*Deinde*



*Deinde convertat se ad circumstantes, pacemque ferat dicendo:*

**H**abete vinculum pacis, & charitatis, ut apti sitis sacrosanctis Mysteriis.

*Et ipsi invicem se pacificando dicant.*

**P**ax Christi & Ecclesiae abundet in cordibus nostris.

*Quando corpus Dominicum sacerdos in manus accipit, dicat:*

**P**anem caelestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

*Sequitur oratio.*

**P**receptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quam indignus sumere praesumo, non mihi proveniat ad iudicium & condemnationem, sed pro tua pietate profit mihi ad tutamen mentis & corporis. Qui cum Patre, &c.

*Alia.*

**F**iat mihi obsecro Domine, hoc sacramentum tuum, quod indignus, & peccator praesumo percipere confusus de tua larga clementia ad viscera misericordiae tuae, & gratiam salutis, ad sanitatem animae & corporis, remissionemque omnium peccatorum, ut non ad iudicium, sed ad remedium illud merear percipere; Salvator mundi, &c.

*Cum corpus sumitur.*

**C**orpus D. N. J. C. sit mihi remedium sempiternum in vitam aeternam.

*Quando calicem in manus accipit sacerdos, dicat:*

**Q**uid retribuam Domino pro omnibus, quae reeribuit mihi. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

*Sequitur oratio.*

**C**ommunicatio & confirmatio corporis & sanguinis D. N. J. C. profit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, & conservet me ad vitam aeternam.

*Alia ad utrumque.*

**D**omine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, da mihi hoc corpus, & sanguinem Filii tui ita sumere, ut per hoc merear remissionem omnium peccatorum accipere, & tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus, & praeter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in saecula saeculorum. Amen.

*Cum sanguis sumitur.*

**S**anguis D. N. J. Christi custodiat me in vitam aeternam.

*Post perceptam communionem.*

**D**omine J. C. Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus, & sanguinem tuum, a cunctis iniquitatibus & universis malis meis, & fac me tuis obedire mandatis, & a te nunquam in perpetuum separare digneris. Qui vivis, &c.

*Alia.*

**C**orpus tuum Domine quod accepi, & calicem quem potavi, adhaereant visceribus meis, & praesta ut nulla ibi remaneat peccati macula, ubi tua sancta introierunt sacramenta. Qui vivis, &c.

*Deinde presbyteris & diaconis corpus in manus accipientibus & communicantibus, dicitur singulis:*

**P**ax tecum. *Re.* Et cum spiritu tuo.

*Alia.*

**V**erbum caro factum est, & habitavit in nobis. Calicem vero cum sacrosancta commixtione dando, unicuique dicat:

**H**aec sacrosancta commixtio corporis, & sanguinis D. N. J. C. profit tibi ad vitam aeternam.

*Subdiaconis autem, ac alio clero communicet hoc modo dicens:*

**P**receptio corporis & sanguinis D. N. J. C. sanctificet corpus & animam tuam in vitam aeternam. Amen.

*Populo*



*Populo quidem communicando dicat,*

**C**orpus & sanguis D. N. J. C. pro sit tibi in remissionem omnium peccatorum, & ad vitam æternam. Amen.

*Interim dum communicant, dicat:*

**I**gnosce Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, & immundorum actuum secreta confiteor, non habeo apud te verba sine crimine: tu enim conscientia meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti, & immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mei Domine, miserere: mihi ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiae tuæ iudices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recules. Salvator miserere mei.

*Post perceptam communionem.*

**Q**uod ore sumpsimus Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per, &c.

*Oratio.*

**O**bscuro etiam te piissime omnium auxiliator, ne ad damnationem æternam mihi proveniat, quod quotidie cum conscientia polluta nomen sanctum tuum præsumo invocare, corpusque Christi Filii tui & sanguinem indignus audeo accipere: quin magis per hoc me expurges sedulo, & munias ab omnium inimicorum jaculo, ac per eum in me habitare digneris, quem ad hoc misisti, ut redimeret nos ab omni iniquitamento spiritus, & carnis. Per ipsum unigenitum Filium tuum Dominum Jesum Christum, nos omnes ab omni libera malo, & in omni bono conserva; qui tecum, &c.

*Alia.*

**C**onservent nos Domine munera tua, & æternam vitam tribuant nobis. Per, &c.

*Alia.*

**C**ustodi intra nos Domine gratiæ tuæ munus, ut adversus omnia præsentis & futuri sæculi mala, Eucharistiæ quam percepimus viribus & virtutibus muniamur. Qui vivis, &c.

*Alia.*

**P**ræsta Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, ut qui corpus & sanguinem proprium pro nobis indignis datum edimus & bibimus; fiat nobis ad salutem, & ad redemptionis remedium sempiternum omnium criminum nostrorum. Per, &c.

*Postquam Diaconus dixit, Ite Missa est;*

**P**laceat tibi Sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta, ut sacrificium; quod oculis tuæ majestatis obtuli, sit tibi placens, mihi que, & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Qui vivis, &c.

*Finitâ Missâ accedat ad Altare, & osculetur illud dicens:*

**M**eritis, & intercessionibus Beatæ Mariæ semper Virginis, & istorum atque omnium Sanctorum suorum, misereatur nostri omnipotens Deus, qui vivit, &c.

*Expletis omnibus, Episcopus de altari ad sacrum rediens cum diaconibus, & cæteris quos voluerit, cantet Hymnum trium Puerorum.*

**B**enedicite omnia opera Domini Domino, Laudate Dominum omnes gentes. Laudate Dominum in sanctis ejus.

*Postea.*

**P**ater noster, qui es in caelis.

*Et preces.*

**C**onfiteantur tibi Domine omnia opera tua, Et sancti tui benedicant tibi. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Exultent justi in conspectu Dei; & delectentur in lætitia.

Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Sacerdotes tui Domine induantur justitiam, & sancti tui exultent.

Non intres in iudicium cum servis tuis Domine, Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Domine



Domine Deus virtutum converte nos: Et ostende faciem tuam, & salvi erimus.

Benedicat nos Dominus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Domine exaudi orationem meam; Et clamor meus ad te veniat.

*Oremus.*

**D**EUS, quem omnia opera benedicunt, quem cæli glorificant, quem Angelorum multitudine conlaudat, quæsumus te, ut, sicut tres pueros de camino incendii, non solum illæsos, sed etiam in tuis laudibus conclamantes liberasti, ita nos peccatorum nexibus obvolutos, velut de voragine ignis eripias, ut, dum te pari benedictione laudamus, criminumque flammam operumque carnalium incendia superamus, hymnum tibi debi-

tum jure meritoque reddamus. Per Dominum nostrum, &c.

*Alia.*

**D**EUS, qui tribus pueris mitigasti flammam ignium, concede propitius per intercessionem eorum, & merita omnium Sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, atque tormentorum. Per Dominum, &c.

*Alia.*

**A**CTIONES nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut omnis oratio, & cuncta nostra operatio à te semper incipiat, & per te cepta finiatur. Per, &c.

*Explicit ordo de officio Missæ.*

## A L T E R A A P P E N D I X.

**C**ontinet hæc Appendix Fragmentum Missæ ab initio usque ad Evangelium ad instar superioris, variis precationibus interpolatæ hæctenus ineditum, de quo legenda sunt quæ suprâ notavimus Lib. I. Cap. XII. §. 4. Atque utinam integram Missam haberemus, sed à codice M. S. avulsa erant in fine plurima folia. Erat codex Monasterii S. Vincentii Ordinis S. Benedicti, nunc asservatur in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Chiffii.

Incipit Ordo qualiter Missa celebrari debeat. In primis sacerdos dicat orationem ad calceandum se.

*Calcea Domine pedes meos in præparatione Evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.*

*Ad manus lavandas. Largire sensibus meis omnipotens Pater, ut, sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic à te mundentur interius pollutiones mentis, & crescant in nobis sanctarum augmenta virtutum. Per Christum, &c.*

*Ad mappam. Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire. Per Christum.*

*Ad amictum. Obumbra Domine caput meum umbraculo sanctæ fidei, & pelle à me nubila ignorantie.*

*Ad albam. Indue me Domine vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis.*

*Ad zonam. Domine accinge in me custodiam mentis meæ, ne ipsa mens infletur spiritu elationis. Amen.*

*Ad stolam. Stola justitiæ circumda Domine cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.*

*Ad casulam. Indue me Domine ornamento humilitatis, charitatis, & pacis, ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis & hostibus mentis & corporis.*

*Ad manipulum. Da mihi Domine sensum relictum & vocem puram, ut implere possim laudem tuam. Amen.*

Deinde cantet cum circumstantibus clericis hos psalmos, *Quam amabilia*, id est Psal. 83. qui sic incipit in versione Italica & propria Romanæ Ecclesiæ, de qua egimus Lib. II. Cap. III. *Benedixisti. Inclina Domine. Pater noster. Vers. Exurge Domine adjuva nos. Fiat Domine misericordia tua super nos. Deus tu conversus vivificabis nos. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Non intres in iudicium cum servo tuo. Propitius esto Domine peccatis nostris. Domine exaudi orationem meam.*



Oremus.

**A**ures tue pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia S. Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis dignè ministrare, teque aeternâ charitate diligera merear. Per Dominum nostrum, &c.

Tum dicat apud se. Rogo te Deus Sabaoth altissime, Pater sancte, ut tunica castitatis digneris me accingere, & lumbos meos baltheo tui amoris ambire, ac renes corporis mei igne charitatis exure, quatenus pro peccatis meis te Dominum meum dignè possim intercedere, & astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum tibi hostias immolare. Me quoque indignum audacter ad te accedentem non sinas perire, sed dignare me tua pietate mundare, lavare, ornare, tibi que idoneum & dignum ministrum efficere, leniter me ac benigne suscipere. Præsta mihi hoc omnipotens Pater per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, &c.

Fac me queso omnipotens Deus ita iustitia indui, ut in Sanctorum tuorum merear exultatione letari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum, meque tua misericordia à vitis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientie gravat. Per Christum, &c.

Deinde cum clerici inceperint Gloria post Introitum, procedat antecedente eum diacono, & ante eum subdiacono cum libro Evangelii, & ante subdiaconum acolytho cum thymiamate; ante quem duo alii acolythi præcedant cum candelabris & luminaribus, & sic ordinatè exeant à Secretario cum antiphona, *Redime me & miserere mei, ut in Ecclesiis benedicam te Deus Israël:* & Psalmo, *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum:* Et ut pervenerint ante altare, incipiant Psalmum cum Antiphona, *Introibo ad altare Dei. Psal. Judica me Deus & discerne causam meam,* cum Gloria Patri, & repetitur Antiphona. Deinde inclinati faciant confessionem Diacono stante ad dexteram sacerdotis cum Acolytho, & subdiaconus à sinistris teneat librum Evangelii contra faciem ejus.

Sequitur confessio.

**C**onfiteor Deo omnipotenti, & istis, & omnibus Sanctis ejus, & vobis fratribus, quia ego pec-

cavi nimis in lege Dei mei, cogitatione, sermone, & opere, pollutione mentis & corporis, & in omnibus malis, quibus humana fragilitas contaminari potest, propterea precor vos, ut oretis pro me misere peccatore.

Precibus & meritis sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum suorum, misereatur vobis omnipotens Dominus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, præterita, præsentia, & futura: liberet vos ab omni malo, conservet vos in omni opere bono & perducatur nos pariter Christus Filius Dei vivi in vitam æternam, Amen.

Indulgentiam & absolutionem & remissionem omnium peccatorum nostrorum, & spatium veræ penitentiæ per intercessionem omnium Sanctorum suorum tribuat nobis omnipotens, pius, & misericors Dominus. Amen.

Verf. Convertite nos Deus salutaris noster. Resp. Et avertite iram tuam à nobis.

Dignare Domine die ista sine peccato nos custodire.

Fiat Domine misericordia tua super nos. Quem admodum speravimus in te.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

**A**ufer à nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Exaudi quæsumus Domine supplicem preces, & consentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per Dominum, &c.

Quibus expletis subdiaconus apertum librum præbeat sacerdoti osculandum. Osculato autem Evangelio, quod eo die legendum est, dicat: *Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, conservet & confirmet corda nostra & corpora in vitam æternam. Amen.* Et subdiaconus claudens librum ponat super altare in sinistro cornu. Cum verò inceperint in choro *Kyrie eleyson*, acolythi deponant candelabra in pavimento. Diaconus verò accipiat thuribulum de manu acolythi, & accedens osculetur altare, quem subsequitur sacerdos, & inclinatus oret prius hujusmodi.

*Ad te Plasmator meus, redemptor meus, salvator meus, ego miserrimus servus tuus, ad te cordis devotione confugio. Tu quia pius es miserere mei, & suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ, Domine Deus meus: Nam gula, ebrietatis, & crapulæ*  
vitis



vitis quotidie sine intermissione deservio & delictor. Fornicationis, pollutionis, & libidinis stercoreibus ab ipsa penè pueritiâ purifectus sum: & omni spurcitiâ & immunditiâ libidinis intus exteriusque macularus sum. Tristitia, acedia, somnolentia, iracundia, concupiscentia, cupiditate, avaritia, invidia, malitia, odio, detractio, suspitione, simulatione, perjurio, falsitate, mendacio, negligentia, inobedientia, vana gloria, levitate, ac superbia, perditus sum: & omni mala cogitatione, locutione, sive actione, atque omnibus malis & iniquitatibus extintus sum. Sed tu qui iustificas impios & vivificas mortuos, iustifica me & resuscita me Domine Deus meus.

Deindè surgat & osculetur dicens: Omnipotens sempiternè Deus, qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti, & sancti nominis tui laudare potentiam, concede quasumus per huius sacramenti mysterium, meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati dignè ministrare merear. Per &c.

Et sic accepto thuribulo de manu diaconi faciat incensum super altare, & reddat eidem diacono porrigenis ei osculum. Diaconus verò faciat incensum circum altare, & reversus odorem præbeat sacerdoti, redditoque thuribulo acolytho ster post sacerdotem, & subdiaconus retrò post eum. Finitis in choro *Kyrie elyson*, si tempus fuerit, dicat sacerdos *Gloria in excelsis Deo*. Deinde versus ad populum, cum quo verti debet & diaconus, dicat *Dominus vobiscum*, & orationem. Quâ dictâ subdiaconus contra altare legat epistolam, quam dum incipit, sacerdos & diaconus sedeant in sedilibus suis ad dexteram partem altaris, juxta quos & subdiaconus post lectam epistolam sedeat. Deinde canatur *Graduale*, *Alleluja*, vel *Tractus*, seu *Sequentia*. Interim verò dicantur à sacerdote vel ministris istæ Orationes.

#### Oratio.

**B**enignissime ac misericordissime, serenissime ac clementissime Deus, cui omnis Angelica famulatur virtus, cuique quicquid sanctum ac mundum est obsequitur, ante conspectum divine majestatis tuæ assisto reus, sacrosancti mysterii usurpator satis indignus: quin & invocare sanctum ac venerabile nomen tuum non sum idoneus, quippe qui sum innumerabilibus criminibus prægravatus, superbiâ inflatus, ceno-doxiâ turgidus, invidiâ demolitus, acedia anxi-

atus, libidine flaccidus, lasciviâ dissolutus, iracundiâ stimulatus, odio inveteratus, detractioe perditus, proterviâ tumidus, ventris ingluvie & gulæ appetitu immoderatus, fallaciâ repletus, immunditiâ fordidatus, amore sæculi nimis detentus, avarità irretitus, jactantiâ elatus, hypocriti subdulus, contentione pertinacissimus, discordiâ fraudulentus, susurratioe promptissimus, rancore cordis & pusillanimitate affectatus, torpore ignavus, in jurando inconsideratus, scurrilitate assiduus, verbis otiosis & superfluis atque criminosis deditus, fornicatione tam spiritali, quam corporali graviter pollutus, & in cunctis voluptatibus in quibus humana fragilitas labi potest miserimè præcipitatus; & in omnibus omnino vitiis atque criminibus, in quibus cogitando, loquendo, & operando peccari potest, coram examine æquitatis tuæ me graviter peccasse & reum esse recognosco & confiteor. Sed tu piissime & misericordissime Deus, non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens, quippe qui est fænum arefcens, & corruptibilis caro, quotidieque ad non esse tendens omnino. Quis ergò potest mundum de immundo conceptum semine facere, nisi tu qui solus es Deus? Sicut enim pannus menstruatae, sic immundi sumus ante majestatem claritatis tuæ Domine. In tuo namque conspectu nec ipsi cæli sunt mundi, quanto magis nos creati in carne corruptibili, atque homines terreni & immundi? Quid enim digne offerat mortalis immortalis, corruptibilis incorruptibili, mutabilis incommutabili? Sed ut hoc valeretur fieri, incarnatus es pro nobis Fili Dei, mundus & incorruptibilis permanens sicut es. Sacramentum quoque corporis & sanguinis tui electis tuis tradidisti, quo efficeremur de immundis mundi, de peccatoribus sancti, de incestis casti, & de foeditate nitidi, & quo possemus ante majestatem gloriæ tuæ apparere præclari. Ergò tu Domine Sacerdos summe, sanctificator & sanctificatio sacerdotii, miserere mihi homini peccatori, parce indigno sacerdoti, ignosce mysterii tui secreta tradanti, nec indignum misericordiæ tuæ iudices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem creditæ non recuses dispensationis. Et fiat mihi hæc sacrosancti mysterii frequentatio omnium scelerum meorum indulta propitiatio, Salvator mundi. Qui vivis, &c.



*Alia Oratio.*

**D**eus misericordiae & veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, &c. *Estat supra in Missa Illyrici.*

*Alia Oratio.*

**D**eus qui non mortem, sed poenitentiam desideras peccatorum. *Ut supra in Missa Illyrici.*

## SEQUITUR LITANIA.

**C**hriste audi nos.  
 Pater de caelis Deus, miserere nobis.  
 Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.  
 Spiritus sancte Deus, miser.  
 Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.  
 Sancte Sanctorum Deus, miserere nobis.  
 Sancta Maria, Ora pro nobis.  
 S. Dei Genitrix,  
 S. Mater Domini,  
 S. Virgo Virginum,  
 S. Regina caelorum,  
 S. Mater misericordiae.  
 S. Michael.  
 S. Gabriel.  
 S. Raphael.  
 Omnes S. Angeli & Archangeli.  
 S. Joannes Baptista.  
 Omnes S. Patriarchae & Prophetae.  
 S. Petre.  
 S. Paule.  
 S. Andrea.  
 S. Jacobe.  
 S. Joannes.  
 S. Jacobe.  
 S. Philippe.  
 S. Bartholomae.  
 S. Matthae.  
 Omnes sancti Apostoli & Evangelistae.  
 S. Dionys.  
 S. Stephane.  
 S. Corneli.  
 S. Cypriane.  
 S. Sebastiane.  
 S. Chryfante.  
 S. Georgi.

S. Aureli.  
 S. Proceffe.  
 S. Januari.  
 S. Hermes.  
 S. Vite.  
 S. Mercuri.  
 S. Caesari.  
 S. Pancrati.  
 S. Adelberte.  
 S. Cyriace.  
 S. Evaticae.  
 S. Phocas.  
 S. Joannes & Paule.  
 SS. Tiburri & Valeriane.  
 SS. Faustine & Jovita.  
 SS. Sergi & Bacche.  
 SS. Nazari & Celse.  
 SS. Felicissime & Agapite.  
 SS. Nicander & Marciane.  
 SS. Valentine & Hilari.  
 SS. Cirine & Maxime.  
 SS. Quadraginta Martyres.  
 S. Fortunate cum sociis tuis.  
 Omnes sancti Martyres.  
 S. Gregori.  
 S. Martine.  
 S. Ambrosi.  
 S. Pauline.  
 S. Maxime.  
 S. Felix.  
 S. Nicolae.  
 S. Remigi.  
 Omnes SS. Pontifices & Confessores.  
 S. Benedicte.  
 S. Maure.  
 S. Placide.  
 S. Severine.  
 S. Romane.  
 Omnes SS. Monachi & Heremite.  
 S. Scholastica.  
 S. Caecilia.  
 S. Daria.  
 S. Catharina.  
 Omnes sanctae Virgines.  
 Omnes Sancti & Sanctae Dei.  
 Propitius esto, Parce nobis Domine.  
 Ab infidiis daemum, Libera nos Domine.  
 A periculo mortis. Libera  
 Ab immundis cogitationibus.  
 A dominatu omnium vitiorum.  
 A caecitate cordis.



Ab omni malo.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut parcas nobis.

Ut nobis spem certam dones.

Ut fidem rectam tribuas.

Ut charitatem perfectam conferas.

Ut cunctorum in nobis vitiolorum monstra mortifices.

Ut omnium nos virtutum prerogativa vivifices.

Ut nobis per incarnationem tuam introitum in sancta sanctorum pandas.

Ut per hoc sacrosanctum mysterium animas & corpora nostra renoves.

Ut per hoc conscientias nostras purifices.

Ut hoc terribile mysterium non finas nobis fieri ad iudicium.

Ut istud ineffabile Sacramentum mundis manibus tractemus.

Ut puris mentibus sumamus.

Ut indulgentiam omnium peccatorum per hoc consequamur.

Ut per hoc tibi semper inhaerere valeamus.

Ut per hoc & tu in nobis, & nos in te manere mereamur.

Ut gratiam S. Spiritus cordibus nostris infundere digneris.

Ut cunctum populum christianum pretiosissimo sanguine tuo redemptum conservare digneris.

Ut locum poenitentiae nobis concedas.

**Pater noster.** *Vers.* Convertite nos Deus salutaris noster.

Dignare Domine die ista.

Miserere nobis Domine.

Fiat Domine misericordia tua super nos.

Delicta juventutis meae & ignorantias meas.

Adjuva nos Deus salutaris noster.

Non intres in iudicium cum servo tuo Domine.

Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

Non nobis Domine, non nobis,

Exurge Domine adjuva nos.

Domine exaudi orationem meam.

*Sequitur Oratio.*

**A**djuva nos Domine Deus noster tuorum deprecatione Sanctorum, ut omnium beatorum Angelorum, Archangelorum, cunctorum spirituum supernorum, Patriarcharum, Pro-

phetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Innocentium, atque omnium fidelium tibi in caelo & in terra ministrantium, quorum hodie festa geruntur per universum mundam, eorum nos peccatores & indigni quod optamus & indigemus opportuno tempore sentiamus auxilium. Per te Jesu Christe Salvator mundi. Qui vivis, &c.

*Alia Oratio.*

**C**onscientia quidem trepida omnipotens Deus ad altare tuum accedo, sed si dimitto vereor de inobedientia condemnari. Parce ergo mihi Domine indigno famulo tuo, & licet ad tanta mysteria celebranda semper indignus inveniar, tamen fiduciam de tua misericordia retineo. Pro qua te Deus omnipotens dignare me paterna pietate, placidoque vultu respicere, & cordis mei interiora purgare; & si ego reatu culpabilis existo, beatæ tamen & gloriosæ semperque Virginis Mariæ, & omnium sanctorum tuorum obtentu sint tibi in omnibus placita mea ministeria. Qui vivis, &c.

*Alia Oratio.*

**D**omine Deus omnipotens qui es trinus & unus, ubique praesens, ubique totus, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ si non confiterer, te tamen Domine, quem occulta non fallunt, latere non poterant: quia peccavi nimis in cogitationibus, locutionibus, diversisque operibus malis & multis. Et quia ego miser & miserabilis propter duritiam cordis mei, nisi tu adjuves me, in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea precor te, miserere mei. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

*Alia.*

**D**eus qui de indignis dignos, de immundis mundos, de peccatoribus efficis justos, munda cor meum & corpus meum ab omni sordide & contagione peccati, & fac me dignum sacris altaribus tuis ministrum, & concede propitius, ut in hoc altari ad quod indignus ministraturus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ pro omnibus



peccatis & offensionibus meis, & innumeris quotidianis excessibus, & pro omnibus qui se meis indignis precibus commendaverunt, sed & pro omnibus fidelibus Christianis, & pro omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate vel consanguinitate conjunctis, & pro omnibus etiam qui mei memoriam in suis orationibus faciunt: & per eum sit tibi meum votum atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit in sacrificium Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum, &c.

*Alia.*

**I**ndignum me Domine fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscior peccatis. *Extat totidem verbis in superiori Missa Illyrici.*

*Alia.*

**A**ltissime Deus, ignosce mihi, &c. *Extat etiam supra aliquot verbis additis & immutatis.*

*Alia.*

**I**mpellit me ministrandi officium hostiam salutarem offerre pro populi delicto, sed terret conscientia indebiti sacerdotii, &c. *Habetur item in superiori Missa.*

*Cetera desunt.*

## INDEX LIBRORUM

ET

### CAPITULUM.

LIBER PRIMUS.

De his quæ ad Missam generatim spectant.

- CAP. I.** **D**E Missa nomine, ejusque origine. Non esse Hebraicum, Græcum, aut alterius idiomatis, sed Latinum. Rejiciuntur quorundam opiniones. Quædam obiter de Agapis veterum Christianorum. A duplici missione Missa nomen deductum. Pag. 327
- CAP. II.** De multiplici nominis Missa significatione. Olim pro Collectis & lectionibus, & pro divinis officiis usurpatum. Quo sensu ad dies festos, & ad omnes populi conventus translatum. Cur veteres plurali numero Missas dixerint. Quid sit Missas tenere. 330
- CAP. III.** Missa nomen antiquissimum. A quibus primo usurpatum. Epistolis Decretalibus ab Isidoro collectis quæ fidei habenda. De variis Missa nominibus. Dicta à Latinis Collecta, Dominicum, Agenda, Communio. Oblatio: à Græcis Liturgia, Mysteriologia, Synaxis, Telete, Anaphora, Prosphora, Oeconomia. Tertulliani de Missa Sacrificio circumscriptioes. 333
- CAP. IV.** Missa sacrificium à Christo institutum, ab Apostolis frequentatum. Ethnicorum calumnia ad-

- versus Christianos, & earum origo. Testimonia veterum Patrum de primitiva Ecclesiæ sacrificiis. 338
- CAP. V.** Quo tempore & quo loco prima Missa ab Apostolis celebrata sit. Quis ex illis primus omnium celebraverit. Quo apparatu, quibus vestibus, quibus verbis, qua lingua. Addita quædam de linguarum mutatione. Cur lingua vulgo ignota Ecclesiastica functiones paragantur. 341
- CAP. VI.** Diversas Ecclesiarum consuetudines in Missa celebratione olim fuisse, & nunc esse. Quæ sit eorum causa & origo. Sacrificium idem ubique quoad essentiam. Varios ritus Fidei unitatem non ledere. Quid peccatum in hoc genere. 343
- CAP. VII.** Actum in conciliis de Rituum observantia, eorumque varietate tollenda. Quomodo Sectarii Missam perverterint. Romana Missa studio Pontificum ab omnibus Occidentalibus recepta. Quorundam in hoc sententia, ejusque causa. Romana Ecclesiæ tradita Missa à Petro Apostolo, ab aliis aucta. Romæ olim diversa officia. Quid in his immutatum à Fratribus Minoribus. 348
- CAP. VIII.** De Liturgiis Apostolorum. Exploditur à

Lit.



- Lindano edita sub nomine Petri. Dubia fidei eas esse, quæ Mattheo & Marco tribuuntur. Astringitur Liturgia Jacobi. Cujus aui censentur Constitutiones Apostolicae. & in eis descripta Clementis Missa. De Liturgia à Dionysio tradita. Aneps de eo iudicium. 353
- CAP. IX. De variis ritibus Ecclesie Orientalis. Cur nova Liturgia à Basilio Magno composita. De Liturgia Chrysostomi. Quæ gentes lingua Illirica Missus agant. De Colchis, Iberis, Albanis, Melchitis, Nestorianis, Jacobitis, Coptis, Archiepibus, Maronitis, eorumque Liturgiis. Hymnus S. Ephrem. Plurimas esse apud Orientales Liturgias. 357
- CAP. X. De Missa Ambrosiana. A quo fuerit instituta. Ordo ejus describitur. Aliquot ritus peculiare Ecclesie Mediolanensis. 361
- CAP. XI. De Missa Mozarabum. Cur Hispani dicti Mozarabes. Hujus ritus institutio. Hæreticorum fraude depravatur. Desit tandem Romanis ritibus subrogatis. Quo tempore hac mutatio contigerit, & de turbis ob eam exortis. A Francisco Ximeno restituitur. Describitur Missa Mozarabica, ejusque ritus. 363
- CAP. XII. De Missa Gallicana ante tempora Pipini & Caroli Magni. Eorum cura ritus Romanos in Galliam introduxit. Quæ sit Missa ante annos centum edita ab Illirico. Eam veterem Gallicanam non esse. Ritus Gallicani vestigia ex antiquis scriptoribus. An idem fuerit Gallia & Hispania mos in divinis officiis. Conjectura & exempla veteris Missæ Gallicanæ. 369
- CAP. XIII. De variis Missarum generibus. Quæ sit Missa publica & solemnitas. Eandem generalem & legitimam dictam esse. Missam ob initio institutam, ut ei populus adesset, offerret, & communicaret. Missa publica cur vetita in monasteriis. Missa privata & solitaria discrimen. Origo solitaria à Monachis. A quibus & quando prohibita. An & quatenus nunc licita sit. 379
- CAP. XIV. Missa privata perpetuus usus Veterum testimonio & exemplis probatur ab initio Ecclesie & deinceps. Idem variis argumentis ostenditur. In una Ecclesia plura altaria, pluresque Missas olim fuisse. Missa sine communicantibus antiquissima. Dilatitur obiectio ex epistola S. Francisci. 383
- CAP. XV. Alia quadam Missarum genera. Missarum de Tempore & de Sanctis ratio & antiquitas. Quæ sint Missæ votivæ. Sacrificium pro defunctis ex Apostolica traditione offerri. De Missa Præsumptivatorum. Addita quadam de ea, quam Siccam vocant. Refertur quorundam abusus, qui plures Missas in unam congebant. 388
- CAP. XVI. Duplex Missa Catechumenorum & Fidelium. Utriusque ratio & origo. Missæ Catechumenorum quinam adessent. Veteris Ecclesie disciplina erga Catechumenos. Altum de mysteriis silentium illis presentibus. Quot fuerint eorum classes. De tempore Catechesi constituto. Expulso eorum ab Ecclesia quo saculo deserit. Expulsi cum illis etiam Penitentes, & Emergami. 391
- CAP. XVII. Quibusdam olim peccatis negata venia, tum omnibus concessa. Penitentium quatuor classes, Florentium, Audientium, Substratorum, & Confitentium. De singulis classibus, earumque origine, statione, & disciplina. De mulierum penitentia. Qui fuerint Hiemantes. Penitentes & alii, qui Missæ Fidelium adesse non poterant, quo ordine dimitterentur. De sacramentali absolutione. 398
- CAP. XVIII. Veteris Ecclesie mores ex presentibus æstimandos non esse. Cur interdum mutati ritus. De diebus Aliturgeticis. Fersa quinta quare olim Missa caruerit. An quotidie veteres Monachi celebrarint. De diebus Liturgicis, & de quotidiana oblatione. Qui fuerint dies Polyliturgici. Ab uno sacerdote plures quandoque Missas una die actas, & unam à pluribus. 401
- CAP. XIX. De Templis. Eorum usus & necessitas. Origo ab Apostolis. Veterum Scriptorum de illis testimonia. Templi & Ecclesie apud Antiquos discrimen. Missa aliquando extra Ecclesiam, & sine Altari peracta. Dicta quadam obiter de Cryptis subterraneis. Varia Templorum nomina. De Cemeteryis. Erecta olim Tempora supra Martyrum Sepulturas. Reliquia Martyrum sub Altari. 410
- CAP. XX. Altarium usus & origo. Ligneæ fuerint, an lapidea. De Oratoriis privatis. Antimensia apud Græcos quid sint. De Ecclesiarum consecratione, ejusque ritus antiquitate. Vetus Templorum structura. Ad quid fontes vel putei in atrio. Suis singulis loca tributa. Discreta mulieres à viris. De Sanctuario seu Presbyterio, & de sede Episcopali. 416
- CAP. XXI. Sacrificium non nisi à sacerdote jejuno celebrandum. Aliquando tamen sumpto cibo oblatum. Sublatus hic abusus à Conciliis cum duplici exceptione. De Missis matutinis & vespertinis. Quæ fuerint Missæ nocturnæ. Diversa olim hora Missarum solemnitas assignata pro dierum diversitate. Cur diebus jejuniorum dilata quandoque Missa usque ad vespem. Quæ nunc hora Missæ solemnitas & privata tributa sint. 422
- CAP. XXII. Quo signo Fideles tempore persecutionis ad Synaxim convocarentur. Rejicitur quorundam opinio. Reddita pace publica signa instituta & quæ. Lignorum usus apud Græcos, quæ Semanteria dicuntur. A quo inventa Campana. An à Paulino Episcopo Nolano. De Veterum tintinnabulis. Campana nomen, ejusque etymologia. Quando cæperit Ecclesia Campanis uti. Ad quem spectet Campanas pulsare. De Campanis Religioforum. 429
- CAP. XXIII. Qualis debeat esse panis qui offertur & consecratur in Missa. Quæ gentes azymo, quæ fermentis.



- mentato utantur. Discutitur de hoc controversia inter Gracos & Latinos. Quibus argumentis & conjecturis probari possit utramque Ecclesiam per multa sacula in fermentato sacrificasse. De more offerendi panem & vinum. Quid sit fermentum quod olim Pontifices ad Ecclesias Urbis mittebant. Missam antiquitus Eucharistiam, nec non & panem communem in signum communionis. De forma seu figura panis consecrandi. Quo tempore & qua occasione panis azymus introductus. Hostiarum quibus hodie utimur origo. Quo studio olim facta. Duplex panis & vini preparatio. Addita quadam de Eulogio. 434
- CAP. XXIV. De Sacris indumentis Sacerdotum. Pontificum & Ministrorum. Peculiares vestes, easque pretiosas sacrum agentibus in usu semper fuisse. Quis olim earum color. Locus in quo condebantur, ejusque nomina. Diaconicon, Scevophylacium, Pastophorion, Vestiarium, Salutatorium. De singulis vestimentis seorsim agitur. 447
- De Amictu, ejusque usu & nominibus. Dicitur olim Anaboladum. 449
- De Alba & Cingulo. Alba nomen vide. Dicitur etiam Camisia. Linea tunica usus apud Ethnicos. 450
- De Manipulo. Olim Mappula, Sudarium, Fanon. Ejus forma & usus. ibid.
- De Stola. Quid fuerit apud veteres Ethnicos, Judaeos, Christianos. Cur nostra hoc nomen tributum. De palla linostima. Stola olim Orarium. Quaedam de hoc, ejusque usu sacro & profano. 451
- De Planeta. Penula Veterum quid fuerit. Quid Phenolum. Casula seu Planeta diversa significationes. Eius in sacris origo, forma & usus. 454
- De vestibus Pontificalibus, ac primum de caligis & sandaliis, seu Compagis, eorumque variorum. 456
- De Cruce pectorali. A Gracis Encolpion dicitur. Ejus usus recentior. ibid.
- De Tunica & Dalmatica Episcopali, eorumque forma, colore, & usu. 457
- De Chirothecis, & earum usu. ibid.
- De Anulo, ejusque antiquitate & usu. ibid.
- De Mitra, ejusque usu sacro & profano. Quando ceperit idem usus in Ecclesia. Cur Graci ea non utantur. Quando & a quibus concessa Abbatibus. 458
- De Baculo Pastoralis, ejusque nominibus, figura, materia, & usu. Quid Subcinctorium, Epigonatium, Orate, Gremiale. 459
- De Pallio Archiepiscopali. Quid sit. Quaedam de usu ipsius. Quibus concedi soleat. Ejus origo. De Pallio Gracorum. 460
- De vestibus Ministrorum, ac primum de Cappa sive Pluviali. 462
- De veste Diaconorum. Olim Colobium, nunc Dalmatica. Ejus origo, forma, & usus. 463
- De vestibus Subdiaconorum. Olim sola Alba utebantur, postea Tunica & Manipulum addiderunt. De Planetis, qua antiquitus communes erant omnibus Ordinibus. ibid.
- De habitu sacro Clericorum. Quid & quale sit Superpelliceum. 464
- CAP. XXV. De Missa apparatus in vasis, suppellectili, luminaribus, Incenso, Ministris, Cantoribus, & aliis qua infra separatim indicantur. ibid.
- De Calice, ejusque origine & materia. Ligneos quandoque fuisse, lapideos & corneos, aeneos item & stanneos. Actum fuisse de vitreis. Ecclesiam non nisi aureos & argenteos approbasse. Addita his gemma & alia ornamenta. Quidam Calices cum ansis. Quidam majores & minores, ministeriales, & baptisimi. ibid.
- De Patena, ejusque forma & materia. Tangere vasa sacra quibus liceat. Ad quem olim spectaret illorum custodia. 469
- De aliis vasis seu instrumentis ad sacrificium spectantibus: ac primum de fistula, qua sanguis Domini a calice hauriebatur. Varia eius nomina. Cur sanguinis communioni confirmationis nomen tributum. Locus Ambrosii perperam correctus restituitur. De usu fistula. 470
- De Urceis, aliisque vasis ad invidendum calicis vinum & aquam. De Calatorio & Aquamanili. 471
- Recensentur sacra Gracorum instrumenta Latinis ignota. Ea sunt Lancea, Asterscus, Dicerion, Tricerion, Cochlear, & Flabella. Astruitur Flabellarum usus in Ecclesia Latina. 472
- De Candelabris, aliisque vasis ad usum luminum. Ea in Ecclesia antiquissima esse. Solvitur obiectio ex Lactantio, & ex concilio Illyberitano. 473
- Cur sine Cruce celebrari Missa non debeat. De hujus ritus antiquitate. 474
- De Thuribus & usu Incensi. Antiquissimum eum esse apud omnes nationes. ibid.
- De libris Liturgicis, eorumque veneratione & ornamentis. Quid ierit Cantatorium. 475
- De palla linea, qua Corporale dicitur. Olim longior & laetior erat. De sudario seu Purificatorio, quo tergitur calix. De velo quo tegitur. Addita quadam de aliis velis. 476
- Olim Acolythos sudonem & sacculos ad Missam portasse, & cur. De alia sudone pro recipientis oblationibus. De velo offertoris. 478
- Describuntur Altaris & Ecclesiae ornamenta. 479.
- De his qui altari inserviunt, ac primum de Diacono. Hujus Ordinis dignitas & origo. 480
- De officio & muneribus Diaconorum. Addita quadam de Diaconissis. 481
- De Subdiaconis. Quando ceperit Subdiaconatus inter sacros ordines recenseri. Qua sint officia Subdiaconi. 482
- Minorum Ordinum antiquitas & origo. Afferuntur de singulis veterum Patrum testimonia. Apud Gracos soli Lectores ordinantur. 483
- Qua



Quae sint officia singulorum Ordinum minorum. Discrimen inter Ministros Regionarios, Stationarios, Basilicarios, & oblationarios. De Archipresbyteris & Archidiaconis. 485  
 Cantus Ecclesiastici origo. Quando coeperit Organorum usus. Olim plebs fidelis in Ecclesia canebat: tum instituti Cantores. 486  
 Schola Cantorum Roma & alibi instituta. Quale fuerit olim ecclesiastici Cantus studium. De Cantorum ordinatione in Ecclesia Orientali. 487

LIBER SECUNDUS

Quo singulae Missae Partes ac ritus sigillatim explicantur.

CAPUT I.

**S**acerdotis ad celebrandum preparatio in quo consistat. Præmittenda peccatorum confessio. Quaedam obiter de prisco usu confessionis. Apologia, preces preparatoria, & psalmi. Reconciliatio & pax cum omnibus. Puritas animi. Olim in usu erat noctis antecedentis pervigilium. Jejunium necessarium, & carnis munditia. Loto manuum, & nitor vestium. Orationes recitanda à sacerdote, dum sacris vestibus induitur. Panis & vini proxima preparatio. 489  
 CAP. II. Sacerdotis ad altare duplex processio. De ritu Confessionis ante Missam præmissa Psalmo Judicame Deus. Confessio generalis omnium gentium more probatur. Variæ ejus formulae. Sanctorum post eam commemoratio cum osculo altaris. 495  
 CAP. III. De Introitu & ejus institutione. Antiphona quid sit. Hymnum Gloria Patri, Apostolica traditionis esse. Omnes Introitus ex Psalmis, paucis exceptis. Tropi aliquando eis additi. Quaedam illorum exempla. De veteri versione Psalmorum, quæ Italiæ dicitur, ejusque usu in Missa. Eam adhuc vigere apud nonnullos in divinis officiis. Græcorum duplex Introitus. 502  
 CAP. IV. Aeterni cantus origo. De precatione Kyrie eleison. Eam semper & ubique in usu fuisse. Cur à Latinis græcè dicatur. Quoritur cantari consueverit. Ipsi addita aliquot verba. Prolixa preces olim post Kyrie eleison. Hymnus Gloria in excelsis, à quibus compositus & auctus. Prisco more à solis Episcopis dicebatur. Insuper eidem quidam versiculi. 507  
 CAP. V. Origo & usus Sacerdotalis salutationis Dominus vobiscum. Græcorum salutatatio Pax omnibus. Episcopi quoque pacem precantur. Quare præmitti soleat ante Collectam Oremus, & aliquando Flectamus genua. Collecta nomen æquivocum. A quo primum Collecta sive orationes inventa, & qua ser-

ma in iis servanda. Earum conclusio explicatur. Cur dum recitantur, manus & brachia extendantur. De Laudibus, quæ olim post Collectam dicebantur. 513  
 CAP. VI. Epistola nomen cur lectionibus Liturgicis tributum sit. Earum usus antiquissimus. Lecta aliquando Pontificum epistola. Ordo Lectionum à quo primum institutus. Quo olim ritu & à quibus legerentur. De Graduali seu Responsorio, ejusque origine & variis ritibus. Vox Alleluja quando primum audita. Usus ejus in Missa. Cur omittatur in Septuagesima. Tractus quid sit. De Sequentiis & illarum auctoribus. 522  
 CAP. VII. Lectam Evangelium in Ecclesia à tempore Apostolorum. Non statim hoc munus tributum Diaconis. Varii ritus legentium & audientium. Libro Evangeliorum habitus honor in Ecclesia, in Synodis, publice & privatim. Vetus quidam Monachorum mos. Sermones, homilia, & monitiones ad populum post Evangelium. Quaedam de solemnibus Penitentium absolutione. 529  
 CAP. VIII. Incipit Missa fidelium. Symbolum ejus initium. Traditum ab Apostolis sine scripto. Quotuplex sit, & quando caperit in Ecclesiis cantari. Offerentium, ejusque ritus. Mos panem & vinum offerendi, antiquissimus. Alia quaedam his addita. De Agno à Romanis oblato calumnia Photii. Discrimen inter munera & oblationes. Non omnium dona ab Ecclesia recepta. Communio duplex. Non semper qui offerrebant, communicabant. Offerentium nomina publice olim recitabantur. Offerendi mos quando deserit. Oblationum Charra posita in altari. 535  
 CAP. IX. Ritus oblationem describitur. An omnes offerentes accederent ad altare. Orationes quibus munera offeruntur diversas esse in diversis Ecclesiis. Vinum aqua misceri ex Christi institutione. Græcis bis aquam miscent. Quo apparatu dona sacrandæ deferant à prothefi ad altare. Quo seu olim collocaretur hostia in altari. Tharificatio, & lotio manuum. Sacerdotis pro se ad populum deprecatio. Orationes secreta. 544  
 CAP. X. Præfatio Missæ, ejusque ratio, nomina, & institutio. Usus ipsius in omnibus Ecclesiis, sed formula diversa. Tot erant olim Præfationes quot Missæ. Postea in Romana Ecclesia redactæ ad novem. Tributa perperam hæc restrictio Pelagio Papa. Addita una communis, & altera de Beata Virgine. Clauditur Præfatio hymno Seraphico. Ejus ritus & origo. Duplex Trisagion. Quot sint hymni Liturgici. 551  
 CAP. XI. Transitur ad Canonem. Ipsum interpolare illicitum. Variæ ejus nomina. Origo & auctores investigantur. Agitur de prima Canonis oratione: In ea mentio Papæ, Episcopi, & Regis sit. Orat sacerdos generaliter pro cunctis fidelibus, num specialiter pro offerentibus. De nominum recitatione. 556  
 CAP. XII. Diptycha quid sint, & quot eorum genera, qui usus. Inscripta eis nomina vivorum & defunctorum. De solis vivis hic agitur. Cur fiat in Canone



- quorum tam Sanctorum commemoratio. Quaedam notatu digna de Cosima & Damiano. Diversos fuisse mores Ecclesiarum in hac Sanctorum commemorati-  
one. De oratione Hanc igitur oblationem, ejusque variis formulis apud Antiquos. 561
- CAP. XIII. De Consecratione, ejusque forma & ritu. Olim fideles post verba consecrationis respondebant Amen. Mos elevandi Sacramentum antiquissimus apud Gracos. Quando coepit apud Latinos. Explicantur reliqua usque ad commemorationem de-  
storum. Error Gracorum schismaticorum perstringitur. Latini ab eorum calumnia vindicantur. 565
- CAP. XIV. Refertur & rejicitur quaedam interpolatio. Memoria de sanctorum recitatio eorum nominibus. Cur Dionysius sola Diptycha mortuorum commemo-  
ret. Specialis ritus Mozarabum. Quare cum mor-  
tuis nomina simul Sanctorum recensent. Qua ratio-  
ne sacrificium oblatum pro Sanctis. De oratione No-  
bis quoque peccatoribus. Olim post eam benedictio-  
nem frugum & aliarum rerum fieri solebant. Omnes  
sacra & Ecclesiastica functiones intra Missarum so-  
lemnia. Finis Canonis. 570
- CAP. XV. De prisco usu Orationis Dominicæ in sacri-  
ficio. Gregori Magni hac de re sententia expenditur.  
Ipsius orationis præstationes. Olim interdicta Catechu-  
menis. Brevis ejus expressio. Addita Oratio Libera  
nos, qua Embolismus nuncupatur. Hostiam frangi  
& particulam in calicem mittere mos est omnium Ec-  
clesiarum. Horum rituum antiquitas. 575
- CAP. XVI. Benedictiones Episcopales ante communia-  
nem, & priscus earum usus. De duplici benedictione  
in Missa. Olim preces indictæ post orationem Domini-  
cam. Mos antiquus denuntiandi festa, jejunia, alias-  
que functiones post fractionem hostiæ. Ritus dicendi  
Agnus Dei quando & à quo institutus. Orationes  
ante communionem. Osculum pacis. Quaedam obiter  
de osculo. 579
- CAP. XVII. Ritus & usus Antiphonæ, quæ Commu-  
nio nuncupatur. Orationes sacerdotis ante communia-  
nem. Ejus danda & accipienda diversa consuetudo.  
Quotidiana Veterum communio. Ea ad Clerum, tum  
ad ministros altaris redacta. Olim Eucharistia ma-  
nus excepta, domi servata, ad absentes missa, delata  
in itinere, custodita in Ecclesiis, desunctis conspulta.  
Hi mores an, & quando desierint. Qui fuerint ali-  
cubi in communionem abusus. Modus, ordo, situs com-  
municantium. 586
- CAP. XVIII. Communio olim sub utraque specie. Sub  
una tantum nunquam vetita, imò multoties usitata  
à primis Ecclesiæ saculis, & deinceps. Quando &  
qua occasione fieri deservit sub utraque. Gracorum vi-  
tus in paranda Eucharistia, quam pro infirmis con-  
servant. Mos eorum discutitur corpus Domini san-  
guine intinctum communicantibus porrigendi. Vi-  
guit aliquando idem usus in Occidente. Horribile  
exemplum damnationis hæreticorum calamo intincto  
sanguine Christi. 594
- CAP. XIX. Communio puerorum. De ea quid sentie-  
runt antiqui Patres, & quæ veteris Ecclesiæ praxis  
fuerit. Communionis nomen æquivocum. Perceptio-  
nem Eucharistia & mutuam Fidelium societatem  
significat. Quæ fuerit Communio laica, quæ Ecclē-  
siastica. Quibusdam olim negatum Viaticum Eucha-  
ristia in fine vitæ. Examinantur Doctorum sententia  
de Communionem peregrina. De Eulogio, earumque  
usu ac distributione. 599
- CAP. XX. Ablutio & gratiarum actio post Commu-  
nionem. Orationes pro his qui communicarunt. Ora-  
tio super populum. Dimissio assantium dicente Dia-  
cono Ite Missa est. Cur hac dimissio certis diebus omit-  
tatur. Consummatio Missæ, & populi benedictio.  
Ejus origo & ritus diversi. Evangelium post Mis-  
sam. Usus ipsius recentior. Recessus sacerdotis ab al-  
tari. Hymnus trium puerorum. Sacrarum vestium  
depositio. Finis Libri. 605

## A P P E N D I X I N Q U A

- I. Missa Latina ante centum & amplius annos à Mat-  
thia Flacco Illirico Argentina edita. 611
- II. Fragmentum Missæ hætenus ineditum ex Bibliothecæ  
Cardin. Chiffi. 633